HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOMUS SECUNDUS.

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO

T A U R I N E N S I

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS SECUNDUS.

AB ANNO JESU CHRISTI 56. USQUE AD AN. 144.



ROMÆ MDCCLXXII.
EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

CAROLO EMMANUELI
SARDINIÆ REGI
&c. &c. &c.

GASPAR SACCARELLUS TAURINENSIS

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTER

FELICITATEM.

POSTQUAM CLEMENTIS XIV. Sapientiſſimi, vereque Maximi Eccleſiæ univerſæ Pontificis, incredibili ferme benignitate contigit mihi, ut

ut Historiæ Ecclesiasticæ, quam describendam suscepi, Volumen primum sub Ejus auspicio in vulgus emitterem; vix de altero edendo cogitavi, quum illud Augustissimo MAJESTATIS TUÆ Nomine ornandum esse continuo intellexi. Quum enim, summo sane Dei Optimi munere, in Regni Tui Metropoli natus, educatusque litteris in ea primum operam dederim, & Philosophiæ, ac Juris utriusque curriculo emenso, Doctoratus ornamenta in Regio Athenæo sim consequutus; si quid postea in humanarum, divinarumque disciplinarum studio profeci, est id quidem Tibi, Rex Potentissime, tribuendum, qui tot ac tan-

ta ſubditis tuis ad Scientias bonaſque Artes excolendas præſidia comparaſti . Huc accedebant præclara in Familiam meam abs Te collata beneficia , ac præſertim in amantiſſimum Fratrem Aloyſium, quem annuo adſignato ſtipendio inter honorarios Sacelli Regii adminiſtros benigniſſime retuliſti: Obverſantur hæc enim quotidie ante oculos, ac perpetuo obverſabuntur; admonentque præterea , ut quacumque demum ratione poſſim me totum MAJESTATI TUÆ devinctum , meamque gratiſſimam erga Te voluntatem oſtendam . Quid porro de innumeris ferme, maximiſque MAJESTATIS TUÆ virtutibus atque ornamen-

tis

tis dixerim, quorum ſane tantus eſt ſplendor, amplitudo tanta, ut omnia Nominis Tui fama compleveris, externos etiam obſtrinxeris, omneſque adeo in Tui admirationem jamdiu excitaveris, ut amore erga Te, & obſequio cum iis, qui Tuo parent Imperio, certare quodammodo videantur? Teſtis mihi Roma, quæ nuper affectæ Tuæ valetudinis nuncio ita eſt ſubito vehementerque commota ac perturbata, ut Te ægrotante, in maximum & ipſa diſcrimen adducta videretur: Teſtis Italia, quæ Te diuturnæ tranquillitatis, qua periculoſis adeo temporibus fruitur, auctorem & columen agnoſcit: Teſtis Euro-

pa, quæ Te veluti Pacificatorem ſuſpicit ac reveretur, Religione in Deum, Pietate in Sanctam Matrem Eccleſiam, Juſtitia, Prudentia, rei militaris Scientia, invicto Animi robore, Munificentia, omni denique virtutum genere, quibus Magno & præclaro Principi ad Rempublicam optime gerendam opus eſt, MAJESTATEM TUAM quammaxime præſtare communi omnes conſenſione fatentur; Teque non tam Regem Optimum, quam optimum Magnorum Regum exemplar merito exiſtimant, ſummiſque ad cœlum laudibus efferunt. Et ſane, ſi cetera deeſſent, vulgatus nuperrime legum Codex, quibus

judiciorum æquitati tanta ſapientia, Religioni vero, Eccleſiæ juribus, morumque ſanctitati, tanta pietate conſuluiſti, nomen MAJESTATIS TUÆ immortalitati ita commendavit, ut nulla unquam delere ætas poterit. Atque utinam de MAJESTATIS TUÆ geſtis illuſtribus & glorioſis poſſem hic pro dignitate diſſerere, ac ſuo quæque lumine demonſtrare, diſtinguere, explicare! Sed exitum non inveniret oratio; eſſetque id perquam moleſtum Tibi, qui quo ſtudioſius laude digna pace, & bello, domi, foriſque ſemper es perſequutus, eo magis a laudibus abhorrendum vere ac ſapienter exiſtimaſti. Quod itaque, tuo

potiſ-

potiſſimum beneficio, Rex Sapientiſſime, ex ſtudiis meis ſum conſequutus, quod quidem ſentio quam ſit exiguum, totum illud MAJESTATI TUÆ merito lubenſque defero; ac vehementer lætor me vel hunc laborum fructum percepiſſe, ut publicam tandem poſſim obſervantiæ, gratiſſimæque erga Te voluntatis teſtificationem proferre. Quamobrem abs Te ſuppliciter peto, ut hanc Rerum in Eccleſia geſtarum Hiſtoriam Auguſtiſſimo Tuo Nomine illuſtratam in hominum manibus verſari benigne feras; & me, ac meos omnes ſolita Tua Clementia complectaris. Deus Cptimus Maximus omnia MAJESTATIS

TUÆ consilia & actiones fortunet, atque ipsam Regiam Prolem, Nepotes, Pronepotesque quam diutissime sospites & incolumes servet ad Regni Tui, Italiæ, & Christianæ Reipublicæ universæ præsidium; decus, & ornamentum.

APPRO-

APPROBATIO.

REmi P. Thomæ Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri voluntati obſequutus, *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a Cl. Viro P. D. Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii de Urbe Presbytero*, quam dilingentiſſime concinnatæ, Tomum ſecundum legi, nihilque in eo, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur inveni; quare ſi iis, ad quos ſpectat, videbitur, dignum publica luce donari poſſe cenſeo.

In quorum Fidem &c. e Bibliotheca Vaticana die 14. Decemb. 1771.

Steph. Evodius Aſſemanus Archiep. Apameæ Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

APPRO-

APPROBATIO.

TOmum Secundum *Historiæ Ecclesiasticæ*, *a Clar. viro P. D. Gaspare Saccarello Congregationis Oratorii Romani Presbytero* digestæ, Rm̃i P. Thomæ Augustini Ricchinii Sacri Palatii Apostolici Magistri jussu, non solum attente legi, sed & lubentissime excurri, nihilque in eo quod aut Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adversetur, inveni, sed etiam Ecclesiasticæ Historiæ studiosis perutilem futurum, & publica luce dignum censeo.

In quorum Fidem &c. Die 14. Decemb. 1771.

Simon Ballerinus SSm̃i Dñi Nostri Clementis XIV. a cubiculo honorarius, & Bibliothecæ Barberinæ Præfectus.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dom. Jord. Patriarch. Antioch. Vicesg.

IMPRIMATUR.

F. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Præd.
Sac. Pal. Apost. Magister.

H I-

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 56.

PETRI APOSTOLI AN. 25. ROM. PONT. AN. 14.
NERONIS IMP. AN. 3. COSS. Q. VOLUSIO SATURNINO, ET PUBLIO CORNELIO SCIPIONE.
AN. URBIS 809. OLYMP. 208. AN. 4.

1. CUm Paulus Ephesi in nomine Jesu mirabilia faceret, atque dæmones præsertim abigeret; accidit, ut Scevæ filii uberioris quæstus spe illecti, invocato Jesu Christi nomine, Dæmones & ipsi ejicere aggressi fuerint: sed dignum sane exitum ipsos fecisse memorat Lucas: *Tentaverunt quidam de circumeuntibus Judæis Exorcistis invocare super eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini Jesu dicentes: adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ Principis Sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. Respondens autem Spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis? & insiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium pessimum, & dominatus amborum invaluit contra eos; ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo* illa.

JESU CHR. AN. 56.
De Filiis Scevæ Judæorum exorcistis. *Act. 19.*

JESU CHR. AN. 56.

Qua virtute Judæi Exorcismos fecerint.

illa. Hoc autem notum factum est omnibus Judæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur Nomen Domini Jesu. Exorcismorum usum, auctore quidem atque magistro Salomone, apud Judæos invaluisse Josephus tradit. Quin tamen magicis sæpe artibus usi fuerint vix dubitamus; In ejusdem enim Antiquitatibus legimus Eleezarum quemdam coram Vespesiano, admoto naribus annulo, Diabolum ejecisse; atque id sola radicis cujusdam, nomine *Baraat*, præsidio factum, quæ etiamsi ægrotis tantummodo admoveretur, cito Dæmones abigebat.

Joseph. Antiquit. lib.8.2.

Justinus quoque malas hujusmodi Judæorum artes aperte meminit: *Exorcistæ certe quidem, seu adjuratores vestri, arte quadam, veluti gentes, in adjurationibus utantur, & suffitus adhibent, & vincula.* Persuasum præterea Judæis fuit ineffabili Dei Nomine, quod *Tetra grammaton* appellabant, tantam inesse vim, ut ii, quibus notum illud fuisset, possent Dæmonibus imperare. Quamobrem ubi primum agnoverunt Josephum comitem nondum Christianum a dæmone Tiberiadis urbis incolam liberasse, palam publiceque, teste Epiphanio, jactarunt: *ipsum aperto gazophylacio scriptum Dei Nomen invenisse, eoque lecto mirifica, ac prodigia fecisse.*

Epiph. hæresi 30.

Fidelium potestas in ejiciendis dæmonibus. *Marc. 16.*

2. Enimvero cum Christus Dominus prænunciasset fore, ut qui in ipsum crederent, Dæmonia in nomine suo ejicerent; constat sane pluribus veterum testimoniis ad tertium usque Seculum hanc in Dæmones potestatem omnes indistincte fideles exercuisse: *nos*, ajebat Justinus Martyr, *qui in Crucifixum sub Pontio Pilato Jesum Christum Dominum nostrum credimus, dæmonia cuncta, spiritusque malignos adjurantes sub potestate eos nostra subditos tenemus.* Tertullianus vero: *Dæmones non tantum respuimus, verum & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus*: & rursus: *Edatur aliquis*, inquit, *sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui, spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Æque producatur aliquis ex his, qui de Deo pati existimantur, qui aris anhelantes numen de nidore concipiunt; nisi se dæmones confessi fuerint Christiano mentiri non audentes, ibidem Christiani procacissimi sanguinem fundite.* His concinit Origenes: *Iste spiritus est similis huic dæmonum generi, quod non pauci Christiani ejiciunt ex obsessis; idque sine omni curiositate magorum, & venefico-*

Tertull. ad Scapulam cap.2.

Origen. lib.7. contra Celsum.

neficorum, sed solis precibus, adjurationibusque simplicibus, quæ sunt artes hominum simplicium. Nam plerumque homines plebei, simplices, & idiotæ hoc faciunt. Cyprianus vero Demetrianum ita compellat: *O si audire velles, & videre, quando a nobis dæmones adjurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes, & gementes voce humana, & potestate divina, flagella, & verbera sentientes venturum Judicem confitentur: Veni, & agnosce vera esse, quæ dicimus. Et quia Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede, aut si volueris & tibi credere, de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit, qui nunc mentem ignorantiæ nocte cæcavit. Videbit nos rogari ab eis, quos tu adoras: Videbis sub manu nostra stare vinctos, & tremere captivos, quos tu suspicis, & veneraris ut Dominos. Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris, & audieris Deos tuos quid sint interrogatione nostra statim prodere; & præsentibus licet vobis, præstigias illas, & fallacias suas non posse celare.* Hactenus Cyprianus, qui eadem ferme in libro ad Donatum egregie confirmat: *Facultas datur immundos, & erraticos spiritus, qui expugnandis se hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere conflictantes, ejulantes, gementes incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur, occulta plaga, pœna manifesta.* Neque adjurationibus tantum, sed & aliis ab Ecclesia probatis ritibus, exsufflationibus scilicet, oratione, jejunio dæmones ejiciebant, idque Christi Domini monitu, & exemplo, uti sacros Evangeliorum libros legenti patebit.

Cyprian. ad Donat. pag. 1.

Marci ix. & alibi.
Marci vii.

3. Hanc itaque pellendi dæmones potestatem primis Ecclesiæ temporibus pii quique fideles habebant, sed tamquam extraordinarii ejusdem Ecclesiæ ministri, & *munere spontaneæ Dei erga homines benevolentiæ, & gratiæ*, uti adposite inquit Auctor Constitutionum Apostolicarum; Episcopos enim & Presbyteros fuisse ordinarios in Ecclesia Exorcistas compertum est. Verum tepescente paullatim fide, & crescente quotidie Christianorum multitudine, Ecclesia, illa qua pollet facultate dividendi in varias quasi partes, & diversis personis conferendi munia, & officia, quæ in Sacerdotio eminenter continentur, peculiarem Exorcistarum ordinem constituit, sublata ceteris hujusmodi potestate. Quo potissimum tempore factum

Exorcistæ ab Ecclesia instituti.

Lib. 8. cap. 26.

Jesu Chr. An. 56.

Apud Eusebium H. Eccl. lib. 6. cap 43.

id fuerit, difficile est definire; quin tamen antiquissimus sit Exorcistarum ordo minime dubitandum. Meminit auctor Epistolæ ad Antiochenos sub Ignatii nomine; & Cornelius Romanus Pontifex jam inde a seculo tertio *Acolythos duos, & quadraginta, Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis quinquaginta duos* sua ætate in Romana Ecclesia extitisse commemorat.

Inter op. Cypr. p. 223.

His adjungendus Firmilianus, qui in Epistola Cypriano missa, postquam mulieris energumenæ historiam narravit, *subito*, inquit, *apparuit illi unus de Exorcistis vir probatus .... qui fortiter restitit, & esse illum nequissimum spiritum, qui prius sanctus putabatur, ostendit*. Præterea in Laodicena Synodo statutum legimus, *quod non oportet exorcisare eos, qui ab Episcopis necdum promoti sunt, neque in Ecclesiis, neque in ædibus*.

Can. 6.

Can. 7.

In Antiochena vero Chorepiscopis tributum, ut *ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas*. Denique ex Concilio Carthaginiensi quarto intelligimus, qua verborum formula Exorcistarum ordo collatus fuerit: Jubentur enim Episcopi Exorcismorum librum ordinando tradere hisce sollemnibus verbis: *accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatum, sive Catechumenum*.

De Liturg. Gallic. lib. 3. p. 301.

Quæ formula deinceps inserta fuit antiquis Ecclesiae Ritualibus, & legitur potissimum in Missali Francorum libro apud Mabillonium. Porro minoribus, uti vocant, ordinibus Exorcistas adnumeratos perpetuo fuisse, vel ex eo facile cognosci potest, quod memoriæ prodidit Severus in vita Martini.

Cap. V. Edit. Ver. p. 10. seq.

Postquam enim dixit Hilarium Pictaviensem Episcopum tentasse Diaconi officium Martino imponere, & hunc semper restitisse, subdit: *Intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque Exorcistam eum esse præcepit; quam ille ordinationem, ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit*.

Exorcistarum officia.

4. Sed enim cum Energumenorum caussa Exorcistas institutos esse cognoverimus, consequens est, ut in illorum potissimum cura versatos fuisse intelligamus. Exorcistarum itaque erat energumenis quotidie manus imponere, & pro eis intente precari; ipsis in Domo Dei adsidentibus quotidianum victum præparare; innocuis denique occupationibus, uti verrendis templis, aliisque similibus negotiis distinere: *Omni die* (inquit Concilium Carthaginense IV. Can. 90.) *Exorcistæ energume-*

gumenis manus imponant: Can. vero 91. *Pavimenta domorum Dei energumeni verrant*: Et 92. *Energumenis in domo Dei adsidentibus victus quotidianus per Exorcistas opportuno tempore ministretur*. Præter hæc putant nonnulli, Valesius præsertim & Gothofredus, factos etiam ab Exorcistis fuisse Exorcismos, quos utili probaque consuetudine ab antiquissimis usque temporibus Ecclesiam in Baptismo adhibuisse compertum est. Negant tamen plerique, & ad ordinarios tantum ejusdem Sacramenti Ministros ex veteri instituto eos spectasse contendunt: atque his quidem accedendum existimamus, quippe cum nihil ferme in Ecclesiastica antiquitate magis exploratum videatur. Ceterum necesse est cum Clarissimo Trombellio animadvertere in aliquibus fortasse Ecclesiis partes aliquas in Exorcismis Baptismalibus vel ipsos Exorcistas habuisse; id enim colligi posse videtur ex capite xxv. libelli, quem S. Hildephonsus ad hunc modum inscripsit: *Liber adnotationum de cognitione Baptismi*: in quo quidem dicto capite hæc extant: *Exorcisandi virtus illius rei significatio fuit, quod lunaticum increpavit Jesus: & exiit ab eo Dæmonium. Ad instar hujus increpationis Dominicæ increpat etiam Episcopus voce propria .... Ita deinde hic Exorcismus a ministris inchoatur .... Sicque eadem increpatio Exorcistarum pronuntiatione completur, donec omnes catechumeni sub exorcismis agantur*.

Vales. not. in Euseb. de Martyr. Palæst. cap. 2.

Gothofred. in Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. leg. 24.

Tractatu de Sacram. To. 2. pag. 13.

Apud Baluz. Miscell. Lib. 15.

5. Quod paullo ante filiis Scevæ, Christi nomine impie abutentibus, accidisse diximus, quamplurimis fuit salutare. Postquam enim Judæi, atque Gentiles, qui Ephesi versabantur, omnia intellexerunt, *cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu*; *multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*. Ex quo judicari facile potest quantum magicis artibus eo tempore tribueretur: Etenim cum sacris, profanisque Scriptoribus ea potissimum *curiosa* dicantur, quæ ad hujusmodi artes pertinent; consequens est, & omnium ferme Doctorum sententia probatum, illos, quorum hoc loco meminit Lucas, Magiæ operam dedisse. Et sane Beda *Curiosa* explicat *magicæ artis industriam, cujus sectatores merito suos libros incendunt, magno licet pretio æstimatos*. Cur autem nefariæ artis libros incenderint, has valde

Libri magici comburuntur. *Lucas act. xix. 17. seq.*

Beda In act. cap. 19.

JESU CHR. AN. 56.

Oecumenius in Act. cap. 28.

valde sane probabiles caussas adfert Œcumenius, ne scilicet quis in posterum *lethiferæ corruptionis particeps fieret*; *deinde ne quippiam ex hujusmodi criminis pretio acquirerent*. Verum non ita facile explicatu est, utrum de Confessione publica, vel generali, an privata, vel speciali intelligendus sit Lucas, a quo relatum vidimus multos credentium venisse *confitentes, & annunciantes actus suos*. In horum enim verborum interpretatione eo vehementius dissentiunt Eruditi, quo difficilius est definire, utrum fideles tantum, qui Baptismum suscepissent, *Credentium* nomine Lucas appellaverit; an vero illos etiam, qui in Christum quidem crediderant, nondum tamen baptismate fuerant abluti. Verum quoquomodo sese res habeat, nihil certe exsculpi inde poterit adversus Sacramentalis Confessionis necessitatem, quod nonnulli perperam existimarunt: Quippe cum non hoc exemplo, sed verbo Dei, atque apertissima seculorum omnium traditione nitatur, uti opportuniore fortasse loco adversus Heterodoxos, qui eam veluti intollerandum prorsus jugum impie abjecerunt, pluribus ostendemus.

Consulatur Estrius in act. cap. 19

S. Paulus priorem ad Corinthios Epistolam scribit.

Act. xix. 21.

6. Inter hæc cum diu Ephesi mansisset, induxit in animum Paulus, peragrata Macedonia, & Achaia Hierosolymam proficisci, ut inde Romam peteret: *His autem expletis*, inquit Lucas, *proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia ire Hierosolymam dicens: quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre*. Christianos enim, qui Romæ versabantur, videre jamdiu, vehementerque cupiebat, *ut aliquem fructum haberet & in iis, sicut & in ceteris gentibus*. Missis tamen in Macedoniam Erasto & Timotheo, qui eleemosynas Hierosolymitanis fidelibus perferendas interea colligerent, ipse substitit ad tempus in Asia, & priorem ad Corinthios Epistolam Ephesi scripsit. Ubi enim vel a Stephano, Fortunato, & Achaico, qui Corintho ad se invisendum perrexerant, vel ex epistolis, quas Paulo reddendas Chloës domestici eisdem tradiderant; vel ab Ecclesiæ Corinthi principibus viris, qui ad eum Litteras dederint, intellexit Corinthiorum Ecclesiam dissidiis perturbari, & credentium fidem, ac mores esse corruptos; tot tantisque malis illico ea, gravissima sane, Epistola consulendum existimavit. Sunt profecto qui putent non Ephesi, sed Philippis Apostolum ad Corinthios primum scripsisse, & se inscriptione, quæ ad calcem græcorum exemplarium occurrit, potissimum tuentur. Verum Latini, plerique etiam Græci codices

Epist. ad Rom. I. 11.

Act. xix. 22.

* 1. ad Corinth. xvi. 15. seq. Ibidem I. 11. Ibid. VII. 1. seq.

dices Ephesi exaratam epistolam docent; adscriptionem vero, qua Philippis exarata fertur, neque in Manuscripto Alexandrino, neque in Græco & Latino Claromontano, neque in Græco S.Germani, neque in præclarissimis aliis est reperire. Præterea Paulus nomine Ecclesiæ Asiæ, & præsertim Aquilæ, & Priscillæ, quos Ephesi commoratos certo scimus, Corinthiis salutem didit: *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor*. Et ejusdem Epistolæ capite XVI. 8. se usque ad Pentecostem Ephesi moram ducturum testatur: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem*. Ex quibus sane colligitur Apostolum Ephesi fuisse cum ista scriberet. Porro priorem ad Corinthios Epistolam hoc labente anno, alteram vero tantum sequenti scriptam fuisse, quod Usserius, & Pearsonius inficiari videntur, vel ex eo potissimum cum Tillemontio verosimilius putamus, quod Paulus in secunda memorat Corinthios ab anno superiore eleemosynas dedisse: *hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore*; & iterum: *Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, vestra æmulatio provocavit plurimos*. In prima vero eosdem de Collectis hactenus faciendis admonet: *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non cum venero, tunc collectæ fiant*. Quod certe argumento esse videtur, priorem Epistolam anno ante alteram exaratam fuisse. Stephanum, Fortunatum, & Achaicum revertentes Corinthum primam hanc ab ipso Apostolo acceptam epistolam detulisse Græca Scholia dicunt, & omnes ferme prudenter quidem existimant; cum enim jam antea a Paulo Timotheus discessisset, constat in magno eos errore versari, qui ab ipso Corinthiis perlatam contendunt.

I. ad Corinth. XVI. 19.

Usserius Annal p.673. Pearsonius Annal. Paul. p.15. Tillemont. sur S. Paul. Note XLIV. II. ad Cor. VIII. 10. IX. 2.

I. ad Cor. XVI. 1. et 2.

I. ad Cor. cap. ult. v.10.

7. Quæ Paulus in prolixa hac, & multiplicis doctrinæ referta epistola persequitur singillatim recensere, & nimis longum esset, & ab Historici munere alienum plerique forte judicarent; præstantiora tamen paucis attingemus, & aliquantulum illustrabimus, quippe cum ad veteris Ecclesiæ fidem, & rerum Christianarum origines cognoscendas pertineant. Fideles itaque, qui Corinthi versabantur, cum non eodem omnes institutore Christianam fidem essent amplexi, de suo quisque magistro gloriaba-

De dissentione inter fideles Corinthi.

JESU CHR. AN. 56. riabatur, & Pauli quidam, Apollo, vel Cephæ alii Discipulos se publice palamque profitebantur: *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem apollo: ego vero Cephæ*. Atque hinc factum, ut acrius inter se contenderent, dum suum quique magistrum studiose ceteris anteferrent. Quamvis autem Corinthiorum aliqui Philosophorum etiam, & Pseudo-apostolorum nominibus fortasse gloriarentur, in quos invehitur Apostolus; de dissidiis tamen cum ipsius, tum Petri, & Apollo caussa Corinthi exortis Paulum loquutum fuisse certo credimus, neque iis adsentiendum arbitramur, qui putant alios prorsus schismatis auctores, quorum nomina pudoris causa siluit, innuere Apostolum, atque id tantum allato loco docere, scilicet, non per Impiorum modo, quod Corinthiis acciderat, sed neque Pauli, Apollo, vel Cephæ nomina Schismata a Christianis esse facienda. Hanc quidem ipsorum sententiam confirmatam prorsus asserunt iis ejusdem Epistolæ verbis: *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me, & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio*. Verum contra pugnant quæ Paulus scribit capite tertio: *Cum enim quis dicat: ego quidem sum Pauli: alius autem: Ego Apollo · nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat. & qui rigat, unum sunt*. Namque ex his certe liquet Pauli, & Apollo, & Cephæ caussa Corinthios inter se contendisse. Quin idipsum satis etiam Apostolus declarat, dum negat se quemquam baptizasse, ne quis diceret se in nomine Pauli baptizatum esse. Et sane vetustissimus idemque gravissimus auctor S. Clemens, qui Corinthiorum res quidem perspectas habuit, hæc eadem ipsorum dissidia commemorans, varia eos animorum inclinatione in Apostolos testatæ sanctitatis, & in virum ab illis probatum propendisse significat: *Sumite*, inquit, *Epistolam B. Pauli apostoli. Quid primum vobis in principio Evangelii scripsit? Profecto in spiritu ad vos Litteras dedit de se ipso, & Cepha, & Apollo; quia etiam tum diversa in studia scissi eratis. Sed varia illa animorum inclinatio minus peccatum vobis intulit: propendebatis enim in Apostolos testatæ sanctitatis, & in virum ab*

1. Ad Cor. 1. 12.

1. Ad Cor. cap. 1. & 2. & 11. cap. 10. 11. 12.

IV. 6.

V. 3. seq.

1. Ad Cor. 1. 13. seq.

S. Clemens Ep. 1. ad Cor. cap. 47.

ab illis probatum. In eadem quoque sententia Augustinum fuisse comperimus: *Temporibus Apostolorum, qui dicebant: Ego quidem sum Pauli: ego quidem Apollo: ego autem sum Cephæ; quamvis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant*. Denique ut ceteros omittam, hæc Ambrosiaster suis in Paulinam Epistolam commentariis prodidit: *More hæreticorum dissentientes ab invicem hominibus devoti, Pauliani, & Petriani, & Apolloniaci dici volebant, non Christiani; quod valde exprobrat Apostolus*. Et rursus: *Sic uti hæretici, qui se aut Photinianos, aut Arianos aut Cataphrygas, aut Novatianos, aut Donatianos, aut Manichæos vocari non abhorrent; ita & Corinthii*. Porro contentionis, de qua hic agitur, occasionem quidam hanc adferunt, quod cum Apollo, teste ipsomet Luca, esset *vir eloquens*, Paulus autem sermone imperitus, ut ipse de se fatetur; uterque vero Corinthiis Christum prædicasset; qui illius opera crediderant ipsius eloquentiam extollentes Paulum ejus comparatione deprimerent, eoque magistro, tamquam doctiore gloriarentur: aliis contrà Paulum tuentibus. Sed enim fieri etiam fortasse potuit, ut Corinthii diversis, quæ jamdiu Græciam invaserant, Philosophorum Sectis adsueti, eumdem & a Catholicis servari morem, & a Paulo, Cepha, Apollo, ceterisque Evangelii præconibus totidem Sectas constitui arbitrantes, eorum cuilibet proprios, qui de præceptoris nomine nuncuparentur, asseclas adhærere sibi falso suaserint. Quæcumque tamen contentionum caussa Corinthi fuerit, dolet vehementer Apostolus fideles dissidiis hujusmodi perturbari, obsecratque, ut a Deo vocati *in societatem filii ejus Christi Domini nostri*, idipsum dicant omnes, & sint *perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*: Non enim in hominibus, sed in Domino tantum Christianos gloriari oportere: *Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*.

8. Porro hisce partium studiis adeo distinebantur Corinthii, ut nihil curare præterea viderentur; & illa etiam, quibus consulere quammaxime oportuisset, per summam incuriam negligerent. Cum enim quidam, quem Chrysostomus, & Theodoretus putant fuisse aliquem ex Doctoribus, novercæ lectum,

JESU CHR. AN. 56.

August. de unico Bapt. cap. 4. n. 7.

Ambr. Comm. Ep. 1. ad Cor.

Act. XVIII. 24. 1. Ad Cor. XI.

v. Estium in cap. 1. primæ ad Cor. pag. m. 193.

v. Calmet Prolegom. in 1. Epist. ad Cor.

1. ad Cor. 1.

1. ad Cor. III. 21.

De Corinthio incestuoso.

Chrysost. hom. 15. in 1. ad Cor. Theodor. in Præf. 1. ad Cor.

JESU CHR. AN. 56. lectum, idque Patre fœminæ illius viro adhuc superstite, vitiare ausus esset, eaque summo omnium scandalo abuteretur; fœdum adeo crimen, publicum licet & apertum, dissimulabant, & incestuosum in suo flagitio impune vivere sinebant.

1. ad Cor. v. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Quare Paulus animo vehementer adfectus, cum gravem ipsis negligentiæ culpam exprobrat, tum incestuosum hominem ab Ecclesiæ consortio excommunicationis sententia pellere jubet.

1. ad Cor. v. *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Satanæ tradi Græci quidem Patres existimant perinde esse, ac re ipsa imperio & tyrannidi dæmonis ita permitti, ut ab ipso quis possideatur, vel aliquo saltem morbo vexetur, quo anima purior effecta salutem in judicio Christi assequatur. Constat enim primis Ecclesiæ temporibus frequenter usu venisse, ut qui in crimen aliquod grave inciderent, morte, morbo, vel dæmonis obsessione punirentur: id quod, vel ab excommunicatione ipsa, & diris quibus reus devovebatur, repetendum erat, sive ab alia Ecclesiæ potestate eo tempore concessa, ut quemadmodum valetudinem prodigio restituebat, & dæmonia ejiciebat, ita & divina vi morbos inferret, & Dæmones in excommunicatorum corpora immitteret. Verum Latini omnes, & Græcorum etiam plerique, ita Pauli sententiam intelligunt, ut non modo Satanæ corporaliter cruciandum traditum, sed a fidelium communione segregatum præterea fuisse incestuosum aperte doceant. *Illis*, inquit Tertullianus, *traditis Satanæ, idest extra Ecclesiam projectis*: & alibi: *Abjicitur extra Civitatem in locum immundum, deditus scilicet Satanæ, in interitum carnis, nec amplius reædificatur in Ecclesia post ruinam.* Tertulliano concinunt Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, ac reliqui Latini Patres; Græci pariter Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, aliique. Constat autem hoc sane gravissimo pœnæ genere alias sæpe ad reorum contumaciam coercendam usum fuisse Apostolum; Timotheo enim significat se Alexan-

De excommunicatione a Paulo inflicta.

v. Calmet. in Cap. v. 1. ad Cor.

Tertull. de pudic. cap. 13.

Ibid. cap. 20. Hilar. in Psal. 118. Hier. in Ezech. c. 17. Augustin. lib. de fid. & oper. cap. 17.

Alexandrum, & Hymenæum Satanæ tradidiſſe; atque excommunicationem certe intellexit ubi ad Galatas ſcripſit: *Si quis annunciaverit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.*

JESU CHR. AN. 56.

1. Timoth. 1.
Galat. 1.

Excommunicatio apud Judæos in uſu.

9. Quod vero qui ea ſententia percellebatur, ab Eccleſia ejiceretur, idque excommunicari a Majoribus diceretur, non quidem a Paulo eſt primitus inſtitutum. Etenim Hebræorum quoque moribus receptum novimus, ut non Templo tantum, ſed Synagogis etiam iis omnibus interdicerent, qui ſeſe immani aliquo ſcelere polluiſſent. Hinc apud Joannem legimus, non ſolum Judæos hujuſmodi pœnam comminatos fuiſſe iis, qui Jeſum Chriſtum eſſe dicerent, eademque mulctatum ab ipſis cœcum, qui oculorum lumen a Chriſto receperat; ſed Dominum quoque prædixiſſe fore, ut illa ab iiſdem afficerentur Apoſtoli, cum ait: *Abſque Synagogis facient vos*. Quare Cyrillus: *magnum*, inquit, *revera apud Judæos opprobrium ducebatur, ſi quem de Synagoga ejeciſſent; ſicut enim nunc homicidæ, vel adulteri, vel ceteri capitalibus criminibus Rei ab Eccleſia pelluntur, ita tunc Confeſſores Chriſti a Synagoga Judæorum eliminabantur*. Apud Eſſenos præterea terribile excommunicationis genus in uſu fuiſſe Joſephus prodidit: *Deprehenſos in peccatis a ſua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miſerabili plerumque morte conſumitur. Illis quidem Sacramentis, & Ritibus obligatus, neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt; herbas vero pecudum more decerpens, & fame exeſus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miſerati extremum ſpiritum agentes receperunt, ſufficientem pro peccatis eorum, quæ uſque ad mortem adduxerit, pœnam luiſſe cenſentes.*

Joannis 9. & 16.

Cyrill. in Joan. lib. 6. cap. 20.

Joſeph. de bell. Jud. lib. 2. cap. 7.

Excommunicatio apud Gentiles.

10. Quin & Gentiles, Romani potiſſimum, quadam veluti excommunicatione in ſontes animadvertiſſe videntur; cum quis ſcilicet, ob nefandum aliquod facinus, Diris devovebatur. Erant enim Diræ infernales furiæ, quibus cum quis vovebatur, poterat, Dionyſio Halicarnaſſæo teſte, a quolibet impune occidi. Apud Gallos vero ſi quis eorum Sacerdotibus, qui Druidæ dicebantur, non paruiſſet (penes illos enim erant tum capitalium, tum publicarum privatarumque rerum judicia) eorumque decretis non ſtetiſſet, ſacrificiis penitus interdicebatur: Quæ pœna graviſſima quidem ipſorum moribus habebatur. Nam quibus ſic interdictum erat, ii numero ſceleratorum cenſebantur, ex quo fiebat, ut ab iis ſibi quique ſedu-

Dionyſ. l. 2.

Cæſar Comm. de Bello Gall. lib. 6.

Jesu Chr. An. 56.

lo caverent; rati nimirum quacumque levi cum eisdem communicatione se ipsorum sceleribus inquinari.

Excommunicatio quibus modis a majoribus dicta, ejusque effectus.

Hieron. in Oseam cap. 6.

Tertull. in Scorp. cap. 1.

11. Itaque Christi Domini auctoritate, qui non solvendi modo, sed & ligandi potestatem contulit, atque Apostoli Pauli exemplo, excommunicationis pœna adversus graviorum peccatorum reos majores uti consueverunt, ut *sicut olim de Paradiso Adam, sic modo isti* (ait Hieronymus) *de Ecclesia ejiciantur*. Quod sane recolens Tertullianus eam ideo *Divinæ censuræ* nomine appellandam existimavit: *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communione orationis, & conventus, & omnis Sancti commercii relegetur*. Ceterum pœnam eamdem Tertullianus ipse *anathema* alibi nominat: *Scorpio pro solea anathema inlidito, & relinquito in suo sopore morientem*: & pluries variis plerumque formulis describit, ut cum ait, *lanistam arcendum ab Ecclesia*, vel *Stupri Reos arcendos ab omni communione fraternitatis*; item *relegare in perpetuum dissidium*; *communicatione interdicere*; *prohibere, ne in Ecclesiam recipiatur*; *communicatione depellere*; rursus *submovere a limine, & omni tecto Ecclesiæ*; *dare extra Ecclesiam*; *Sacramento benedictionis exauctorare*: absolutionem denique ab excommunicatione dicit: *largiri postliminium Ecclesiasticæ pacis*; *ad Ecclesiam revocare*; *& Ecclesiæ concorporare*. Cyprianus quoque modo *gladium spiritualem* appellat, uti in Epistola ad Pomponium: *Spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum Ecclesia ejiciuntur*: modo *abstentionem*, & aliis, atque aliis loquendi modis ad eam sæpe innuendam utitur, scilicet *arcere a communione*; *non communicare*, vel *a communicatione cohibere*; *excludere*, vel *ejicere ab Ecclesia*; *abstinere a communicatione*, *depellere*, *condemnare*, aliisque hujusmodi formulis, quæ longum esset afferre. Tamen, cum a communicatione potissimum Christi corporis arcerentur qui censura Ecclesiastica percellebantur; hinc factum, ut frequentiori usu *excommunicatio* diceretur: Quare Cyprianus idem: *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus; intercedente vero aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes, a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separamur*; & paullo post: *ut manifestum est, eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis acci-*

Idem de Idol. cap. 2., ad Uxor. lib. 2. cap. 3., adversus hæret. cap. 31. adversus Mar. lib. 4. cap. 24. de Monog. c. 15.

Tertull. de pudic. cap. 4.

Cyprianus Ep. 62.

Idem epist. 41. 42.

Cypr. de orat. Dominicali.

accipiunt; *ita contra timendum est*, *& orandum*, *ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore*, *procul remaneat a salute*, *comminante ipso*, *& dicente*: *nisi ederitis carnem filii hominis &c.* Sed & eadem caussa, quod iidem etiam a fidelium consortio abjicerentur, proprie eadem censura *excommunicatio* est appellata: Quo nomine frequenter utitur Augustinus, ut cum ait: *Nisi essent gravia delicta*, *ut etiam excommunicatione plectenda sint*, *non diceret Apostolus*: *Congregatis vobis*, *& meo spiritu tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis &c.*

JESU CHR. AN. 56.

Aug. de fid. & oper. cap. 26.
1. Corinth. 5.

12. Cur autem qui excommunicationis pœnam incurrissent, Satanæ tradi dicerentur, ita explicat Hilarius: *Omnis enim*, *in quo peccati voluntas est*, *Deo vacuus est*, *illic diabolo locus est*, *qui insidians*, *atque obsidens*, *ubi adeundi opportunitatem habuerit*, *tamquam vacuam domum occupat*, *quæ ei Deo jam discedente sit tradita*: & infra: *Qui enim ab Ecclesiæ corpore respuuntur*, *quæ Christi est Corpus*, *tanquam peregrini*, *& alieni a Dei corpore dominatui Diaboli traduntur*: Hieronymus vero in Epistola ad Heliodorum: *In veteri*, inquit, *lege quicumque Sacerdotibus non obtemperasset*, *aut extra Castra positus lapidabatur a populo*, *aut gladio cervice subjecta contemptum expiabat cruore*; *nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur*, *aut ejectus de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur*. Et in altera ad Riparium excommunicationem virgam Apostolicam, & ferream appellans ait: *Miror*, *Sanctum Episcopum*, *in cujus Parochia esse Presbyter dicit*, *acquiescere furori ejus*, *& non virga Apostolica*, *virgaque ferrea confringere vas inutile*, *& tradere in interitum carnis*, *ut spiritus salvus fiat*. Gregorius quoque Nyssenus in oratione, quam habuit adversus eos, qui ægre ferunt reprehensiones: *Si*, inquit, *segregatione a nobis clausæ sunt portæ Ecclesiæ*, *blasphemiis*, *& maledictis insectamur*: & post alia multa de contumacia, & damno talia patientium, hæc addit: *Si haberes oculos apud animæ essentiam*, *ostendissent tibi segregato figuram*, *& habitum condemnati*, *cujus collum premitur gravissimis vinculis*, *& nullum habet membrum liberum*, *aut solutum*. *Et utinam intra hujus vitæ terminos circumscriberetur supplicium*. *Nunc autem si quid humanitus contigerit*, *& mors repente tamquam fur nocte advenerit*, *scias tibi*, *quæ illic sunt*, *esse clausa*: & paullo post: *Misera autem tunc sæpe conquerens de suo malo consilio*,

Traditus Satanæ excommunicatus, quid pati cogatur.
Hilar. in Psal. 118.

Hier. epist. 14. ad Heliod.

Hier. epist. 109. ad Ripar.

JESU CHR. AN. 56.

filio, flensque, lugens, & ejulans, perpetuo erit in tetro & mæsto loco abjecta, tamquam in angulo, & nunquam desinet, & nullam admittet consolationem in æternum.

Excommunicatio utilis nec temere infligenda.

13. Enimvero non ad reorum interitum, sed ipsorum, ceterorumque fidelium salutem excommunicationis pœnam inductam esse Paulus aperte docet, & Patres postea monuerunt: *Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Nescitis quia modicum fermentum, totam massam corrumpit?* Hæc Paulus. Origenes vero, quem unum, ceteris omissis, proferendum existimamus: *Peccavit quispiam, & post peccatum postulat communionem: Si ei conceditur quod rogat, in commodum omnium venia procedit, & laxatis frenis sceleribus panditur via: Sin vero cum rationabili deliberatione non ut misericors, nec rursum ut crudelis Judex, sed & quasi uni providens, & de omnium salute pertractans consideraverit populi damnum in unius venia; haud dubium est, quin faciat ejici unum de Ecclesia, ut multos salvet incolumes. Age nunc, considera mihi, & Medicum si cessaverit a sectione ejus vulneris, quod secandum est, si non usserit id quod indiget cauterio, videlicet propter dolores, qui ex talibus remediis consequuntur; quomodo crescat infirmitas, & in deterius vetus humor exuberet. Si vero (ut ita dicam) temerarius ad vulnus sector accesserit, & inusserit plagam, curat eum qui secatur, & uritur: quia paululum severitatis absumpsit, licet visus fuerit ægrotanti ad horam non misereri. Ita & Deus &c.* Quo autem ceteris omnibus graviorem excommunicationis pœnam Patres perpetuo judicarunt, eo cautius infligendam esse tradiderunt, & omnia primum experienda esse remedia, quam membrum sectione a reliquis divellatur. Et quidem Gregorius Nazianzenus acriter in eos invehitur, qui omnibus indistincte Ecclesiæ portas aperiunt, & passim projiciunt absque delectu Margaritas ante porcos. Chrysostomus vero hæc de se ipso publice palamque Antiochiæ professum fuisse legimus: *Nos quidem ad solvendum dumtaxat uti potestate vellemus; quin immo nec hujus necessitatem vellemus habere; nullum enim volumus apud nos esse captivum: non ita miseri sumus, & ærumnosi, licet valde simus viles. Si vero coacti fuerimus, ignoscite. Non enim sponte, vel volentes, sed plus vobis dolentes ligatis, injicimus vincula. Si quis autem hæc contemnat, judicii tempus aderit, quod eum doceat;*

1. ad Cor. v. *Orig. in Jerem. hom. 19.* *Gregor. Naz. orat. de moder. servanda.* *Chrysost. ad populum Antioch. hom. 70.*

ceat; *Reliquum autem nolo dicere, ne mentem vestram consternam. Nam nos quidem primum ne trahamur in necessitatem optamus: quod si venerimus, nostrum implemus officium, vincula injicimus &c.* Similia habet Ambrosius: *Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc a Medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscindere; postremo quod sanari non potest cum dolore abscindere. Unde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, ut cogitemus non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum.*

Ambros. offic. lib. 2. cap. 27.

14. Quamobrem dolet vehementer Hieronymus *superbia majorum, & præpositorum iniquitate frequenter pelli ab Ecclesia, ut dispergantur a Domino, quos ipse salvavit*: admonetque præterea Origenes interdum fieri, *ut aliqui non recto judicio eorum, qui præsunt, Ecclesia pellantur, & foras mittantur*. Quod si forte fieri quandoque contigerit, *non debemus*, inquit idem Hieronymus, *reluctari, sed æquo animo latam in nos ferre sententiam*; *utrum* enim, magno Gregorio teste, *juste, an injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is qui subest, & cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec pastoris sui judicium temere reprehendat; ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.*

Quid agendum, cum quis injusta excommunicatione percellitur.

Orig. in Levit. hom. 14. Hier. in Ezechiel. cap. 17. Gregor. Hom. 26. in Evang.

15. Constat porro publicos peccatores tantum, & illos quidem, qui Ecclesiæ monitis bonorum etiam temporalium caussa pertinaciter restitissent, excommunicationis pœna perculsos fuisse. *De excommunicationis articulo* (verba sunt magni Gregorii ad Natalem Episcopum Salonitanum) *quæ tamen interposita conditione gradus secundo, vel tertio jam, ut ita dicam, ex necessitate subjuncta est, Beatitudo vestra immerito queritur, cum Paulus Apostolus dicat: in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* S. vero Augustinus in Epistola ad Macedonium: *Nolentes autem reddere quos novimus & male abstulisse, & unde reddant habent, arguimus, increpamus, & detestamur quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur posse recipere medicinam, nec in alio-*

Excommunicatio in quos intligi consueverit, & qua formula.

August. Epist. 153. n. 21.

JESU CHR. AN. 56. *aliorum perniciem ad majorem insaniam concitari; aliquando etiam si res magis curanda non impedit, Sancti Altaris communione privamus*. Quamvis autem non eadem verborum formula semper, & ubique excommunicationis sententia lata fortasse fuerit, eam tamen exempli caussa hic referendam existimavimus, qua Andronicum Præfectum, & Tonantem, a se perculsos fuisse Synesius Ptolemaidis Cyrenensis Pentapolitanæ Provinciæ in Ægypto Episcopus litteris prodidit:

Synes. Ep. 58. *Postquam non amplius admonendus est homo, sed velut insanabile membrum a nobis resecandus, ut ne societate, etiam quod sanum est, simul corrumpatur; nam inquinamentum facile distribuitur, & qui tangit scelestum, particeps fit reatus illius: Oportet autem mente, & corpore puros Deo esse. Propter hæc Ptolemaidis Ecclesia ad omnes ubique Terrarum sorores suas hæc demandat. Andronico, & suis, & Tonanti, & suis, nullum Templum Dei aperiatur, omnis Sacer Cœtus, omne sacrum Templum conclusum sit. Non est diabolo portio in Paradiso. Qui etiam si clandestine ingressus fuerit, expellatur. Admoneo igitur, & privatum quemque, & principem, ut ne sub eodem tecto cum ipso habitet, neque eamdem mensam participet: Sacerdotes autem præcipue, qui neque viventes ipsos alloquantur, neque mortuos simul deducant. Si vero quis, velut parvæ Civitatis Ecclesiam reprobarit, & excommunicatos ab ipsa susceperit, velut necesse non sit pauperi non obedire, is sciat, se scindere Ecclesiam, quam unam Christus esse vult. Talis autem sive Levita, sive Presbyter est, sive Episcopus a nobis in Andronici sorte locabitur, neque porrigemus ipsi dexteram, neque unquam de eadem mensa cum ipso cibum capiemus: Multum enim aberit, ut in arcano mysterio communicaturi simus cum his, qui cum Andronico, & Tonante sortem habere voluerunt*.

Basil. Ep. 168. & 170. Excommunicationis indicendæ formam exhibet quoque Basilius, qui ob crimen raptus non modo reum cum tota familia excommunicationi subjicit, sed omnibus Pagi incolis interdictum minatur, nisi raptorem ejecissent. De excommunicatione plura fortasse, quam hoc loco oporteret: Itaque reliqua Paulinæ Epistolæ capita persequamur.

Corinthii apud Ethnicos lites agebant, quas postea fideles ad Episcopos detulerunt.

16. Si forte inter se Corinthii iudicio quandoque contenderent, ad Ethnicos Magistratus lites deferebant, non sine Christianæ Religionis injuria; namque fidelium vitia eo pacto ab Ethnicis cognoscebantur. Quamobrem id ipsis exprobrat

brat Apostolus, monetque, ut litibus dissidiisque inter ipsos exortis, apud fideles, saltem ut delectos arbitros, experiantur: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? an nescitis, quoniam Sancti de hoc Mundo judicabunt? Etsi in vobis judicabitur Mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit; & hoc apud Infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis in vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Atque ex hac Apostoli doctrina factum videtur, ut Christiani deinceps ad Episcopos potissimum causas suas judicandas ubique ferme deferrent. Præstantissimi hujus moris testes, præ ceteris, damus Constitutiones vulgo Apostolicas: *Præclara Christiani laus est, cum nullo habere negotium. Quod si ex aliqua vexatione, & tentatione lis alicui oriatur, curet, ut ea transigatur, etiamsi detrimentum pati debeat, nec ad Ethnicum judicium accedat*: & paullo post: *adsint judicio Diaconi, & Presbyteri integri judicaturi, veluti Dei homines, cum justitia; cum utraque persona venerit, ambo qui litigant, statuantur in medio Tribunali, iisque auditis, Sancti judicium pronunciate studentes ante sententiam Episcopi eos conciliare*. Hæc porro Episcoporum potestas in componendis, aut judicandis civilibus Fidelium controversiis, ex litigantium dumtaxat consensu oriebatur, a quibus causarum arbitri constituebantur; Quamvis enim proprie Episcoporum non sit secularia negotia tractare, cognoscere, judicare; decebat tamen fideles, qui non absque Christianæ caritatis ac pacis detrimento de rebus terrenis adversum se mutuo disceptabant, auctoritate Episcopi ad concordiam redigi, eodemque monente discere quantum præ bonis temporalibus, pro quibus ardentius æquo certabant, amanda essent æterna. Ceterum labente deinde tempore, & Christiana religione jam late sub Christianis Imperatoribus firmata, penes Episcopos itata, & sollemnia adeo fuere judicia, ut interdum etiam Magistratuum sententias retractarent. Exstat adhuc Theodosii Magni lex, a Carolo M. Imperatore multo

JESU CHR. AN. 56.

1. ad Cor. VI.

Clement. const. lib. 2. cap. 49. 50.

JESU CHR. ANN. 56.

Cod. Theodos. lib. 16. de Episcopali judicio.

post tempore instaurata, qua sanciebatur, ut cuique tam actori, quam reo liceret, lite etiam apud judicem civilem contestata, ad Episcopale judicium provocare: *Quicumque litem habens sive possessor, sive petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, judicium elegerit Sacrosanctæ Sedis Antistitis; illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur*. Neque vero fideles tantum, sed alterius etiam religionis homines, causas quandoque ad Episcopos detulisse testis est Possidius, qui refert Augustinum *a Christianis, vel a cujusque Sectæ hominibus interpellatum causas audivisse diligenter, & pie ..... aliquando usque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunantem*. Quin adeo hujusmodi judiciis sæpe impediebatur, ut a ceteris rebus plus, quam par esset, divelli interdum quereretur. Quare Augustinus, eodem Possidio teste, *hanc suam a melioribus rebus occupationem, tamquam angariam deputabat*; & ipse tum sæpe alibi, tum præsertim in libro de opere Monachorum profitetur, malle se quietem cœnobii, quam *tumultuosissimis causarum perplexitatibus detineri: Testem Deum invoco super animam meam, quoniam mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum, & orandum, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis. Quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio ..... Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitæ æternæ, ut fructum feramus cum tolerantia*. Hactenus Augustinus, cui concinunt reliqui superiorum temporum Episcopi, qui de hac re suis in operibus meminerunt. Etenim a negotiis temporalibus magnopere abhorrebant; & caritate tantum, vel necessitate urgente sese iis implicari patiebantur. *Prisca tempora*, inquit Synesius, *eosdem Sacerdotes, ac judices tulerunt; nam Ægyptii, & Hebræi longo tempore Sacerdotum Imperio usi sunt; deinde posteaquam, ut mihi videtur, divinum opus humano more fieri cœptum est, Deus ambo vitæ genera separavit; unumque horum sacrum, alterum ad regimen, atque imperium constitutum est. Alios enim ad infimarum rerum fæcem* con-

Vita S. Aug. cap. 19.

Cap. 29. to:6. p. 499.

Epist. 57.

convertit, alios sibi sociavit : illi in negotiis, nos in oratione collocati. Et paullo post: *Vacatione opus ei est, qui cum Philosophiæ studio sacris operatur*; *Nec Episcopos damno, qui negotiis distinentur. Sed cum noverim vix me horum alterutrum assequi posse, qui utrumque præstare possint hos admirari soleo. Non est id mearum virium, duobus ut Dominis serviam. Sin aliqui reperiantur, quibus ne mentis quidem ad inferiora descensus detrimentum afferat, merito illi possunt Sacerdotes fieri, & præesse Civitatibus. Solaris radius quamvis cœnum contingat, purus, nec inquinatus manet. Ego si idem fecero, fontibus, ac mari opus habebo*.

Jesu Chr. an. 56.

Apostoli præcepta, & monita ad Conjuges.

17. Datis ad Paulum litteris postulaverant Corinthii quid in usu conjugii servandum esset; utrum deinde præstantius Conjugium, an Cœlibatus. Cum enim gentium Philosophos quæstio hæc diu torserit, a fidelibus, qui Corinthi versabantur, & Philosophiæ vacabant, hac de re forte disputabatur. Apparet præterea fuisse apud eos quosdam, qui dicerent, debere Christianum hominem omnino a complexu mulieris abstinere. Itaque saluberrima, & valde necessaria de matrimonio, virginitate, & continentia, hac data occasione, docet Apostolus. Mandat enim præclarum & eximium esse a mulieris amplexu sese continere; ob fornicationem tamen, & omne luxuriæ genus vitandum indulgeri, ut vir sua utatur uxore, & uxor marito: Debitum sibi ab ipsis vicissim reddi oportere; neque a Conjugii usu abstinendum nisi orationis caussa, sed ad tempus tantum, & ex mutuo consensu. Ceterum hæc se infirmioribus propter incontinentiam permittere, non jubere; velle enim potius atque optare, ut omnes continentiæ vacarent. *De quibus autem scripsistis mihi bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat; Uxori vir debitum reddat, similiter autem & Uxor Viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir; Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier. Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo enim vos omnes esse sicut me ipsum*. Perverse igitur, uti solent, Apostolo abutuntur hæretici, qui Christianis omnibus conjugium hic ab ipso præcipi contendunt. Neque 1. Cor. VII.

Jesu Chr. an. 56.

Ad uxor. lib. 1. c. 6.

conjugibus ullatenus vetitum continentiam ex mutuo consensu perpetuo vovere, vel observare: *Quot sunt*, inquit Tertullianus, *qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt? Voluntarii spadones pro cupiditate regni cœlestis. Quod si salvo matrimonio abstinentia toleratur, quanto magis adempto?* Idem alibi mutuam conjugum de castitate consensionem vocat *modestam in occulto matrimonii dissimulationem*. Et rursus: *non enim*, ait, *& continentia virginitati antistat, sive viduorum, sive qui ex consensu contumeliam communem jam recusaverunt*. Ubi tamen cum Pamelio animadvertendum, ad nævos Tertulliani pertinere, quod legitimum viri & uxoris congressum, quem libro de Pudicitia *Benedictionis concubitum* vocat, hoc loco *contumeliam* appellet.

De Resur. Carnis c. 8. De vel. Virg. c. x.

Orationis præsertim solemnis caussa a Conjugio abstinendum.

18. Quod vero de conjugali abstinentia orationis caussa a Paulo doceri legimus, de solemni potissimum ac publica oratione explicandum videtur, ad quam Dominicis festisque diebus conveniebant, & cui qui intererant fideles, corpori Christi communicabant: Quare Hieronymus eos vehementer arguit, qui postquam operi conjugali vacassent, Templa quidem ingredi non audebant, sed domi communicabant: *Ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant; quare ad Martyres ire non audent, quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est?... quod in Ecclesia non licet, nec domi licet*. Congruit Chrysostomus: *Tu vero eo die, quo liberis operam dedisti, quamvis crimen illud non sit, orare tamen non audes, idest corpori Christi communicare*. Author quoque commentariorum, qui olim Ambrosio tribuebantur, *Conjugibus*, inquit, *consilium dat, ut ad ipsum Dominum revertantur, abstinentes ab uxoribus suis, ut possint dignius accipere Corpus Domini*; & paullo post: *Si causa procreandorum filiorum ducitur Uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia & dies festi, & dies purgationis, & ipsa ratio conceptus, & partus juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant*. Eadem tradunt Scriptor quæstionum in Vetus, & Novum Testamentum *quæst. 126.* & Theophylus Alexandrinus Epistola Canonica ad interrogationem quintam: *Si uxor cum sua Marito nocte cohabitaverit, vel Maritus cum uxore, simulque coierint, debent ne communicare, an non, respondet: non debent, cum clamet Apostolus: Nolite &c.* Ad interrogationem vero XIII. ex ejusdem Apostoli præcepto addit:

Hieron. ad Pammachi epist. 48. n. 15.

Chrysost. homil. 52. in Matth.

Ambrosiaster in Comment. ad Corinth.

addit: *Necessario autem Sabbato, & die Dominico abstinere oportet, quod spirituale Sacrificium in eis Domino offerebatur.* Augustinus præterea: *Quoties ad Ecclesiam in qualibet solemnitate venitis, & Sacramenta Christi percipere volueritis, ante plures dies castitatem servate.* S. quoque Gregorius ad Augustini Anglorum Apostoli interrogationes, respondens: *Quamvis de hac re diversæ hominum Nationes diversa sentiant, atque alii alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab Antiquioribus usus fuit post admixtionem propriæ Conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paullulum reverenter abstinere, quia sine voluptate carnis fieri non potest, & voluptas ipsa sine culpa esse non potest. Quod si quis subdit, non voluptatis instinctu, sed tantummodo Liberorum procreandorum causa conjugio utitur, iste profectio de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Corporis Dominici, Sanguinisque Mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus, nescit ardere.* Quinimmo constat sequutis postea temporibus statutum fuisse dierum numerum, quo ante Sacram Communionem a conjugio abstinere oporteret: Etenim in Pœnitentiali Theodori Cantuariensis aperte decretum legitur, ut *qui in matrimonio sunt, tres noctes abstineant se a commixtione antequam communicent.* Apud Rheginonem vero hæc in opere de Ecclesiasticis Disciplinis occurrunt: *omnis homo ante Sacram Communionem a propria uxore abstinere debet VII., aut V., aut III. dies*: Quibus similia ferme habes apud Burchardum Wormaciensem, undecimo ineunte seculo, Episcopum. Iisdem præterea indubiæ fidei testibus admonemur vetere Ecclesiæ disciplina, quadragesimalibus, aliisque statis anni diebus jussos fuisse conjuges sese continere; & certas, si qui contra facerent, pœnitentias inflictas: *Vir abstineat se ab uxore sua quadraginta dies ante Pascha, & usque in octavas Paschæ..... In tribus Quadragesimis anni, & in die Dominico, & quarta feria, & sexta conjuges se continere debent*: Ita Theodorus in Pœnitentiali. Rhegino autem: *Uxoratus contineat se quadraginta dies ante Pascha, & Pentecosten, seu ante Natale Domini, & omnem Dominicam noctem, & quartam, & sextam feriam;.... Mulier se abstineat a viro tres menses ante partum, & post partum quadraginta dies. Qui autem nupserit his diebus*, (scilicet a conjugii usu non abstinuerit) *viginti dies pœniteat. Qui in quadragesima ante Pascha* cogno-

Aug. Serm. 244. de Tempor.
Greg. ad Aug. Angl. Apost. l. 11. epist. 64.
Lib. I. cap. 331.
Lib. V. cap. 22.
De Eccles. Discipl. lib. I. cap. CCCXXIX. seq.

JESU CHR. AN. 56. *cognoverit Uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, uno anno pœniteat, aut pretium suum, videlicet viginti sex solidos ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus dividat. Si per ebrietatem, & sine consuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat.* Denique Burchardus: *Concubuisti cum uxore tua die Dominica, quatuor dies in pane, & aqua pœniteas.*

Lib. 9.

De Cœlibatu Clericorum.

Hieron. adversJovinian. lib. 1. T. 7. p. 291. Cap. 9.

19. At vero *si Laicus*, inquit Hieronymus, *& quicumque fidelis orare non potest, nisi conjugali officio careat; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est; ergo semper matrimonio carendum.* Hinc a Sanctissimo Romanæ Sedis Episcopo Innocentio primo hæc scripta olim fuisse comperimus: *Tenere debet omnino Ecclesia, ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non misceantur, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim: Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus anno vicis suæ Sacerdotes de Templo non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu præterquam ex semine Aaron, ad Sacerdotium nullus accedere permittebatur: Quanto magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel Sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent. Et si Paulus ad Corinthios scribit, dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & hoc utique laicis præcepit; multo magis Sacerdotes, quibus orandi, & sanctificandi juge Sacrificium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere?* Hactenus Innocentius ad Victricium Rothomagensem. Siricius vero, ipsius paullo antea decessor in Epistola ad Africanos Episcopos: *Quod dignum*, ait, *& pudicum, & honestum est, suademus; ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia in ministerio divino quotidianis necessitatibus occupantur ..... Si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri; quanto magis Sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus.* Latinis consentiunt Græci Patres; Epiphanius enim ubi admonuit Presbyteris, Diaconis, & Episcopis Deo penitus esse vacandum, hæc subdit: *Nam si illis etiam, qui de populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit, ut, inquit, ad tempus vacent*

Cantan. pag. 753.

Epist. 4.

Hær. 59.

vacent orationi, quanto id magis Sacerdoti præscribit? nimirum nullis ut impedimentis avocetur. Chrysostomus autem admonet oportere *omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse*. Et sane ea est Majorum Ordinum dignitas atque præstantia, ut sanctos corpore, & spiritu ministros omnino postulent; & constat præterea Apostolo ipso docente, eos, qui sine uxore sunt, sollicitos esse quæ Domini sunt, quomodo placeant Deo: Qui autem cum uxore sunt, sollicitos esse quæ sunt mundi, quomodo placeant uxori, & divisos esse. Sanctissimo itaque consilio, & ex *Apostolorum tam consiliis, quam exemplis*, ut Tertulliani verbis utamur, usu primum, atque legibus deinceps id semper in Ecclesia obtinuit, ut scilicet *Sacrosancti Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitæ, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes essent in omnibus, quo possent* (inquiunt Africani Patres) *simpliciter quod a Deo postulant impetrare*. De Apostolorum Doctrina jam diximus; nunc de eorumdem exemplo paucis quærendum. Qui superiore, & nostra hac ætate Clericorum continentiam evertere aggressi sunt, ii vel ipsos Apostolos, & Paulum potissimum conjugio operam dedisse vehementer contendunt; Verum id non minus falso, quam confidenter ab ipsis jactari, testis est, qui vicinus Apostolorum temporibus floruit Carthaginensis Presbyter Tertullianus libro de Monogamia Cap. 8. *Petrum* inquit, *solum invenio maritum per socrum: Monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de Monogamis erat collocatura. Ceteros autem cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes*. Eadem affirmat Hieronymus adversus Jovinianum: *Quoniam excepto Apostolo Petro non sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint: Et cum de uno scriptum sit, ac de ceteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale significat*. Quod vero ad Paulum potissimum attinet, quis quæso non fatebitur ipsum cælibem fuisse, qui seposito partium studio ad ea vel parum animadvertat, quæ ad Corinthios scripsit? *non nuptis, & viduis dico: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*. Quomodo enim hæc publice palamque uxorato profiteri licuisset? Hinc recte quidem Theodoretus quædam Apostoli ejusdem verba ad Philippenses ennarrans, *Comparem*, ait, *seu conjugem nonnulli stulte existimaverunt esse uxorem Pauli, non attendentes ea, quæ scripta sunt in Epistola ad Corinthios; quod scilicet se*

JESU CHR. AN. 56.

Hom. 2. in Job.

1. Cor. VII.

De Monogam. cap. 3.

Can. 2. Conc. Carth. 2.

Lib. 1.

1. Cor. VII.

In Epist. ad Philipp.

JESU CHR. AN. 56. *se retulerit in numero Cœlibum: Dico enim his ; qui matrimonio juncti non sunt, & viduis: Bonum si permanserint, sicut ego: quod si non contineant, nubant. Et clarum quidem est ; quod sive esset cœlebs, sive viduus, uxorem non habebat: uxorem nunquam duxisse verius est.* Non ignoramus profecto Ignatii Martyris testimonium, quo fertur Petrum, & Paulum, & alios Apostolos nuptiis operam dedisse: fatemur ultro Clementem Alexandrinum ex Epistola 1. ad Corinthios cap. 9. collegisse Paulum uxoratum fuisse, atque idem quoque de Philippo Apostolo litteris prodidisse: *An etiam*, inquit, *reprobant Apostolos? Petrus enim, & Philippus filios procrearunt: Philippus autem filias quoque suas viris tradidit. Et Paulus quidem certe non veretur in quadam Epistola suam appellare conjugem, quam non circumferebat, quod non magno ei opus esset ministerio: Dicit itaque in quadam Epistola: non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli.* Sed adversariis quoque vel invitis fatendum est Ignatii Epistolam allato loco corruptam fuisse; quidquid enim contra urserint Beveregius in notis ad Canonem V. Apostolorum, & Usserius in Prolegomenis ad Ignatium, notavit jampridem Baronius, nec quemquam hodie latet, in præstantioribus cum Græcis, tum Latinis Ignatii Codicibus, ne verbum quidem in Epistola ad Philippenses haberi de conjugio Pauli, aut ullius alterius Apostoli. Fatendum ipsis præterea Clementem perperam explicasse Pauli locum; & Philippum Diaconum oscitanter cum Apostolo confudisse. Animadvertit hoc jamdiu Isidorus Pelusiota; unde & Beveregius: *Philippum illum, qui quatuor habuisse filias dicitur actuum 21. cap. 9., non Apostolum, sed Diaconum fuisse probat Isidorus Pelusiota.* Alterum vero constat, cum ex Græco Pauli textu, in quo non legitur *uxor*, sed *sororem mulierem*, tum ex innumeris ferme Patrum testimoniis, qui Paulum non de uxore, sed de piis quibusdam feminis intelligendum affirmarunt, quæ ex communi illis temporibus Judæorum more Doctoribus, sacrisque præconibus adhærebant, eosque in itineribus sequebantur, mirante nemine. Ita certe locum illum exposuerunt Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophilactus, aliique Græci Doctores, quibus plane congruunt Occidentalis Ecclesiæ Patres. Horum agmen ducat Tertullianus: *Nec enim si penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres & uxores, pro consuetudinis facilitate.... ideo Paulum sic inter-*

Epist. ad Philadel.

Strom. lib. 3.

A. 57.

lib. 1. Ep. 447.

1. ad Cor. IX.

De Monog. cap. 8.

terpretabimur, quasi demonstret uxores Apostolos habuisse. Si de matrimoniis disputaret .... recte videretur dicere, non enim habemus potestatem uxores circumducendi sicut ceteri Apostoli & Cephas? At ubi ea subjungit, quae de victuaria exhibitione abstinentiam ejus ostendunt, dicens: non enim potestatem habemus manducandi & bibendi? non uxores demonstrat ab Apostolis circumductas; quas & qui non habent, potestatem tamen manducandi & bibendi habent; sed simpliciter mulieres, quae illo eodem instituto, quo & Dominum comitantes ministrabant. Tertulliano accedat Hieronymus: *Si autem nobis illud opposuerit ad probandum, quod omnes Apostoli uxorem habuerint: Numquid non habemus potestatem mulieres, vel uxores circumducendi.... Jungat & illud quod in Graecis Codicicibus est: numquid non habemus potestatem sorores mulieres, vel uxores circumducendi? Ex quo apparet eum de aliis Sanctis dixisse mulieribus, quae juxta morem Judaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum.* Ceterum etiamsi reliqui Apostoli reperirentur habuisse uxores sicut Petrus, non tamen colligi inde posset eos non fuisse continentes: Namque, Hieronymo eodem opportune animadvertente, *assumpti postea in Apostolatum relinquunt officium conjugale. Nam cum Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum: ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Respondit ei Dominus: amen dico vobis, quoniam est nemo, qui dimiserit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxores, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in seculo isto, & in seculo futuro vitam aeternam:* Quibus innuit Hieronymus non modo ex Petro, qui se omnia dimisisse fatetur, sed & ex Christo Domino, qui uxoris dimissionem laudat, aperte colligi Petrum, aliosque Apostolos, post adeptum Apostolatum continenter vixisse. Id autem est adeo perspicuum, ut vel ab ipsis Clericalis continentiae oppugnatoribus concedatur. Testem proferimus Basnagium: *Eruditissimo Dodwello*, inquit ipse, *alia stat animo sententia, nempe Apostolos suo jam munere ornatos, cum uxoribus consuevisse.... Nobis vero diversa potius insidet menti sententia. Scilicet Apostolos post illapsum Spiritus Sancti, omnem prorsus venerem abdicasse. Ac homines quidem esse nonnullos, qui seipsos castrarunt propter regnum Caelorum a Servatore dicantur; quem locum de Apostolis praecipue capiendum esse non dubitamus.* Quod

Adversus Jovinian. lib. 1.

Lib. 1. adv. Jovin.

To: 1. Annal. Dissert. 7. n. 1.

Jesu Chr. An. 56.

porro adversus Clericalem continentiam magnis clamoribus adducitur, primis nempe seculis uxoratos sacris ordinibus perfunctos fuisse, atque a Paulo statutum, ut unius uxoris vir in Episcopum eligeretur; est id quidem prorsus inane. Constat enim illorum temporum necessitate factum, quibus quia alii ætate, virtute & prudentia præditi non erant, qui tanto officio fungi possent, opus fuit ex maritis Diaconos, Sacerdotes, & Episcopos eligere: *Eliguntur*, inquit Hieronymus, *mariti in Sacerdotium, non nego: quia non sunt tanti virgines, quanti sunt necessarii Sacerdotes*. Admonet vero Chrysostomus non a Paulo illud dictum, *quod legis loco posuerit*; *sed quod errori ignoscebat*: Quod luculentius explicat hisce verbis Theophylactus: *Porro non ut legem sanciat, hoc dicit, quod omnino oporteat Episcopum uxoratum esse, qui enim istuc statuerit, cum alias dicat, volo vos omnes esse sicut meipsum? Verum quia tempus ista postulabat*. Constat rursus, penes Latinos saltem, nunquam iis licuisse post Ordines susceptos cum uxoribus consuescere; atque perpetuo cum Græcis, tum Latinis vetitum, ne qui sacros ordines suscepissent, uxores postea ducerent: Quod quidem plurimum valet ad Novatores refellendos, & ad cognoscendum quam nefarie Lutherus, Zvvinglius, Œcolampadius, Bucerus, aliique plures hujusmodi purioris, si superis placet, Ecclesiasticæ Disciplinæ instauratores, post susceptum Sacerdotium, sacrosque Ordines, novo prorsus & inaudito in orbe Christiano exemplo ad sacrilegas nuptias convolarint. At nullum, inquiunt, cœlibatus votum a Clericis, cum sacris Ordinibus initiarentur, tribus ferme prioribus seculis requirebatur. Verum quid inde? Quamvis enim demus Clericos iis temporibus continentiam expresse professos non fuisse; facile tamen intelligitur, tunc etiam ex communi usu sese tacite continentiæ lege obstrinxisse, qui ad sacros Ordines promoverentur. Sed neque ad Clericalis continentiæ disciplinam labefactandam quidquam magis pertinent, quæ ad ravim usque prolata scimus non superiore tantum, verum nostra hac ætate, & quidem non a Novatoribus modo, sed a plerisque etiam, qui summum in Rempublicam atque Ecclesiam studium verbis prætendunt, reipsa tamen sanctissima quæque pervertere velle videntur: Opponunt siquidem continentiam non omnibus cælitus elargiri, hancque nimium esse corruptæ naturæ difficilem, quam ut possit humanis legibus præcipi: Liberas, atque

1. ad Timoth. 3.

Loco citato.

Hom. 2. in Job.

In Cap. 3. 1. ad Timoth.

atque honorabiles esse Nuptias, & melius esse nubere, quam uri: Non itaque grave adeo Clericis jugum imponendum, ex quo innumera ferme scandala proficiscuntur. Id si fieret, fore, ut morum perversitate sublata, ea qua oportet sanctitatis laude Clerici præstarent, & nova prorsus, atque decora Ecclesiæ facies restitueretur. Denique inconsulta hac Cœlibatus Lege populi frequentiam vehementer imminui; quod dici vix potest quanto sit detrimento Reipublicæ. At enim quis eos ferat hæc vanissima prorsus confidenter adeo effutientes? Liberum est cuique quod magis libeat vitæ genus amplecti; eosque tantum, qui sponte sua in sacrum Ordinem adlegi postularent, continentiæ lege obstringendos Ecclesia censuit; neque ea sane caussa, quod a nuptiis, quas semper veluti sanctissimas commendavit, abhorrendum existimaret; sed pluribus, iisque gravissimis rationibus, quas principio explicavimus. Ne cui porro intolerandum jugum injiceret, probe sciens unumquemque *proprium donum habere ex Deo*; illos solum ad sacros Ordines assumi mandavit, qui re prius bene expensa ac deliberata, & divino lumine implorato, sese continentiæ dono præditos, atque ad ecclesiasticum statum vocatos a Deo intelligerent; qui bonum testimonium haberent; qui denique ita pietate, ac castis moribus essent conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possent expectari. Quo sane quid sanctius, atque consultius statui possit, equidem non video. Quamobrem, si quæ forte uberrimas inter, & pulcherrimas segetes exsurgunt interdum lolia; quæso animum advertant non Cœlibatus legi id vitio dandum; atque sanctissimis quibusque rebus sæpe homines per summam impietatem abuti, quæ tamen non ideo improbari, atque e medio tolli oportere nemo sanus existimaverit. Postremo nullum ex clericalis continentiæ disciplina reipublicæ detrimentum inferri est jam a multis scriptoribus copiose probatum, & sapientissimorum Principum exempla declarant, qui eam suis sæpe legibus confirmandam putarunt: atque sane arbitror istorum in procuranda republica negligentiam æmulandam potius, quam Novatorum obscuram diligentiam: *Sed & si quis*, inquit Justinianus, *inter Reverendissimos constitutus Clericos (ultra lectorem, aut cantorem dicimus) omnino contraxerit nuptias, hunc ex nostra constitutione cadere Sacerdotio constituimus, atque volumus*. Et iterum: *multo magis ergo cessent eorum conjugia*.

1. ad Cor. VII.

Novell. 22. cap. 42.

Authent. Cod. de Episcopis & Clericis.

JESU CHR. AN. 56. *jugia. Soli enim cantores lectoresque nuptias contrahere permittuntur. Aliis autem omnibus penitus interdicimus.*

Virginitas matrimonio præferenda.

20. Satis multa de Clericorum continentia. Redeamus ad Epistolam Pauli. Sciens itaque quantum Virginitas Matrimonio præstaret, ad eam omnes Apostolus vehementer hortatur: *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Quoniam vero hæc subobscura videri poterant, addit: *Dico autem non Nuptis, & Viduis; Bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego. Quod si non se continent, nubant; Melius est nubere, quam uri.* Et iterum; *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo autem hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.* Deinde Virginitatem cum matrimonio comparans prosequitur: *Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro:* Ac rursus: *Igitur & qui matrimonio jungit filiam suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.... Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* His, aliisque plane perspicuis, Virginitatis statum reliquis omnibus anteferendum esse Paulus judicavit; suamque de re tanta sententiam divini Spiritus testimonio datam obsignatamque, non modo Corinthiis, sed Catholicæ Ecclesiæ universæ tradidit promulgandam.

1. *AdCorinth.* VII.

Corinthii cultores virginitatis.

21. Quantum vero Corinthii Pauli Apostoli prædicatione, atque consiliis profecerint, ex his, quæ Tertullianus tradit, satis possumus intelligere. Quæ enim (ut prophetæ verbis utamur) erat arida, & sitiens, conversa in stagnum, & fontes aquarum; & in cubilibus, in quibus erant Dracones, viror calami, & junci exortus est. Ubi, inquam, præ ceteris Orientis Urbibus impurissima Venus tot nefandis libidinibus colebatur; ibi Paulo institutore, castissimis deinceps moribus, & sum-

Isai. 35.

& summa Virginitatis laude, incolæ floruerunt: *Hodie denique*, inquit Tertullianus, *Virgines suas Corinthii velant: quid docuerint Apostoli, quid didicerint, approbant*. Porro neminem esse puto, quem fugiat fuisse Velum Virginitatis insigne. At vero non Corinthii tantum, verum etiam eorum exemplo complures Græcorum, aliarumque gentium Ecclesiæ suas Virgines velare consueverunt; & quod Apostolus Corinthios primum docuerat, in ceteras Christiani Orbis Ecclesias est feliciter propagatum. Quamobrem ab eodem Tertulliano sunt hæc litteris prodita: *Consuetudini etiam consuetudinem opponam. Per Græciam, & quasdam Barbarias ejus, plures Ecclesiæ Virgines suas abscondunt. Est & sub hoc Cælo institutum istud alicubi; ne qui Gentilitati Græcanicæ, aut Barbaricæ consuetudinem illam adscribat. Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli, vel Apostolici Viri condiderunt, ut puto ante quosdam. Habent igitur & illæ eamdem consuetudinis auctoritatem, tempora, & antecessores opponunt, magis quam posteræ istæ*. Atque èo Virginitatis amor inter Christianos procesit, ut Cypriani temporibus, ipsomet teste, *illustrior portio gregis Christi Virgines haberentur*. Etenim *jam refertus est*, inquit, *orbis, impletus est mundus eorum, qui capere continentiam possunt, more spadonum viventes castrati ad regnum Dei: flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago, respondens ad sanctitatem Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illos, atque in illis largiter floret Ecclesiæ Matris gloriosa fœcunditas, quantique plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit*. Hæc, aliaque bene multa Cyprianus; cui plane congruit insignis alter Christi Martyr Justinus, qui multo antea in sua ad Antoninum Imperatorem Apologia de Virginum inter Christianos numero ita publice testatus fuerat: *Permulti profecto sexus utriusque, & sexaginta, & septuaginta nati annos, qui a pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti, & cœlibes perdurant: & glorior me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse*. Hinc pasim invenire est Virginitatem summis laudibus post Apostolos a Patribus celebratam; quorum testimonia in re jam satis explorata consulto prætermittimus. Si qui itaque Virginitatis institutum oppugnant, ii certe ad impurisimam Ebionis, & Joviniani Scholam

Tertull. de Virgin. Velan. cap. 9.

Tertull. eod. lib. cap. 2.

Cyprianus de hab. Virg.

JESU CHR. AN. 56.

lam attigisse perspicuum est; & vel ipsis Ethnicorum moribus, atque institutis refelluntur. Quanti enim vel ab ipsis gentibus virginitas æstimaretur, declarant sane Romanorum Vestales; quarum privilegia recenset Hieronymus. Quamquam illæ quidem a Christianis virginibus quam longissime aberant, uti jamdiu animadvertit Ambrosius in Symmachum.

Advers. Jovin. lib. 1.

De Matrimonii legibus. *1. ad Cor. VII. 10. seq.*

22. Posteaquam Paulus de Virginitatis præstantia dixit, mox conjugatorum officia persequitur: *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo; non dimittat illam. Et si qua mulier Fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa; non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Hæc de Conjugatorum officiis Apostolus, qui eadem ferme repetit in Epistola ad Ephesios; ubi Matrimonium & Magnum Sacramentum præterea appellat, & conjunctioni Christi cum Ecclesia comparat: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Quare jure quidem Majores nostri Matrimonium, inter fideles initum, Sacramentum dixerunt, & Ecclesia septem novi fœderis Sacramentis adcensendum decrevit. *Si lex Sancta est*, inquit Clemens Alexandrinus, *sanctum est Matrimonium. Sacramentum ergo hoc ad Christum, & Ecclesiam ducit Apostolus.* Augustinus vero: *In civitate Domini, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat uxorem suam alteri tradere.* Et alibi: *Usque adeo fœdus illud initum nuptiale cujusdam initi sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat.* Ac infra: *In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Chrysostomus quoque: *An non audis Paulum dicentem, quod Sacramentum sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit?* Nonnulli quidem Sacramenti vocem retulisse videntur ad conjunctionem Christi Domini cum Ecclesia; nihil id tamen impedit, quin & ipsum

Cap. V.

Matrimonium novæ legis sacramentum est.

Strom. lib. 3. prope finem.

Aug. de fide & opere cap. 7.

Aug. de bon. Conjug. cap. 7. & 18.

Chrysost. in Genes. homil. 56.

ipsum Matrimonium Sacramentum vere crediderint: Ea enim est Sacramentorum ratio, ut mysticam alterius rei significationem præseferant.

23. Coram Episcopo, aut Presbytero, vel a primis Christianorum temporibus initas esse nuptias admonet Ignatius Martyr, Apostolorum Discipulus: *Decet vero, ut Sponsi, & Sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiæ sint secundum Dominum, & non secundum cupiditatem*. Confirmat Tertullianus: *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio; & obsignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet; nam nec in terris filii, sine consensu patrum, rite ac jure nubunt*. Quin & alios Christianarum nuptiarum ritus alibi Tertullianus idem recenset: *Ad desponsationem velantur, quia & corpore, & spiritu masculo mixtæ sunt, per osculum, & dextras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritu, per communionem conscientiæ pignus &c.* Rursus Sacerdotali benedictione nuptias inter fideles conciliatas fuisse docet Concilium Carthaginense IV., a quo hæc statuta leguntur: *Sponsus, & Sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel a paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant*. Tertullianus vero testatur confirmatas fuisse *oblatione*, Sacrificio scilicet, quod in Nuptiarum celebratione a Sacerdotibus offerri consueverat, uti veteres rituales Libri præscribunt: Neque id sane mirum; quippe cum nec a Gentilibus sine sacrificio nuptiæ celebrarentur.

Matrimonium coram Ecclesia celebrandum, & a Sacerdote benedicendum.

Ignat. Epist. ad Polycarp. pag. 41.

Tertull. ad Uxorem lib. 2. in fin.

Tertull. de veland. Virg. cap. 11.

Concil. Carthag. 4. can. 13.

24. Contrahebantur porro sponsalia anuli traditione, quem Sponsus, arrhæ nomine, Sponsæ dabat, quemque digito ipsa postea gerebat. Meminit hujusce ritus inter ceteros Clemens Alexandrinus, qui signa quoque memorat, quæ in Christianorum anulis exculpebantur: *Sint nobis signacula, Columba, Piscis, vel Navis, quæ celeri cursu a ventis fertur; vel Lyra musica, qua usus est Polycrates; vel anchora, quam insculpebat Seleucus; & si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque Idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere prohibitum est. Sed nec ensis, vel arcus iis, qui pacem prosequuntur; nec pocula iis, qui sunt moderati & temperantes*. Ceterum non omnium, quæ Christianorum anulis insculpi solebant, Clemens meminit.

De anuli traditione.

Clem. Alex. pedag. lib. 3. 12.

JESU CHR. AN. 56.

nit. Ex pluribus enim veterum Christianorum gemmis anulisque, qui adhuc supersunt, intelligimus Christi plerumque Monogrammate, Crucis signo, Boni Pastoris Imagine, Anchora, Pisciculis, aliisque pluribus Symbolis insigniri consuevisse. De his consulat, qui velit, antiquitatum Christianarum tractatores, qui & de variis anulorum usibus, & de Symboli cujusque ratione copiose diligenterque scripserunt.

Alia Apostoli monita Corinthiis data.

25. Pergit Paulus, & ne quis forte Religionis obtentu officio deesset, atque Christiana Religio res humanas turbare videretur; non Corinthios modo, sed fideles universos studiose admonet, ut in eo vitæ genere, in quo ad fidem a Deo vocati sunt, in posterum perseverent, sive in conjugio, sive extra conjugium, sive in libertate, sive in servitute, sive in alio quocumque; nec mutent omnino, nisi id magna atque honesta ratio suadeat: *Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed si potes fieri liber, magis utere: alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem &c.* Porro ad ea recte intelligenda, quibus præputium a Circumcisis non esse adducendum scribit, meminisse oportet curasse aliquando Judæos, ut præputium arte superinducerent. Rei testes habemus Libros Machabæorum, in quibus proditum Judæos quosdam, qui ad gentium ritus defecerant, *Ædificasse Gymnasia in Hierosolymis secundum leges nationum, & fecisse sibi præputia, & recessisse a testamento sancto.* Quin & Josephus de iisdem, *adduxerunt*, inquit, *sibi præputia, ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles.*

1. ad Cor. 7. 17.

Lib. 1. Machab. 1. Joseph. Antiq. L. 12.

Fidelium sumptibus alendi sunt Dei Ministri.

26. Post hæc, communibus fidelium sumptibus alendos esse Ecclesiæ ministros fuse declarat Apostolus. Etenim cum ipse ad omnem offendiculi occasionem præcavendam, necessaria sibi, & his qui secum erant, manuum suarum labore ac ministerio comparare instituisset; ne quod privati consilii sui, eximiæque virtutis erat, alieno cederet detrimento, suoque exemplo præsentes futurosque Ecclesiæ ministros obstringere, ac fideles ab omni vicissim obligatione solvere videretur; rem non suis moribus, sed juris censura statuendam edicit. *Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? ... Quis militat*

1. ad Cor. 9.

tat suis stipendiis unquam ? quis plantat vineam , & de fructu ejus non edit ? quis pascit gregem , & de lacte gregis non manducat ? Atque hæc quidem eo Paulum attulisse constat, ut quæ Evangelicis Ministris alendis deberentur , naturali præsertim urgente jure , præstanda probaret . Si enim nihil tam est naturale , quam ut militi stipendia , vinitori , ac pastori suæ operæ fructus debeantur ; longe potiori jure id sibi vindicant Ecclesiæ ministri : Quare pergit Apostolus : *Si nos vobis spiritualia seminamus , magnum est , si nos carnalia vestra metamus ?* Hoc naturalis Juris fundamento constituto , utriusque Testamenti Tabulis eamdem rem adhuc Paulus confirmat . *Numquid secundum hominem hæc dico ?* (secundum scilicet humanam rationem , quam natura ipsa edocuit ejusmodi legem servare) *An & lex hæc non dicit ! Scriptum est enim in Lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti . Numquid de bobus cura est Deo ? an propter nos utique hæc dicit ? Nam propter nos scripta sunt ; quoniam debet in spe , qui arat , arare , & qui triturat , in spe fructus percipiendi .... Nescitis , quoniam qui in Sacrario operantur , quæ de Sacrario sunt edunt ; & qui Altari deserviunt , cum altari participant ?* Ne quis vero obsoleta hæc forte crederet , & veluti veteris testamenti cæremonialia ac judicialia , nova Christi lege abrogata , illico subdit : *Ita & Dominus ordinavit iis , qui Evangelium annunciant , de Evangelio vivere :* Quibus profecto verbis Christi factum ostendit , qui Discipulos suos ad Evangelium nunciandum missurus , præcepit ne quid secum afferrent , nihil enim ipsis defuturum : Quidquid penes hospites invenirent , eo vescerentur , dignus quippe mercede sua operarius : *In eadem domo manete , edentes , & bibentes quæ apud illos sunt ; dignus est enim operarius mercede sua .* Quibus omnibus luculenter quidem declarat Apostolus , utriusque Legis auctorem Deum , perpetuum hoc tum in Synagoga , tum in Ecclesia statuisse , ac confirmasse præceptum , quod antea uti humanæ naturæ conditor omnium animis inditum ac veluti inscriptum promulgaverat . Et sane hac naturæ lege clamante excitus , Melchisedecho Sacerdoti *Decimas ex omnibus dedit* Abrahamus ; eademque inducti Græci , Romani , & Barbaræ quæque gentes , vel inter Idololatriæ tenebras , Sacrorum Ministris omnia præstiterunt , quæ ipsis alendis , ceterisque religiosis sumptibus abunde sufficerent ; & Decimas vel perpetuo , vel ob singulares quosdam , & frequentes admodum rerum eventus ,

Lucæ x. 7. & Matth. x. 10.

Genes. xiv. 20.

Jesu Chr. An. 56.

tus, in Deos suos conferre consueverunt, uti pluribus veteris historiæ monumentis, a quibus in re satis explorata consulto abstinemus, proditum est. Cum itaque persuasum perpetuo fidelibus fuerit, naturali divinoque jure statutum esse, ut pro suis quisque facultatibus Ecclesiæ ministros aleret, summa erga eos liberalitate per plura secula usi sunt; donec primævo pietatis fervore frigescente, tota res ad Decimarum solutionem redacta fuit, atque illa, quæ nunc obtinet, disciplina constituta. Etenim vel ab ipso Evangelicæ Legis exordio bonorum suorum pretium ad Apostolos deferebant, & facultatibus universis Ecclesiæ hilariter tributis, ea alimentorum subsidia, quæ præstare ipsi Sacerdotibus debuissent, ab his sibi suppeditari mallebant. Deinceps vero effusas adeo ipsorum oblationes fuisse constat, ut non modo Ecclesiarum ministri, sed pupilli, viduæ, ægrotantes, peregrini, in carcere detenti, & ad metalla Religionis caussa damnati, copiosissime alerentur; Templa quoque pretiosa supellectili essent instructa. Unum e multis testem profero Tertullianum: *Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria summa quasi redemptæ religionis congregatur.... Non epulis inde, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris, ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, jam otiosis. Item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Tertulliano accedat Prudentius, qui Præfectum Urbis hæc Martyri Laurentio exprobrantem adposite atque eleganter inducit:

Apolog. cap. 39.

Prudent. de Coronis Hymn. 2.

Hunc esse vestris Orgiis
Moremque, & artem proditum est,
Hanc Disciplinam fæderis,
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis Sacris
Adstare fixos Cereos.
Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia &c.

Neque

Neque vero mobilia solum, sed immobilia etiam bona ex fidelium munificentia, Ethnicis adhuc imperantibus, ad Ecclesiam pertinuisse, Constantini, & Licinii Augustorum edicta potissimum declarant. Namque in Constitutione, Mediolani data, hæc inter cetera Præfecto Prætorii mandata legimus = *Hoc autem amplius in gratiam Christianorum decernimus, ut loca ipsorum, in quibus antehac convenire consueverant; .... Si quis aut a fisco nostro, aut ab alio quopiam ea emisse visi fuerint, ipsis Christianis absque ulla pecunia, & sine repetitione ulla superadjecti pretii incunctanter ac sine ulla ambage restituant; & si qui eadem loca dono acceperint, ut ea protinus Christianis reddant .... Quæ quidem omnia protinus sine ulla dilatione corpori Christianorum restitui, tua cura ac diligentia oportebit. Et quoniam iidem Christiani non solum loca, in quibus convenire solebant, sed etiam alia possedisse noscuntur, quæ non privatim ad singulos ipsorum, sed ad jus corporis pertinerent; hæc omnia post legem a nobis memoratam, absque ulla dubitatione iisdem Christianis, hoc est cuilibet Corpori, & Conventiculo ipsorum restitui jubebis*: Et rursus in altera ad Anulinum Constitutione: *Jubemus, ut simul atque has literas acceperis, si quæ ex illis, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam per singulas Civitates, aut in aliis locis pertinebant, nunc a Decurionibus aut quibuslibet aliis detinentur, confestim illorum Ecclesiis restitui facias.... Cum ergo perspiciat devotio tua hujus nostræ jussionis manifestissimum esse præscriptum; operam dabis, ut sive horti, sive ædes, seu quodcumque aliud ad jus earumdem Ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quantocius restituantur*. Pace autem Ecclesiæ facta, & Evangelii luce longe lateque sub Christianis Imperatoribus propagata, plura, eaque amplissima latifundia Ecclesiis ubique attributa fuisse, exploratissimum est, & suis opportune locis postea demonstrabimus.

JESU CHR. AN. 56.

Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. x. cap. v.

27. Porro cum Paulus forte cognovisset feminas Corinthi nudo capite in Ecclesias prodire, id vehementer eas dedecere scribit, hortaturque ut velatæ ad publicas orationes accedant: *omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum*. Non idem certe utique fuit inter gentes habitus mulierum in publicum, cœtusque prodeuntium; apud plerasque tamen ingenuæ, ac virgines modestissimæ ac velatæ prodibant. Et de Judæis quidem testatur Tertullianus: *apud Judæos tam solemne est feminis eorum velamen capitis*, *ut*

Mulieres velato capite in Ecclesia sint.

1. ad Cor. xi.

Tertull. de coron. milit.

Jesu Chr. an. 56. Valer. lib. 6. c. 3. de sever. 13. Tacit lib. 14. Apul. de asin. aur. lib. 11. Tertull. de veland. virg. cap. 17.

ut inde noscantur. De Romanis Valerius Maximus: *Horridum quoque Sulpicii Galli maritale supercilium; nam uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognoverat*. Tacitus item hæc de Poppæa Sabina memorat: *Rari in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat*. De Græcis Apulejus: *Mulieres candido splendentes amicimine*. De Arabibus Tertullianus; *Judicabunt nos Arabicæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput tantum, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint dimidia frui luce, quam totam faciem prostituere*. At-enim Apostoli monitis non Corinthii modo, sed omnes vulgo Ecclesiæ deinceps obtemperarunt, in id sedulo incumbentes, ut feminæ scilicet ea qua decet modestia in Ecclesiis præsertim interessent. Quamobrem Clemens Alexandrinus eas non solum velamine caput tegere, sed eodem in frontem promisso vultum obumbrare jubet; Tertullianus vero in illas vehementer invehitur, quæ sanctam adeo velaminis disciplinam penitus negligebant, vel callide eludere conabantur: *Mitris*, inquit, *& lanis quædam non velant caput, sed conligant, a fronte quidem protectæ, qua proprie autem caput est, renudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures usque demissis, cerebro tenus operiuntur. Misereor, si tam infirmo auditu sunt, ut per tegmen audire non possint*. Et paullo post: *Quantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter psalmos vel in quacumque Dei mentione retectæ perseverant? Meritone etiam quæ in oratione ipsa facillime fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, & tectas se opinantur?* Hæc, & alia plura Tertullianus; quibus ferme similia passim in SS. Patrum Libris occurrunt.

Pædag. lib. 2. cap. 10.

De Velandis Virg. cap. 16.

ut sup.

De Virginum Velo.

28. At-enim hæc de communi tantum mulierum velamine accipienda sunt; sacri enim veli, quo Virgines utebantur, quæ sese Deo dicabant, alia longe ratio fuit. Etenim crassiori tela contexum fuisse innuere videtur Ambrosius: *Attollant mentis, & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, consilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen usu*. Præterea solemni ritu ab Episcopo benedictum, certis diebus ipsarum capiti fuisse ab eodem impositum, plurima superiorum temporum monumenta declarant: Hinc illa Hieronymi ad Demetriadem: *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operuerit caput*;

Ambros. epist. 98. n. 12.

Hieron. epist. 130.

Cur

Jesu Chr. an. 56.

Cur autem id fieret, ita explicat Basilius: *Testes autem hujusce propositi adhibendi sunt Ecclesiarum Præfecti, ut ipsorum opera, & corporis sanctimonia, veluti res quædam sacra, Deo dedicetur, & firma sit hæc actio per testimonium*. Cum vero a suscepto Virginitatis proposito recedere nefas esset, perfecta tantum & absoluta ratione illam profiteri licuisse ab eodem Basilio proditum est: *Tunc admittenda est Virginitatis professio, quæ jam firma sit, & quæ ab ipsorum sententia, ac judicio proficiscatur, jam perfecta & absoluta ratione; post quod tempus, (non amplius res indifferens est, & consilii tantum) sed & præmia, & pœnæ peccantibus, aut recte facientibus ab æquo Judice pro operum merito decernuntur*. Quæ porro ab Episcopis velatæ sese Domino vovissent, nubere Christo dicebantur: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi despondisti maturitatem tuam, incede secundum Sponsi tui voluntatem* Hæc Tertullianus. Optatus vero: *Spirituale*, inquit, *nubendi hoc genus est... spirituali Sponso solverant crinem, jam cælestes celebraverant nuptias*. Et Innocentius I. Romanus Pontifex: *Quæ Christo spiritualiter nubunt, & a Sacerdotibus velantur*. Quamobrem si a Virginitatis proposito forte recessissent, veluti adulteræ habebantur, teste Cypriano, aliisque Patribus. Neque solum velo, sed & habitu virgines Deo dicatæ a ceteris mulieribus distinguebantur; nigris enim ut plurimum vestibus, pallio etiam, viliorique cultu usas fuisse testatur præ ceteris Hieronymus: *Vili tunica*, inquit, *induitur, viliori tegitur pallio*; & ad Marcellam: *Pulla tunica minus, cum humi jacuerit sordidatur*. Ex eodem Hieronymo præterea intelligimus, quarumdam Ecclesiarum, Syriæ præsertim, & Ægypti, moribus inductum fuisse, ut cum Virgines, tum Viduæ, quæ sæculo nuncium dixissent, *Crinem Monasteriorum Matribus offerrent desecandum, non intecto postea, contra Apostoli voluntatem, incessuræ capite, sed ligato pariter, & velato*. Atque id quidem non temere, sed sancte prudenterque usu receptum ostendit.

Basil. in Reg. fusior. cap. 15. p. 357. tom. 2.

Basil. l. c.

Virgines Christi Sponsæ dicebatur. *Optat. lib. 6.*

Innoc. epist. ad Vitricium apud Coutan. pag. 754.

Cypr. de hab. Virg. epist. 4.

Ad Demetr. epist. 129. n. 5.

Ad Marcel. epist. 138.

Hier. epist. 147.

29. Atque ex his facile intelligitur quam immerito Novatores Catholicæ Ecclesiæ morem improbent, quo Virgines Deo solemniter devotæ crinem desecandum, ut Hieronymi verbis utar, offerre jubentur. Si etenim naturæ legibus, vel Pauli præceptis, ut ipsi perperam contendunt, hujusmodi consuetudo adversaretur, non eam certe Majores a primis usque

JESU CHR. AN. 56.

ad Cor. 11. Mos tondendi Virgines vindicatur.

usque Christianismi temporibus induxisset. Et sane, si quis vel paullum ad ea, quæ Apostolus de feminis non tondendis scribit, animum advertat, vel de mulieribus viro junctis tantum dicta quamvis invitus cognoscet; vel eo solum consilio scripta, ut ostenderet quam maxime decere, ut feminæ, quas natura crinibus quodammodo velavit, cooperto capite incedant. Ceterum nunquam ipsis vetitum, ne justa intercedente caussa comam abjicerent. Quapropter si Virgines, quæ sese Christo devovent, & sacro caput velamine obducunt, capillos, quibus non amplius indigent, Religionis caussa deponunt, id jure quidem, recteque faciunt; & qui Romanam ideo Ecclesiam reprehendunt, ii certe summam optima quæque carpendi libidinem produnt. Cum vero Gangrensis Concilii Canonem jactanter opponunt, quo statuitur, ut, *si qua mulier propter eam, quæ sic existimatur, pietatem tondeat comam, quam Dominus ei dedit ad recordationem subjectionis, ut quæ subjectionis præceptum dissolvat, Anathema sit*; improbe, vel imperite quidem opponunt. Admonuit namque Sozomenus ab illius Synodi Patribus perculsas fuisse hæreticas quasdam feminas, quæ maritis pietatis obtentu dimissis, & capite detonso, virilibus indutæ vestibus incedebant.

Histor. lib. 3. cap. 13.

De Christianorum Ecclesiis, corumque nominibus. *1. Corint. 11.*

30. Ad extremum de sacris Corinthiorum Conventibus scribit Apostolus, atque inprimis queritur illos in Ecclesiam convenientes ab invicem dissidere: *Primum quidem, convenientibus vobis, in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos &c.* Ex quo potissimum intelligitur, vel ipsa Apostolorum ætate certa quædam loca fidelibus non defuisse, divino cultui destinata, in quæ Religionis caussa coirent. Et principio quidem in domibus earumque Cœnaculis sacros habuisse cætus constat indubiis illorum temporum monumentis; verum non multo post, certa ad id tantum loca fuere constituta, quæ modo *Ecclesias* dixerunt, quod in iis fideles congregarentur; modo *Templa*, vel *Dominica*, quod Domino dicata essent, vel Dominicam ibi cœnam fideles celebrarent; modo aliis, atque aliis nominibus appellarunt. Non equidem ignoro quosdam magni inter Heterodoxos nominis fuisse, qui statuerunt Christianos tribus prioribus seculis istiusmodi distincta cultus divini loca non habuisse. Verum non me latet etiam ipsos nec illud esse assequutos, ut singularem prorsus sententiam suis omnibus persuaderent. Longum nimis esset de hac re disputare; quo-

Act. 1. & 12.

quocirca consulat qui velit Binghamum, ex nostris vero Mamachium potissimum, & Robertum Sala in suis ad Card. Bonæ Rerum Liturgicarum Libros eruditissimis observationibus: Hi enim Ecclesiarum Antiquitatem ab adversariorum objectionibus docte diligenterque vindicarunt.

JESU CHR. ANN. 56.

Orig. lib. 8. cap. 1. §. 13.
De Costumi de primitivi Cristiani lib. 1. cap. 4. §. 2. Jo. 2. p. 39. seq.

De Structura Ecclesiarum:

31. Porro primis Christianismi temporibus Ecclesiarum faciem ad Orientem respexisse, aperte testantur Tertullianus, & Auctor Clementinarum, aliique Scriptores: *Nostræ Columbæ*, ait Tertullianus, *domus simplex, etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem: amat signum Spiritus Sancti Orientem Christi figuram*: Auctor vero Clementinarum: *Primum sit longa, & ad Orientem conversa*. Confirmatur præterea ex illarum Ecclesiarum forma, quas Constantini ævo extructas, & ad Orientem solem conversas fuisse scimus; vero enim perquam simile videtur Christianos, reddita Ecclesiæ pace, non aliam sacrarum ædium formam induxisse, quam quæ ante Diocletiani persecutionem a majoribus usurpabatur. Hinc Paulinus Orientem versus Ecclesias sua ætate ædificatas fuisse tradit; idque ea præsertim de caussa, ut scilicet Hierosolymitani Templi similitudinem quamdam præseferrent. Illarum autem hæ præcipuæ partes fuerunt: Porticus, Atrium, Sancta, ac demum Sancta Sanctorum, quæ singulæ diversis ordinum officiis erant accommodatæ; nimirum in porticu, & atrio stabant pœnitentes, aliique, quibus ad Ecclesiam non patebat aditus; in Ecclesia populus diversis in classibus distinctus; Tandem in Sancta Sanctorum Episcopus unacum Sacerdotibus, aliisque Ecclesiæ Ministris, cum Sacra Mysteria peragerentur. Ejusmodi formam exhibent quarti Seculi Ecclesiæ, quæ Romæ adhuc perseverant; atque eamdem prorsus fuisse veterum Ecclesiarum in Oriente structuram prodit Eusebius, ubi Ecclesiam Tyri a Paulino Episcopo, aliamque a Constantino Imp. Hierosolymis ædificatam describit. Idem quoque colligimus ex Gregorio Nazianzeno. Memorat præterea Nolanorum Episcopus Paulinus Ecclesias suo tempore hinc inde cubicula quædam habuisse, quæ *secretis orantium, vel in lege Domini meditantium, præterea memoriis religiosorum ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos* præberent. Duo quoque circa Apsidem Pastophoria in eisdem fuisse apud Pseudo-Clementem legimus, quæ *Secretaria* a Paulino nuncupantur; qui horum usum ita declarat:

Tertull. advers. Valent. lib. 2.
Clemen. Const. lib. 2. 57.
Paulin. epist. 32.
Apud Ciampin. de Basilicis Constantinianis.
Euseb. hist. lib. 10. 4.
Euseb. in vit. Constant. l. 3. cap. 34., & seqq.
Gregor. Nazianz. orat. in fun. patris.
Id. epist. 32.
Clem. Const. lib. 2. 57.
Paulin. ut supra.

A dex-

JESU CHR. AN. 56.

A dextra Apsidis
Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

A sinistra ejusdem
Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens, sacris intendere libris.

Fontes præ foribus Ecclesiarum. *Euseb. hist. lib. 10. 4.*

32. Præ foribus Ecclesiarum fontes extitisse, antiquorum plures testantur. Eusebius de Tyrio Templo hæc habet: *Deinceps fontes ex adversa fronte Templi profluenti aqua redundante positi, quibus omnes, qui in sacros templi ambitus introeunt, sordes corporum abluant: qui fontes Sacrosancta baptismatis lavacra repræsentant. Atque hic locus, in quo singuli introeuntium primum, ut se lavent, morantur, sicut cuique ornatum, & splendorem affert, sic illis qui primis fidei principiis instituendi sunt, mansio percommoda est, ad acquiescendum.* Paulinus autem pluries ejusmodi fontium meminit: Etenim de Vaticanæ Basilicæ fonte hæc ad Pammachium scribit: *In vestibulo cantharum ministra manibus, & oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solito ære tholus ornat, & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens: decet enim ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod mysterio salutari geritur, spectabili præ foribus opere signetur.* Ad Severum vero de alio:

Paulin. Nolan. epist. 13. Manus ante preces abluendæ.

Paul. ut sup. & epist. 32.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro;

Alterum rursus memorat in Natali decimo sancti Felicis. E Judæorum porro ritibus, qui nonnisi lotis manibus adorare consueverunt, hanc consuetudinem, uti & alias plures, Christiani accepisse videntur.

Purificatio apud gentiles usitata.

33. At-enim cum naturalis instinctus doceat nonnisi puros ad Deum accedere oportere, mundosque numini supplicare; factum inde novimus, ut apud Gentiles quoque usu receptum esset sæpius se aqua mundare, antequam templa adirent, ut Numina adorarent. De Ægyptiis, & Græcis id testatur Herodotus in Euterpe; De Romanis Persius his versibus:

Pers. Satyr. 2.

Hæc

Jesu Chr. an. 56.

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Tradit etiam Tullius adspersione aquæ labem corpoream tolli, & castimoniam corporis præstari: Sed & illud notum. *Tull. lib. 1. de legib.*

Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Tibull. lib. 1. eleg. 2.

34. Sed quod ad Christianos attinet, consuevisse eos ante precationem manus abluere, juxta Apostoli monitum: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*, non tantum quæ diximus plane demonstrant, sed & antiqua Ecclesiasticorum scriptorum testimonia confirmant. Nam & Pseudo-Clemens hortatur Christianum, ut lotus oret: & Tertullianus hoc ipsum innuit, ubi ait: *Ceterum quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire*. Denique moris ejusdem testes sunt Patres, quorum loca, brevitatis causa, prætermus, dum eos sæpe arguunt, qui lotis manibus, sed immunda, & sauciata conscientia, aut Ecclesias ingrediebantur, aut sacris mysteriis participabant. Hoc tantum adnotamus ex hujusmodi lotionibus illius ritus originem esse repetendam, quo Fideles aqua a Sacerdote benedicta adsperguntur, aut signo Crucis se signant, dum Ecclesias orationis caussa ingrediuntur.

Christiani ante orationem manus lavabant. 1. Tim. 2. *Clem. lib. 8. Const. cap. 38. Tertull. de or. cap 11.* *Chrysost. in Joan. homil. 27. in Matth. 52. ad Popul. Antioch. 37.*

35. Principio quidem Ecclesiarum ornatum, & supellectilem simpliciorem fuisse, & præter vasa, vestesque ad sacra Mysteria peragenda, & sacros Codices, vix aliud in illis extitisse arbitramur. Verum ubi primum ornari cœperunt, plane credimus sacris eas imaginibus fuisse decoratas, quippe cum earumdem usum ac venerationem ab antiquissimis usque temporibus apud fideles viguisse ex indubiis veteris memoriæ monumentis intelligamus. Etenim præter æream Christi Domini Statuam, quæ perplura secula Paneade publice substitit, non Christi modo, sed & Apostolorum Petri, & Pauli imagines antiquitus efformatas se vidisse scribit Eusebius: *Nec vero mirandum est Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse; cum & Apostolorum Petri, & Pauli, Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque ætatem servatas in tabulis viderimus: Quippe prisci illi absque ullo discrimine*

De Ecclesiarum ornatu, & usu imaginum. *Euseb. lib. 7. 18.* *Euseb. ut sup.*

Jesu Chr. an. 56.

Imagines sacræ in Templis, & vasis sacris.

mine cunctos de se benemeritos Gentiles quadam consuetudine tamquam servatores colere hujusmodi honore consueverant. Gentilium porro nomine Christianos ex gentibus ad fidem conversos Eusebium designasse, nemo dubitat; penes quos tum Christi, cum Apostolorum Petri, & Pauli imagines extabant, longe ante ipsius ætatem tabulis depictæ, quas ob accepta a prototypis beneficia honore, ac veneratione prosequebantur. Præterea non solum ex Tertulliano discimus Christi Domini effigiem, Pastoris typum præseferentis, in sacris Ecclesiæ vasis depictam, vel insculptam fuisse; sed plurima atque ea sane antiquissima vitreorum vasculorum fragmenta e Cœmeteriis effossa adhuc supersunt, Christi Domini, Apostolorum, aliorumque SS. Imaginibus insignita. Denique eo ipso argumento, quo Novatores imaginum usum evertere conantur, easdem in Ecclesiis tertio ineunte sæculo depictas fuisse evidenter evincimus, auctoritate scilicet Canonis 37. Concilii Illiberitani, quo hæc habentur: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*. Quorsum enim Concilii Patres imagines in Ecclesiis pingi vetassent, si id nuspiam antea factum fuisset? Quod si eas deinceps in parietibus depingi Synodus prohibuit, id eo fortasse accidit, quod in earum veneratione abusus irrepserant, vel quod timerent Patres, ne vigente in Christianos persequutione, eædem imagines ludibrio essent Gentilibus; vel etiam ne Fideles adhuc in fide rudes non tam idola abjecisse, quam mutasse sibi persuaderent. Quamquam si Bellarmino, aliisque adsentiamur, non omnes eo Canone pictæ imagines, sed Dei tantum, & Sanctissimæ Trinitatis prohibentur. Namque Deus, & Sacrosancta Trinitas proprie coluntur, & adorantur; quæ utpote incorporea pingi ea ætate vetitum erat: *Deum incorporeum, & invisibilem nulla figura circumscribimus*, ajebat Origenes contra Celsum; quod ita eximie, uti solet, explicat Albaspinæus Aurelianensis Episcopus in Commentario ad eum Canonem: *De picturis, & tabulis, non vero de signis, aut Statuis hic agitur, & de picturis quidem non quibuslibet Sancti, & Martyris, sed quibus Deus ipse, ipsaque Trinitas repræsentaretur, illi siquidem non adorantur. Vetant igitur, Deum in parietibus depingi, ne scilicet quem Gentilibus, & Catechumenis immensum, omnipotentem, invisibilem, æternum, incomprehensibilem, spiritualem, corporis, & materiæ expertem, & immunem præ-*

Tertull. de pudic. cap. 7. & 10.

Bonarotti Museum Sac. Vatic.

Bellarm. lib. 2. de imagin. cap. 8.

Origenes contra Celsum lib. 7. circa finem.

prædicarent, eum ipsi Gentiles, & Catechumeni in ipsorum Ecclesiis, lineis, & coloribus circumscriptum, & comprehensum cernerent. Ne igitur divini Numinis majestas minueretur, & aliud de Deo depingeretur, quam prædicarent, & quem supra homines extollerent, humana specie depictum oculis objicerent, vetant ne in Ecclesia Dei Imagines suspendantur. Hæc ad Sanctorum Imagines nullatenus pertinent. Quocirca post Albaspinæum animadvertit Schelestratius, Canonem illum statutum fuisse pro Catechumenis potius, & Gentilibus, quam pro Fidelibus, & Catholicis. Hi enim scientes, Deum sub variis olim figuris apparuisse, ex imaginibus Deum sub illis formis repræsentantibus nullam falsam opinionem concepissent. Sed Gentiles, & Catechumeni audientes Deum a Christianis invisibilem, & incorporeum prædicari, humana figura depictum videntes, alienum quid ab ejus majestate collegissent: immo ignorantes Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, facile ex Picturis illis, Patrem in figura senis, Filium in figura viri, Spiritum Sanctum in figura Columbæ repræsentantibus, in notitiam summæ Divinitatis venissent, quam eis occultare studebat Ecclesia. Atque id quidem voluisse videtur Bona Cardinalis lib. 1. Rerum Liturg, cap. 16. cum scripsit Canonis sensum, *ex more illius seculi sollicite caventis, ne Religionis nostræ arcana Infidelibus proderentur, æstimandum esse*. Congruit Mendoza in suo ad eumdem Canonem commentario: *Ut vel Christi humanitatem, vel Patris, & Spiritus Sancti assumptam formam in parietibus depingi eo tempore Hispani Episcopi interdixerint, qui tunc nefas putarent, abstrusiora Trinitatis mysteria publicari*, ne id quod colitur, & adoratur, ab irrumpentibus quandoque in Ecclesia Gentilibus, & admissis quotidie Catechumenis, in parietibus depictum cerneretur, & disciplina arcani eo modo neglecta, sacratiora Religionis Catholicæ mysteria prophanarentur, & non initiatorum ludibrio exponerentur. Quare ex his patet a Patribus Illiberitanis nihil, quod Protestantibus faveat, sancitum, aut ullatenus peccatum; ut enim recte a Petavio observatum, imagines ex iis rebus sunt, quæ adiaphoræ dicuntur, hoc est, ad salutem non necessariæ, nec ad substantiam Religionis pertinent, itaut pro temporum, aut rerum circumstantiis, Ecclesia eas retinendas, aut ablegandas jubere possit; eaque ratione primis Ecclesiæ sæculis, cum Gentilium persequutio in Christianos vigeret, atque ex Gentilibus, ab Ido-

JESU CHR. AN. 56.

Schelest. de disc. arcani c. 6. art. 3.

Petav. lib. 15. de incarnat. cap. 14.

Jesu Chr. An. 56.

lorum cultu conversis, majori ex parte constaret Ecclesia; imaginum usus infrequens fuit. At reddita postea Ecclesiæ pace, novis, amplioribusque Templis extructis, Christi, Sanctorumque imagines multiplicatæ sunt, cum amplius idololatriæ periculum non esset, atque ad propagandam Christi fidem, Martyrumque memoriam celebrandam, fideliumque pietatem fovendam utile, ipso experimento compertum esset. Hinc factum est, ut quarto ineunte sæculo imaginum usus ubique in Ecclesiis invaluerit, uti, ne in re notissima pluribus immoremur, ex S. Paulino, & Prudentio manifeste colligitur. Paulinus enim in Epistola ad Severum venerandas Cuces, aliasque imagines in Apside Ecclesiæ depictas his verbis describit.

Nat. Alex. dissert. 21. Secul. cul. 3.

Paulin. Epist. 32.

Misticæ imagines pingi solitæ.

Pleno coruscat Trinitas mysterio.
Stat Christus, agno vox Patris cælo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit:
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ sunt, corona Apostoli &c.

& rursum de alia Cruce in eadem Basilica ad ingressum ex more picta hæc habet:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare Crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia. Tolle Crucem, qui vis auferre coronam.

Præterea in fontibus quoque dextræ, levæque porticus depictis Crucibus prodit hoc additum Epigramma:

Ardua florifera Crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.
Quæque super signum resident cæleste columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Et in apside Fundanæ Basilicæ eodem ferme argumento.

Sanctorum labor, & merces sibi rite cohærent:
Ardua Crux, pretiumque Crucis, sublime corona.
Ipse Deus nobis princeps Crucis, atque coronæ,

Inter

Inter floriferi cæleste nemus Paradisi,
Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in agno;
Agnus ut innocua injusto datus hostia letno:
Alite quem placida sanctus perfundit biantem
Spiritus, & rutila Genitor de nube coronat.
Et quia præcelsa, quasi judex, rupe superstat,
Bis geminæ pecudis, discors agnis genus, hædi
Circumstant solium; lævos avertitur hædos
Pastor, & emeritos dextra complectitur agnos;

Hæc Paulinus; Prudentius vero de martyrum imaginibus in parietibus depictis, & de Cassiano martyre hæc habet.

Erexi ad Cælum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri (miserabile visu!)
Confossa parvis membra figebant stylis.

Et in Hyppolito:

Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris;
Effigians tracti membra cruenta viri.

Neque tantum Christi, aut martyrum imaginibus Ecclesiarum Apsides, parietesque pingebantur, sed & historiis veteris, novique fœderis ad fidelium pietatem fovendam accomodatis; quemadmodum Paulinus meminit in nono, & decimo Natali S. Felicis: Quinimmo Augustinus, qui eodem seculo vixit, memorat in parietibus passim depingi consuevisse Christum, Petro ac Paulo hinc inde exstantibus; Et Abrahamum filium suum immolantem. Denique Martyrum fortissimos agones in Ecclesiis etiam pingi solitos, testantur Basilius, Gregorius Nyssenas, & alii complures, qui omnes eodem, quo Constantinus, seculo vixere.

August. de consens. Evang. lib. 1. cap. 10. Idem contra Faust. lib. 22. cap. 73.

Basil. or. in S. Barlaam. Gregor. Nyss. or. in Theod.

36. Porro cum de antiquis Ecclesiis agitur, non est prætereundum, ea ferme ratione qua in Templo Hierosolymi-

Distinctio locorum in Ecclesiis.

JESU CHR. AN. 56.

Joseph. lib.6.de Bello.
Philo de vita contempl.

lymitano distinctæ a viris feminæ consistebant, Sacerdotes a populo, atque a nuptis Virgines, uti monent Josephus, & Philo; Christianos quoque in Ecclesiis, cum sacri agerentur conventus, adfuisse: Rei testem proferimus Auctorem Clementinarum: *Ædes sit oblonga ad Orientem versa, ex utraque parte Pastophoria versus Orientem habens, & quæ Navi sit similis. In medio autem situm sit Episcopi solium, & utrinque sedeat presbyterium; adstent Diaconi expediti, ac leviter induti; ad alterum Ecclesiæ partem laici omnino quiete, & ordinatim sedeant; mulieres quoque separatim & ipsæ sedeant a sermone abstinentes. Medius autem lector in loco excelso stans, legat libros veteris testamenti ibidem recensitos, aut acta Apostolorum, vel epistolas; postea Diaconus, vel Presbyter legat Evangelium*: Deinde: *At Ostiarii stent ad virorum introitus, Diaconissæ verò ad mulierum*. De hac locorum distinctione notatu digna sunt Crysostomi verba: *Oportebat quidem interiore pariete a mulieribus disseparari. Verum quoniam non vultis, necessarium patres nostri putaverunt, saltem his ligneis parietibus vos disseparare*. Hinc Ambrosiaster ad Virginem lapsam ait: *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti*? Ejusdem rei meminit & Procopius: *Utramque latus duæ porticus ambiunt. Altera precantibus viris assignata, altera feminis*. Quamobrem apud Anastasium in Vitis Romanorum Pontificum sæpe legitur, eorum aliquos Oratorium, aut aliud aliquid ad Ecclesiæ ornatum fecisse in parte virorum, aut in parte mulierum.

Chrysost. hom. 74. in Matth.

Procop. de Ædif. Just. lib.1.

Anastas. in Symmac. in Greg. 3. & Serg. &c.

Pauperes extra Ecclesiam mendicare soliti. *Act. 3.*

Chrysost. hom. 28. ad Popul. Antioch.

37. Ecclesiarum foribus mendicantes adstabant, quod & de Templo Hierosolymitano legitur, ubi, teste Luca, ad portam, quæ Speciosa dicebatur, Claudum Petrus sanavit: *Propterea*, inquit Chrysostomus, *& ante Ecclesias, & Martyrum momumenta præ foribus pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis &c.* Ideo autem præ foribus stare jubebantur, ne importunis precibus, aut circumeundo molestiam orantibus, aut sacra facientibus afferrent. Ceterum orationis, aut Eucharistiæ sumendæ caussa ipsis quoque Templa ingredi licebat, eodem Chrysostomo teste: *Ad suam spiritalem mensam eos vocare, & illud communicare convivium non dedignatur, sed claudus, & mutilus, senex, & pannosus, sordidus, & mucosus, cum juvene pariter specioso, & ipso purpuram induto, & in capi-*

Homil. 28. ad popul. Antioch.

capite diadema gestante, futurus mensæ particeps venit, & spirituale petit convivium; & iisdem ambo fruuntur, nec ulla est differentia. JESU CHR. AN. 56.

38. In primitivorum Christianorum conventibus, postquam sacræ mensæ participassent, communia quædam convivia, vel ipsis Apostolorum temporibus celebrabantur, quæ a *Dilectione Agapas* græco nomine appellarunt: atque id quidem Christi ipsius exemplo, qui antequam Judæis, ac morti sese traderet, postremam cœnam Agaparum exemplar fecerat. Mensæ autem divites accumbebant, & pauperes, fratrum more, una Christi dilectione, seu *Agape* populum conjungente; ita ut communione sacri convivii, non tam animi, quam corpora hilaritatem conciperent, & promiscuum facerent caritatis usum. In piam hanc convivandi consuetudinem quosdam Corinthi irrepere cœpisse abusus Paulus cognoverat; quamobrem suum esse duxit Corinthios debiti officii monere, corruptosque eorum mores castigare: *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare; unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Quæ de hujusmodi veterum Christianorum Conviviis testimonia supersunt, congesserunt dudum, & præclare illustrarunt Christianarum Antiquitatum Tractatores: Præstantiora nos hic pro more delibabimus. Apud Tertullianum in primis hæc de Agaparum ratione occurrunt: *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim* ἀγάπη, *id quod est penes Græcos, dilectio. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, & lumina, ut quisque*

De Agapis Christianorum.

1. ad Corinth. XI.

Tertull. Apol. cap. 39.

JESU CHR. AN. 56.

que de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit; atque oratio convivium dirimit. Inde discedítur, non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ, & pudicitiæ; ut qui non tam coenam cænaverint, quam disciplinam. Hæc coitio Christianorum. Hujusmodi fere verbis usus est in aureo Libello Minutius Felix, Christianorum convivia ab calumniis vindicans; *Convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus*.

Minutius Felix Dialog. cum Octavio.

De diversis Christianorum Cœnis.

39. Porro hisce de Agapis in communi commemoratis, animadvertendum est alia etiam inter Christianos sacrorum Epulorum genera fuisse, nempe Natalitia, Funebria, & Connubialia, quorum meminit Gregorius Nazianzenus in carmine X. de diversis vitæ generibus, in quo ita de seipso canit:

Non aliquod sacrum epulum natale, sive funebre,
Sive connubiale; cum pluribus currens.

Theod. Evang. verit. lib.8. in fine.

A Connubialium disputatione consulto abstinemus; Natalitia vero dicebantur, quæ in memoriam Sanctorum Martyrum die ipsorum Natali in Ecclesiis celebrari consueverant, de quibus hæc Theodoretus: *At illos* (Deos scilicet Gentium) *deos cassos gloria vanosque reddidit, suis autem martyribus honorem illum dedit. Pro prandiis enim, & Diasiis, ac Dionysiis, hoc est Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque sanctis martyribus solemnitates populari epulo peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate, atque impudentia, fiunt modestæ, ac temperantia plenæ festivitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinis solutæ, sed divinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ*. Auctor quoque Commentariorum in Job, quæ Origeni tribui solent, ubi Festa in honorem Martyrum instituta commemoravit, hæc in rem nostram addit: *Celebramus nimirum Religiosos cum Sacerdotibus Conventus, fideles una cum Clero invitantes, adhuc egenos & pauperes, & pupillos, & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum momoriam celebramus; nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu Dei*.

40. De

40. De Funebri vero agape ita Chrysostomus : *Cur post mortem tuorum pauperes vocas ? cur presbyteros , ut pro eo velint orare , obsecras ? Non ignoro te responsurum : Ut defunctus requiem adipiscatur , & propitium judicem inveniat* . Copiosius vero Paulinus Nolanus in Epistola ad Pammachium : *Itaque patronos animarum nostrarum pauperes , qui tota Roma stipem meritant , multitudinem in aulam Apostoli congregasti . Pulchro equidem tanti operis tui spectaculo pascor . Videre enim mihi videor tota illa religiosa miserandæ plebis examina , illos pietatis divinæ alumnos , tantis influere penitus agminibus in amplissimam gloriosi Petri Basilicam , per illam venerabilem regiam cærula eminus fronte ridentem , ut tota , & intra Basilicam , & pro januis atrii , & pro gradibus campi spatia coarctentur . Video congregatos ita distincte per accubitus ordinari , & profluis omnes saturari cibis ; ut ante oculos Evangelicæ benedictionis ubertas , eorumque populorum imago versetur , quos quinque panibus , & duobus piscibus , panis ipse verus , & aquæ vivæ piscis Christus exposuit* . Sed & in Ecclesiarum dedicationibus Agapes celebratas fuisse ex Magno Gregorio intelligimus , cujus hæc sunt ad Petrum Subdiaconum verba : *Cellæ ipsius tenuitas exigit , debere nos in ipsa diei festivitate concurrere ; propterea volumus , ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus , in auro solidos decem , vini triginta amphoras , annonæ modios ducentos , olei orcas duas , verveces duodecim , gallinas centum , quæ tuis possint rationibus postmodum imputari* . Plures labente tempore in hujusmodi Agaparum consuetudinem abusus paullatim irrepsere , & luxus atque intemperantia in eas sensim inducta est : Quocirca sublatæ penitus fuerunt . Vulgatissimus est hac de re Synodi Laodicenæ Canon : *Non oportet in Dominicis , vel Ecclesiis Agapes facere* . Easdem Mediolani prohibuit Ambrosius , teste Augustino ; easque vix tolerandas censebat Paulinus :

De funebri Agape. *Chrys. in Matth. homil. 32. Paulin. ep. 13.*

Greg. lib. 1. ep. 56.

Agapæ ob abusus sublatæ. *Concil. Laod. can. 28. Aug. Confess. lib. 6. cap. 2. Paulin. in nat. S. Felicis.*

Verum utinam sacris agerent hæc gaudia votis ,
Nec sua liminibus miscerent gaudia Sanctis .

Augustinus etiam in Affrica abrogandas curavit , ut plures in eam rem ejusdem sermones testantur ; ibique tandem vetita omnino fuisse ex tertio Carthaginensi Concilio colligimus .

Concil. Carthag. 3. can. 50.

41. Postquam Paulus Corinthios arguit , quod minus recte ea peragerent , quæ cum ad sacram , tum ad communem men-

De Apostolico S. Liturgiæ ordine ,

JESU CHR. AN. 56. mensam, Agapas videlicet, pertinerent, hæc addit: *Cetera cum venero disponam*. Quænam hæc fuerint, quæ Paulus coram Corinthi postea dispofuit, nullibi constat; existimant tamen Patres Apostoli verba esse intelligenda de Missæ ordine, quem ex traditione Apostolica per universum orbem servat Ecclesia, quemque Paulus Corinthios oretenus docuerit. Etenim quamvis Christus Sacrificium instituisset, celebrassetque eo plane penitusque simplici modo, quem apud Matthæum, Marcum, & Lucam, atque in prima hac Pauli ad Corinthios Epistola descriptum legimus; præcepisset præterea discipulis, ut quod a se factum fuerat, idem & ipsi peragerent: constat tamen illum Apostolis, atque in eorum persona Ecclesiæ potestatem fecisse ea omnia in Augustissimi hujusce Mysterii cæremoniis constituendi, quæ illius dignitati, populorum pietati, variisque temporibus magis congruere judicarent. Dignus est, qui præ ceteris hac de re audiatur Augustinus: *Cum vero, ait Apostolus de hoc Sacramento loquens, propter quod fratres cum convenitis &c. Statim subtexuit: Cetera cum venero ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem per universum orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate varietur*. Et rursus eodem loco. *Numquid tamen*, inquit Doctor eximius, *propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur.... Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent...: Namque Salvator... ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur; ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset ut post cibos alios semper sumeretur, credo quod eum morem nemo variasset*. Quis autem fuerit Sacræ Liturgiæ ordo Corinthi a Paulo constitutus, idem Augustinus, illa ipsius Apostoli verba enarrans, quibus vult fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ita declarat: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut PRECATIONES accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: ORATIONES cum benedicitur & sanctificatur*,

1. Corinth. 11.

Epist. olim 118. nunc 54.

1. ad Timoth. 21.

Epist. olim 59. nunc 149. ad Paulinum.

tur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit... ideo in hujus Sanctificationis præparatione existimo Apostolum Paulum jussisse proprie fieri προσευχάς, idest, orationes... INTERPELLATIONES autem fiunt, cum populus benedicitur..., quibus peractis, & participato toto Sacramento, GRATIARUM ACTIO cuncta concludit. Hactenus Augustinus, a quo paucis delineatum habes sacrum Missæ Canonem, non modo qualis adhuc apud Catholicos in usu est; sed qualis in omni fere Ecclesia Augustini ætate a tam longo tempore usurpabatur, ut recte inde inferri posse putaverit, omnia hæc a Paulo instituta fuisse, & ordinata. Quoniam vero Hipponensis Episcopus hanc Pauli verborum expositionem non veluti certam, sed reliquis tantummodo anteponendam afferre videtur; inquit enim: *eligo in his verbis*, & paulo post: *existimo*; certius cognoscemus quæ fuerit Apostolorum Liturgia ex iis, quæ jam adulto seculo secundo scripsit Justinus Martyr. Quamvis enim ab Apostolorum ævo ad ipsius usque ætatem facile concedamus quædam in Missæ ordine facta fuisse additamenta; persuasum tamen habemus hæc nec tam multa fuisse, nec tam longa; cum Justinus non longo post Apostolica tempora intervallo Apologiam suam ediderit. Is enim, uti scite admonet Nourry, a proximis decessoribus suis, ex quibus non pauci Apostolos audierant, & viderant, accipere potuit, quæ qualisque fuerit, cui sæpius illi interfuerant, eorumdem Apostolorum Liturgia. Rursus per durissima persequutionum tempora Christianis non licuit in iis, quæ ab Apostolis acceperant, maxime vero in rebus Liturgicis, plurima addere, vel immutare. Adde postremo Christianos primis illis temporibus multo scrupulosius iis inhæsisse, quæ Apostoli scriptis suis, viva voce, exemplo, ac per manus tradiderant. Itaque brevem, sed pretiosam quidem Liturgiæ descriptionem a Justino concinnatam proferamus: *Solis*, inquit, *qui dicitur die, omnium sive urbes, sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, & Commentaria Apostolorum, aut Scripta Prophetarum leguntur quoad licet per tempus. Deinde ubi Lector desiit, is qui præest admonitionem verbis, & adhortationem ad res tam præclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus, & preces emittimus; atque, ut jam diximus, ubi desiimus precari, panis offertur, & vinum, & aqua; & qui præest preces, & gratia-*

Appar. ad Bibl. PP. T. I. Dis. 2. p. 24.

Just. Apol. 1, cap. 1.

JESU CHR. AN. 56. *tiarum actiones totis viribus emittit, & populus acclamat, amen; & eorum, in quibus gratiæ actæ sunt, distributio fit, & communicatio unicuique præsentium, & absentibus per Diaconos mittitur. Qui abundant, & volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur; & quod colligitur apud eum, qui præest, deponitur.* Verum de prima Pauli ad Corinthios Epistola quamvis pauca pro rerum dignitate & præstantia, plura tamen, quam hic oportere plerique fortasse judicabunt. Quamobrem e diverticulo in viam denique redeundum.

Neronis improbitas magis declaratur

42. Majora quotidie semper improbitatis suæ indicia dabat Nero Imperator. Nam nocte arrepto pileo, vel galero, Urbis vicos circumcursans, popinas inibat, venalia passim rapiebat, vulnera obviis infligebat, sæpe etiam accipiebat adeo, ut a Julio Montano prope ad necem cæsus fuerit. Quare nunquam postea, nocturno tempore publico se commisit, nisi subsequentibus procul, & occulte Tribunis; uti pluribus narrant Dio, Tacitus, Suetonius.

Tacit. lib. 13. Sueton. in Neron. cap. 26. Dio lib. 61.

Res Judæorum turbatæ.

43. Judaicam Gentem ad defectionem hoc tempore seditiosi, & Latrones incitabant, clamantes Romanorum jugum ultra ferendum non esse, vicosque a seditione abhorrentes, vastationibus vexabant. Cæsareæ quoque Judæos inter, & Syros de jure Civitatis contentio exorta est; Nam Judæi se Syris præstare contendebant, quod Urbis ejus Conditor Herodes Judæus genere fuerat: Quod etsi Syri non inficiarentur; affirmabant tamen Urbem, Stratonis Turrim dictam, ante Herodem extitisse, quam nullus Judæorum eo tempore incolebat. Hæc ubi a Præside cognita sunt, in omnes tumultus utriusque auctores animadvertit, seditionemque repressit. Verum cum hæc paullo post Judæorum audacia acrius exarsisset, nec quicquam se precibus a seditiosis assequi posse Felix cognovisset; armatos milites in eos immisit, multisque cæsis, plures captivos fecit, quorum domos divitiis refertas militibus diripiendas permisit.

Joseph. Antiquit. lib. 20. 6.

JESU

JESU CHRISTI AN 57. S. PETRI APOST. AN. 26.
ROM. PONT. AN. 15. NERONIS IMP. 4.
COSS. NERONE AUG. II. ET L. PISONE.
OLYMP. 209. AN. I. ANNO URBIS 810.

Ephesiorum tumultus adversus Paulum Apostolum. *Act.20.31.*

1. Triennium Ephesi Paulus Apostolus transegerat, uti Ephesios alloquens ipse testatur: *memoria tenete, quoniam per triennium nocte, & die non cessavi monere unumquemque vestrum*; atque dum ea in urbe adhuc hoc anno versaretur, *facta est*, inquit Lucas, *turbatio non minima de via Domini: Demetrius enim quidam nomine argentarius, faciens Ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum, quos convocans, & eos, qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: & videtis & auditis, quia non solum Ephesi; sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt. Non solum autem nobis hæc periclitabitur pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihil reputabitur, sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, & Orbis colit*. Hac Demetrii oratione excitati Ephesii, *repleti sunt ira*, subdit Lucas, *& exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est tota civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Cajo, & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli: quidam autem & de Asiæ Principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes. ne se daret in theatrum. Alii etiam aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa, & plures nesciebant ex qua causa convenissent. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat rationem reddere populo. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. Et cum sedasset Scriba turbas dixit: Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Jovisque prolis? Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere. Adduxistis enim homines istos neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices habent adver-*

Act.19.23.& seq.

Clamores Argentariorum

JESU CHR. AN. 57. *adversus aliquem causam; conventus forenses aguntur; & Proconsules sunt: accusent invicem. Si quid autem alterius rei quaeritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernae: cum nullus obnoxius sit, de quo possimus reddere rationem concursus istius. Et cum haec dixisset, dimisit Ecclesiam.*

De Templo Dianae Ephesiae. 2. Plurima quidem erant templa ab Ethnicis eo tempore Dianae dicata; omnibus tamen longe praestabat Ephesium, de quo haec Plinius: *Magnificentiae vero admiratio extat templum Dianae Ephesiae ducentis viginti annis factum a tota Asia: in solo id palustri fecere, ne terraemotus sentiret, aut hiatus timeret. Rursum ne in lubrico, atque instabili fundamenta tantae molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, dein velleribus lanae. Universi templi longitudo est 425. pedum, latitudo 225., columnae 127. a singulis Regibus factae, 60. pedum altitudine, ex iis 36. caelatae.* Sed & divitiis quoque refertum erat, namque ad ipsum Religionis causa ex tota Asia conveniebant, pecuniasque tanquam in tutissimo loco ibi reponebant; unde Plautus: *Bach. act. 2. Scena 3.*

Nos apud Theotimum omne aurum deposuimus,
Qui illic Sacerdos est Dianae Ephesiae,

Dio in Rhodios orat. 31. & Dio: *nostis*, inquit, *haud dubie Ephesios, apud quos multae pecuniae partim privatorum reconditae in Dianae Templo, non solum Ephesiorum, sed & hospitum, & hominum undequaque venientium, partim & populorum, & regum.*

Paulus Epheso excedit. 3. Postquam a tumultu cessatum est, *vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est, ut iret in Macedoniam*; ubi cum esset, paullo post secundam ad Corinthios Epistolam scripsit, qua gravissima sibi in Asia, seu Ephesi accidisse significat: *2. ad Corinth. 1.* *Nolumus, vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quae facta est in Asia; quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere.* Epheso itaque per minorem Asiam iter faciens, venit Troadem, indeque, cum Titum non invenisset, abiit in Macedoniam, uti in eadem secunda ad Corinthios Epistola testatur: *Cum venissem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum, sed valefa-*

Tillem. tom. 1. pag. 261. Estius praef. in hanc epist. Bar. 58. 36.

lefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, addit Lucas, *& exhortatus eos fuisset multo sermone, venit in Græciam*. Paucis quæ multorum mensium spatio gesta a Paulo sunt Lucas ennarrat; quocirca nos ex Pauli Epistolis ea distincte memorabimus. Itaque cum adhuc esset in Macedonia, venit ad eum Titus: *Sed qui consolatus est nos Deus in adventu Titi, non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem*. Incertus Apostolus quem Corinthiis sensum priore ad ipsos scripta Epistola induxisset, Titum, cui & Discipulum comitem nobis adhuc ignotum adjecit, Corinthum miserat, ut per illos omnia probe cognosceret: Quamobrem gavisus est vehementer ubi Titum Corintho redeuntem offendit, & Corinthios ab homine incesto jam discessisse, eleemosynas Jerosolymam mittendas rursus corrogare, res denique Corinthi Ecclesiæ bene cedere ab ipso coram accepit. Cum tamen simul intellixisset fidelium quosdam ab impudicitiis omnino non destitisse, nec deesse, qui Moysis legi obtemperandum dicerent, ipsumque Paulum Legis eversorem, hominem neque a Christo, neque a primis Apostolis missum, & Apostolatus munere non insignitum appellarent; ut his malis confestim occurreret, secundam Epistolam Corinthiis scripsit, eamque Tito deferendam commendavit, duobus fratribus eidem sociis adjectis, quos maximis laudibus extollit: *Gratias autem Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi: Quoniam exhortationem quidem suscepit; sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: Non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam.... misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse; nunc autem multo sollicitiorem confidentia multa in vos*. Frater hic, cujus postremo meninit Paulus, plerisque creditur Apollo; aliis est Epenetus, qnem memorat Epistola ad Romanos, vel Zenas, Sothenes, Silas. Quid magis libuerit quisque sentiat; nos enim in tanta rei obscuritate ignorantiam fateri malumus, quam quidquam temere adfirmare. Hoc tantum cum Calmeto adnotabimus, minime vero videri simile Paulum ita

JESU CHR. AN. 57.

2. ad Corinth. 7.

II. ad Corinth. VIII.

JESU CHR. AN. 571

ita de Apollo loquutum fuisse, quem Corinthiis notissimum sciebat. Nec paullo magis expedita res est de fratre altero, quem primum memorat Apostolus & comitem peregrinationis suæ ab Ecclesia ordinatum fuisse scribit: Diffident enim quam maxime Patres, Interpretes, aliique rerum Ecclesiasticarum scriptores. Ceterum illorum probabilior sententia videtur, qui cum Origene, Hieronymo, Sedulio, Primasio, aliisque plurimis Lucam fuisse existimant, cui adamussim sane congruunt, quæ Paulus litteris prodit. Quamvis enim sint, qui negent Lucæ Evangelium eo tempore fuisse descriptum, nihil tamen impedit, quominus Apostoli verba intelligamus de sola Evangelii prædicatione, cujus caussa per omnes Ecclesias Lucas laudibus celebraretur. Favent & Græca Scholia, quæ Tito Lucam adjungunt.

V. Estium & Calmetum ad hunc Pauli locum.

Quo loco secundam ad Corinthios Epistolam scripserit Apostolus.

4. Undenam alteram hanc ad Corinthios Epistolam Paulus scripserit, quæsitum est studiose, sed perperam fortasse hactenus, a multis. Sunt qui Troade datam velint; quidam vero Nicopoli, Philippis alii missam contendunt. Hoc certum quidem in Macedonia exaratam fuisse; legimus enim Paulum Ephe so, & Troade in Macedoniam appulsum, Titum Corintho regredientem invenisse. His litteris primo, ea, qua spoponderat, celeritate se Corinthum non venisse significat, ne in eorum quosdam, ægre quidem, sed gravissime animadvertere cogeretur: *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quia parcens vobis non veni Corinthum*: Deinde incestuosum, quem priori Epistola Satanæ tradiderat, absolvit, idque ut ipsi etiam ratum habeant, ita obsecrat: *Si quis autem contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos. Sufficit illi, qui hujusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundatiori tristitia absorbeatur, qui hujusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, & ego: Nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos, in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.* Quæ verba adeo clare demonstrant Apostolum reliquam Pœnitentiæ partem huic incestuoso Corinthio remisisse, ut ex illis exemplum pro Indulgentiis desumpserit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui lib. 12. in Joannem ad

2. ad Cor. 2.

De Indulgentia in Ecclesia concedi solita.

ad illa verba, *quorum remiseritis peccata*, postquam docuit remissionem in Ecclesia concedi per Baptismum, & Pœnitentiam, de postrema disserens, *Ecclesiæ*, inquit, *filios peccantes quidem increpant, pœnitentibus autem indulgent. Sicut Paulus olim fornicantem apud Corinthios in perniciem carnis tradebat, ut spiritus ejus salvaretur; recepitque rursus, ne majore submergeretur dolore*. Similia fere habet Chrysostomus. Exemplo itaque Pauli, & auctoritate sibi in Apostolis a Christo collata, vindicavit, & adhuc vindicat merito sibi Ecclesia, ut peccatoribus justa intercedente causa pœnas pro peccatis debitas indulgentiis remittat.

Antiquus Indulgentiarum usus.

5. Frequens hujusmodi Indulgentiarum in Ecclesia usus ipsis persecutionum temporibus vel ex eo aperte cognoscitur, quod qui Pœnitentiæ erant obnoxii, remissionem pacemque, quam secus in Ecclesia assequi non poterant, Martyrum & Confessorum meritis apud Dominum interpositis, eorumque precibus apud Episcopos perlectis obtinebant. Hinc Tertullianus Catholicus adhuc & Ecclesiæ Carthaginensis Presbyter cum plures quotidie videret lacrymis persusos pro reconciliationis pace carceres adire, & Martyres pro Indulgentia exorare, librum ad Martyres conscripsit, in quo bellum ipsorum cum Diabolo & Mundo pacem esse dixit: *Quam pacem*, inquit, *quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus exorare consueverunt: & ideo eam etiam prætterea in vobis habere, & fovere, & custodire debetis: ut si forte & aliis præstare possitis*. Plura habemus hac de re testimonia, potissimum in D. Cypriano, qui memorat Confessorum Epistolas, *quibus pacem lapsis quibusdam dari postulaverant*; Et rursus jubet lapsos vita periclitantes, si libellos a Martyribus acceperint, in communionem recipi, *ut*, inquit, *veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt*. Frequentissime autem petitos tunc a Martyribus fuisse hujusmodi libellos, & quotidie libellorum millia data fuisse, prodit idem Cyprianus in Epistola ad Clerum Romanum, a quo, uti & ab electo postea Pontifice Cornelio, idem omnino de lapsis tempore mortis ob Martyrum libellos in communionem recipiendis statutum legimus. Cum vero Martyres quidam in pace suo nomine concedenda excederent interdum, nec lapsos mitterent ad Episcopos, per quos facta Exomologesi communioni debebant restitui, uti pluries queritur Cyprianus; atque res eo esset adducta, ut plebejorum plerique crederent se solis Martyrum litteris

Epist. x. Baluz. Edit. Epist. xii.

JESU CHR. AN. 57. Can. 15.

Indulgentiam obtinere posse, in Illiberitana Synodo sancitum fuit, ut *omnis, qui attulerit litteras Confessorias, sublato nomine Confessoris, eo quod sub hac nominis gloria passim concutiant simplices, communicatoriæ dandæ sunt ei litteræ*; quod idem confirmatum postea fuit nono primi Arelatensis Concilii Canone: *De his, qui Confessorum litteras afferunt, placuit, ut sublatis eis litteris, accipiant communicatorias*. Ex his autem facile quisque intelliget, calumniari, uti sæpe solent, hæreticos, dum recentem in Ecclesia Indulgentiarum morem esse contendunt; quippe cum Pauli, Tertulliani, & Cypriani ætate, ut cetera nunc omittamus, constet eas in usu fuisse.

Paulus Apostolatus sui insignia prædicat.

6. Ceterum Paulus, qui se mitem adeo erga incestuosum præbuerat, ubi cognovit eum admissi sceleris pœnituisse; ea, qua oporteret, severitate se in eos acturum scribit, qui in peccatis obstinati perseverassent: *dico iis, qui peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam*. Cumque nonnulli, sua quærentes, non quæ Jesu Christi, Corinthios adversus Apostolum sollicitarent, ejusque Apostolatum spernerent, ipsorum temeritatem arguens, & Corinthios admonens, ut ab iis caverent, Apostolatus sui insignia vel invitus enarrat; ea scilicet, quæ Evangelii causa hactenus sustinuerat, quibusque Apostolatum suum minime ceteris inferiorem esse

2. Cor. 11.

evincebat: *Ministri Christi sunt, & ego: (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius,*

Quæ passus sit Paulus propter Evangelii propagationem.

in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum: ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui. In itineribus sæpe periculis fluminum, periculis Latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate; præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? &c. De judaica vero illa animadversione, qua undequadraginta verbera infligebantur, & qua quinquies se Paulus affectum esse testatur, silet omnino Lucas. Quinimmo cum Paulus, se virgis ter cæsum esse memoret; Semel tantum de hoc meminit

Act. 16.

idem Lucas; apud quem ne verbum quidem invenire est de

Nau-

naufragio, in quod tertium ad hanc diem incidit Apostolus. Atque hic breviter, data occasione, admonendum putamus, nonnullis accidisse, ut temporum ignoratione in maximos errores inciderent; existimarunt enim, naufragium apud Melitam passum (cujus Lucas meminit) unum e tribus fuisse a Paulo enumeratis; neque animadverterunt secundam ad Corinthios Epistolam longe ante illud naufragium exaratam fuisse. Quamobrem scrupulosa quæ videtur in historia temporum indagatio, quantum conferat ad veram, atque germanam divinæ Scripturæ interpretationem, vel ex hoc quisque facile judicabit. Id probe intelligens Joannes Chrysostomus, ideoque quibus in locis, quo quæque tempore Pauli Epistolæ scriptæ fuerint, studiose diligenterque pervestigans *Proinde*, inquit, *hunc laborem nemo extra rem, neve hanc indagationem supervaneæ curiositatis esse putet: confert enim nobis non parum ad quæstiones explicandas ipsum Epistolarum tempus*.

JESU CHR. AN. 57.

Act. 27.

Chrysost. in Epist. ad Rom. in princ.

7. Quid ea denotent Apostoli verba: *noctē, & die in profundum maris fui*, non tam facile potest definiri in summa cum veterum, tum recentiorum Interpretum discordia; quamobrem solam Chrysostomi explicatiouem eo libentius proferemus, quo hæc ceteris probabilior nobis sane videtur: *Dicunt alii in medio mari, alii quod verius dictum videtur, supernatasse; nil aliud itaque iis verbis indicat Apostolus, quam natando, naufragii periculum evasisse*. Hoc autem exemplo ad rem maxime accommodato illustrat Josephus, ubi de rebus suis agens, *mersa*, inquit, *nostra nave in medio mari Adriatico, circiter sexcenti, per totam noctem natavimus; & diluculo demum Cyrenaicam navim Deo favente conspicati, octoginta ferme nostrum feliciter usi natatu in eam recepti sumus*. Ita forte & Paulus, fracta Navi, noctem & diem, vel natando, vel tabulæ innixus transegerat, donec, vel ad litus demum pervenit, vel in subsidiariam Navim receptus fuit, atque Paulus merito quidem maximum hoc vitæ discrimen immensis suis laboribus accenset. Præterea se tertio venturum Corinthum hac eadem Epistola pollicetur his verbis: *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos*; & iterum. *Ecce tertio hoc venio ad vos*. Porro quamvis neque in Lucæ actis, nec alibi in ejusdem Pauli Epistolis de secundo ejus ad Corinthios itinere mentio habeatur; de illo tamen nullatenus est dubitandum, cum præsertim, uti testatur idem Paulus, per triennium Ephesi manserit

Quomodo Apostolus die, & nocte in mare fuerit.

Chrys. hom. 25. adhunc locum.

Joseph. in Vita sua tom. 1. edit. Amst

Paulus tertio Corinthios invisit.

2. ad Corinth. 12. 13.

JESU CHR. AN. 58. *Act. 20.*

ferit, non enim continuo ibidem consedit, sed ad alias Asiæ civitates, Evangelicæ prædicationis caussa, profectus est, quemadmodum vel ex ipso Luca colligitur.

JESU CHRISTI AN. 58. PETRI APOST. AN. 27.
ET ROM. PONT. AN. 16. NERONIS IMP. 5.
COSS. NERONE AUG. III. ET VALERIO MESSALA.
OLYMP. 209. AN. 2. URBIS 811.

De Pauli gestis, & Epistola ad Rom.

Act. 20. 3. 4. ad Rom. 15.

v. Orig. præfat. in epist. ad Romanos. Theodoret. ibid.

1. Interea cum in Græciam, Achajam scilicet, atque Corinthum, Urbem Achajæ Caput, Paulus advenisset, ibique tribus mensibus Evangelium prædicasset, coactus est iterum Macedoniam repetere, ut Judæorum insidias declinaret, quas sibi in Syriam, ad eleemosynas Hierosolymam deferendas, navigaturo structas a Judæis cognovit: *Cum fecisset menses tres*, ait Lucas, *factæ sunt illi insidiæ a Judæis, navigaturo in Syriam, habuitque consilium, ut reverteretur per Macedoniam*. Porro hoc certe tempore Paulum celeberrimam ad Romanos Epistolam dedisse omnes consentiunt; quamvis de loco discrepent, ubi scripta fuerit. Cum enim Paulus Romanis salutem dicat Phæbes, Caii, Erasti, & Arcarii nomine, qui Corinthi omnes morabantur; constare hinc plerique existimant eadem in Urbe Paulum Epistolam exarasse: Nonnulli contra in Macedonia scriptam contendunt, ea potissimum ad id ratione adducti, quod Paulus ab se datam memoret postquam eleemosynas ex Macedonia & Achaja collegerat, deque iis Hierosolymam perferendis cogitabat. Hæc ad Romanos Epistola ordine prior inter ceteras, quamquam non omnes tempore præcesserit, constituta est; atque id factum fortasse, vel ob mysteriorum, quæ in ea explicantur, majestatem, vel ob Romanæ Ecclesiæ dignitatem, & Romanorum fidelium virtutem: *Epistolam ad Romanos*, inquit Theodoretus, *præposuerunt, ut quæ in se omnis generis doctrinam, & accuratam copiosamque Dogmatum pertractationem contineat. Quidam autem dicunt, ut Urbem, quæ universo Orbi præerat, & Imperii sceptra teneret honoraret, eam, quæ ad illos scripta est, Epistolam primam collocasse*. His addi etiam potest, ideo primam hanc recenseri Epistolam, quod ad eam Ecclesiam, quæ Primatum tenebat, data fuerit, atque ad Fideles præcipue, qui ex Gentibus crediderant, sicuti Epistola ipsa Apostolus testatur: *Sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc,* ut

Ep. ad Rom. xv. v. 25. 28.

Cur Epistola ad Romanos primo ordine recenseatur. *Theodor. præfat. in Epist. ad Roman.*

Rom. cap. 1.

ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus. Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum; & prope finem: *audacius autem scripsi, fratres, ex parte tanquam in memoriam vos reducens propter gratiam, quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in Gentibus, testificans Evangelium.* JESU CHR. ANN. 58. *Rom. cap. 15.*

2. Atque ea sane fidei, dilectionis, & obedientiæ laude præstabat apud omnes vel illa ætate Romana Ecclesia, ut hæc Apostolus de ipsa palam scribere non dubitaverit: *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in universo Mundo*; & rursum: *Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere*; ac demum: *vestra obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis*. Porro in hactenus, allata Pauli verba hæc adposite, vereque adnotat Theodoretus: *Hæc non eis blandiens, sed vera dicens posuit Apostolus; neque enim fieri poterat, ut quæ Romæ eveniebant, ea illos, qui in toto erant Orbe Terrarum, laterent: In illa enim Imperatores Regiam suam habebant, & illinc emittebantur, & qui Gentibus præessent, & qui vectigalia a Civitatibus exigerent. Jam vero in illam quoque decurrebant omnes, qui regalia profitebantur beneficia, & per hos omnes ubique significabatur, quod Civitas Romanorum Christi doctrinam perceperat*. Hieronymus vero; *Vultis scire, o Paula, & Eustochium, quomodo Apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit? Usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent, vel errorum; Romanæ plebis laudatur fides: Ubi aliquando tanto studio, & frequentia ad Ecclesias, & ad Martyrum sepulchra concurritur? Ubi sic ad similitudinem cælestis tonitrui, amen roboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc, quam omnes Christi Ecclesiæ; sed quod devotio in eis major sit, & simplicitas ad credendum*. His addenda, quæ idem Theodoretus habet de Romanorum fide in Epistola ad Magnum Leonem: *Accedit his hoc quoque, quod rerum potitur imperium, & propriam suam appellationem eis, quibus imperat, impertit; præcipue autem, & insigniter eam exornat fides, & fide dignus testis divinus Apostolus, qui clamat: Fides vestra annuntiatur in universo Mundo. Si autem divi-*

De statu Romanæ Ecclesiæ. *Rom. 1.* *Rom. 15.* *Rom. 16.* *Theodoret. Epist. ad Rom. cap. I.* *Hier. in præf. lib. 2. in Epist. ad Galatas. tom. 7. pag. 427.* *Theod. Epist. 113. tom. 3. edit. Sirmondi*

JESU CHR. AN. 58. *divinæ prædicationis statim susceptis seminibus, mirabiles hos fructus & tam uberes tulit; quænam ad eam, quæ nunc in ea versatur, pietatem laudibus celebrandam sufficerit oratio?*

Petrus Rom. Ecclesiæ fundator. 3. Enim vero, si Petrus Nerone tantum imperante in Urbem advenit, uti nonnullis visum est, non sine maxima Chronologiæ & Historiæ perturbatione; quis quæso Romanæ Ecclesiæ Auctor, tantæque fidei sator propagatorque dicendus erit? sequeretur sane Romanam Ecclesiam ignotum prorsus Auctorem habuisse: Etenim Paulus hoc certe tempore nondum sese Romam contulerat: Petrus vero multo post, ex eorum sententia, Romæ prædicavit. Quamobrem fateri oportebit nos adhuc latere quis tantæ molis fundamenta jecerit, laudatamque ab Apostolo Paulo fidem Romanos docuerit: sed & id falsum quoque erit, quod omnium fere Patrum traditione constat, & pluribus alibi demonstravimus, Romanam scilicet Ecclesiam Apostolos Petrum, & Paulum suæ fidei satores, propagatoresque habuisse: Quæ nemo sane sibi persuaserit, si rem attente perpendat. Tantum porro abest, ut Pauli ad Romanos Epistola quidquam iis prosit, qui Petrum sub Nerone tantum Romam advenisse contendunt, ut eorum potius opinionem prorsus evertat. Cur enim Apostolus *confirmandi* verbum adhibet, ubi scribit: *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos*: Nisi quia jam eos Petrus docuerat, & in Ecclesiam coegerat? Animadvertit id jamdiu Historiarum Ecclesiasticarum peritissimus Theodoretus in Commentario ad hunc Pauli locum: *Et quia primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit necessario intulit ad confirmandos vos*: *Non enim, inquit, aliam doctrinam vobis adferre, sed eam quæ jam oblata est confirmare, & arbores jam plantatas irrigare volo*. At enim, inquiunt, Paulus in eadem ad Romanos Epistola plurimis valedicens Petrum omnino præterit: Nondum igitur Romam eo tempore advenerat, aut Evangelium prædicaverat. Verum est id prorsus inane, ut enim reliquas hujus silentii rationes, quæ plures quidem afferri possent, omittamus, Petrus etsi Romæ sederet, ut Epicopus, sæpissime tamen uti Apostolus aberat, cum oporteret eum variis in locis Ecclesias constituere, uti optime monuit Epiphanius: *Poterant, viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet, ac Paulo, Episcopi alii subrogari; quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias Urbes, regionesque*

Pag. not. 2. an. 43. Baluz. in notis ad Lactan. c. 2. Papebroch. in chron. hist. Rom. Pontif. mense maj. Basnag. annal. 54. Anno 42.

Cap. I. v. 11.

Cur Paulus ad Romanos scribens, Petri non meminit.

Cap. ultimo.

que profeſſionem ſuſciperent, carere autem Epiſcopo Roma non poſſet; ſi quidem Paulus in Hiſpaniam pervenit, Petrus vero Pontum, ac Bithyniam ſæpenumero peragravit. Poterat itaque Petrus ab urbe abeſſe, ejuſque ideo non meminiſſe Paulus, cum ad Romanos ſcriberet.

De argumento Epiſtolæ ad Romanos. *Aug. in Comment. inchoato Epiſt. ad Romanos.*

4. Paulinæ ad Romanos Epiſtolæ occaſionem, & argumentum, ita explicat Auguſtinus: *Epiſtola, quam Paulus Apoſtolus ſcripſit ad Romanos, quantum ex textu intelligi poteſt, quæſtionem habet, utrum Judæis ſolis Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti venerit propter merita operum, an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus gentibus venerit juſtificatio fidei, quæ eſt in Chriſto Jeſu: ut non quia juſti erant, homines crederent; ſed credendo juſtificati, deinceps juſte vivere inciperent. Hoc ego docere contendit Apoſtolus, omnibus veniſſe gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti: quam propterea etiam gratiam vocari oſtendit, quia non quaſi debitum juſtitiæ redditum eſt, ſed gratuito datum.* Deinde: *Cœperant nonnulli, qui ex Judæis crediderant, tumultuari adverſus Gentes, & maxime adverſus Apoſtolum Paulum, quod incircumciſos, & a legis veteris vinculis liberos admittebat ad Evangelii gratiam, prædicans eis, ut in Chriſtum crederent, nullo impoſito circumciſionis carnalis jugo: ſed plane tanta moderatione, uti nec Judæos ſuperbire permittat, tanquam de meritis operum legis; nec Gentes merito fidei adverſus Judæos inflari, quod ipſi receperint Chriſtum, quem illi crucifixerant.* Et rurſus in Epiſtola ad Sixtum tunc Presbyterum, poſtea Romanum Pontificem: *De gratiæ commendatione maxime ad Romanos Apoſtolica Epiſtola loquitur, ut inde ſe prædicatio ejus velut a Capite Orbis toto Orbe diffunderet. Ea eſt enim, qua juſtificatur impius.* Cum itaque Fideles ex Judæis, & Gentilibus Romæ collecti inter ſe diſſiderent, ut lites componeret, & partis utriuſque faſtum audaciamque comprimeret, nemini præ alio gloriandum eſſe admonet Apoſtolus, quaſi virtutis ſuæ præmium aliquod mererentur. Quod a Deo acceperant vocationis privilegium, merum fuiſſe Dei beneficium; neque enim ſive ad juſtitiam, ſive ad gratiam fidei promerendam aliquid valuiſſe aut Legem Moyſis ſolam, aut multo etiam minus naturalis legis obſervantiam. Unum juſtificationis momentum eſſe fidem in Jeſum Chriſtum, quam Charitas animat, ornat bonorum operum meritum; hæc tamen opera, niſi a fide promaneant, nihil agentibus

Aug. epiſt. 94. ad Sixtum.

JESU CHR. AN. 58.

bus prodesse. Deinde pluribus constitutis de operum legalium fine fide inutilitate, de vocatione, & gratuita Judæorum & Gentium prædestinatione; de promissionum divinarum fide & veritate; deque Prædestinationis, & Reprobationis mysterio, varias morum regulas adjungit, quibus Romanos ad vitam bene, Christianeque ducendam informat, eosque a vitiis, & corruptelis sæculi revocat; Charitatis etiam officia sibi mutuo præstanda recenset; & ut Principibus, ac magistratibus obsequerentur, & suum cuique redderent, vehementer hortatur: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Denique suam in Romanos benevolentiam pluribus testatur, spem faciens, se ad eos quamprimum venturum esse, & plures nominatim peramanterque salutat. Ceterum multa in ea Epistola occurrunt obscura admodum & difficilia, quæ, ut ajebat Hieronymus. *Si cuncta voluero disserere, nequaquam mihi unus liber, sed multa, & magna erunt scribenda volumina.*

Epist. ad Romanos 13. 7.

Hier. Epist. 121. ad Algasiam quæst. 8.

Paulus cum suis venit Troadem, ubi synaxim celebrat, mortuum ad vitam revocat.

5. Inter hæc Paulus susceptum Hierosolymam versus iter pergens, Philippis in Macedonia cum præmisisset Troadem, Urbem in litore Hellesponti sitam, itineris comites, Sopatrem, sive Sosipatrem Beræensem, Aristarchum, & Secundum Thessalonicenses, Cajum Derbensem, & Timotheum, cum Asianis Tychico & Trophimo: Ipse cum Luca, quem ea forte in urbe invenerat, & reliquis, post dies Azymorum Philippis solvens, venit ad eos Troadem intra dies quinque; ibique commoratus est dies septem: *Comitatus est autem eum Sopater. Pyrrhi Beræensis, Thessalonicensium Aristarchus, & Secundus, & Cajus Derbeus, & Timotheus; Asiani vero Tychicus, & Trophimus. Qui cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade*, idest Paulum, & Lucam; *nos vero*, sequitur Lucas, *navigavimus post dies Azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.* Accidit autem, ut una Sabbati congregatis discipulis ad frangendum panem, & Paulo disputante ac sermones usque in mediam noctem producente, Eutychus adolescens ex aperta fenestra in qua sedebat, somno correptus, præceps caderet, ipsumque jam mortuum Paulus vitæ continuo restitueret: *Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque*

Act. cap. xx.

usque ad mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno, cecidit de tertio cœnaculo deorsum; & sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. Accedens autem, frangensque panem, & gustans, satisque alloquutus usque ad lucem, sic profectus est. Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minime. *Lucas loco cit.*

6. Communem tantum Cœnam, non vero Eucharisticam Troade in eo Conventu fuisse celebratam existimant nonnulli; attamen dies Dominicus, & vespera, & lampades, & solemnis potissimum verborum formula *ad frangendum panem* satis indicant fuisse Cœnam Dominicam, in qua primi illius temporis Christiani Eucharistiam sumebant, & unde, uti paullo ante ostendimus, Agapas celebrabant. Cum itaque omnes qui aderant vehementissimo Pauli desiderio tenerentur, totam noctem ipsum verba facientem sustinuerunt, & cum ad pellendas tenebras, tum ad Conventus decorem celebritatemque lampades plurimas accenderunt; si quidem Hebræos lampadibus lucernisque in celebritatibus usos fuisse scimus. Hinc Pelsius ... Lucernarum usus apud Judæos, & Christianos.

...... At cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Ast non solemnitatis tantum, & lætitiæ, sed Religionis quoque causa lucernas accensas fuisse ex eo intelligimus, quod in Templo Hierosolymitano septem continuo accensæ lampades ex aureo Candelabro pendebant; & ante Sacerdotalem Stolam, quæ in Antonia Turri servabatur, teste Josepho, ardebat continuo lucerna. Eamdem porro consuetudinem antiquitus in Ecclesia viguisse, exploratior res est, quam ut oporteat demonstrari: de Orientalibus Ecclesiis testatur Hieronymus: *Absque Martyrum Reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accendunt luminaria, jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Hæc Hieronymus, qui postquam plura de luminum significatione in medium attulit, *Cereos au-*

Persius Satyr. 5.

Joseph. antiquit. lib. 18. 6.

Hier. contr. Vigilantium. n. 8. tom. 2. p. 394.

JESU CHR. AN. 58. *tem* subjungit *non clara luce accendimus , sicut frustra calumniaris ; Sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus , & vigilemus ad lumen , ne cæci tecum dormiamus in tenebris . Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum , vel certe Religiosarum feminarum , de quibus vere possumus dicere : Confiteor , zelum Dei habent , sed non secundum scientiam ; hoc pro honore Martyrum faciunt : quid inde perdis ? Causabantur quondam & Apostoli , quod periret unguentum ; sed Domini voce correpti sunt . Neque enim Christus indigebat unguento , nec Martyres lumine cereorum : & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit , devotioque mentis ejus recipitur ; & quicumque accendunt cereos , secundum fidem suam habent mercedem , dicente Apostolo : Unusquisque in suo sensu abundet* . Præterea ad Riparium scribens : *Accensi ne* , exclamat , *ante tumulos eorum cerei Idololatriæ insignia sunt ?* Et rursus adversus Vigilantium ita cereorum apud Christianos usum strenue vindicat : *Cereos non clara luce accendimus , (sicut frustra calumniaris) nimirum ut hoc pietatis officio putemus martyres e tenebris vindicari , quorum lucerna est agnus . Sed mysterium docet , scilicet sic facere , ut (quod sequitur) noctis tenebras hoc solatio temperemus : nempe quod ait Apostolus : Nox præcessit , dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum ; & induamur arma lucis : ac proinde* (quod subdit) *vigilamus ad lumen , ne cæci tecum dormiamus in tenebris* . Hujusmodi luminum usum in Templis , & præsertim in rerum Divinarum celebratione uti olim Vigilantius , ita nobis exprobrant Novatores , contenduntque luminaria olim adhibita fuisse non interdiu , neque Religionis caussa , sed in noctis solatium ; & quod vix satis mirari possumus , allatis paullo ante Hieronymi verbis nituntur . Verum Hieronymo ipsos vehementer abuti quis quæso non videat ? fatetur enim ibidem Hieronymus per totas Orientis Ecclesias quando legendum erat Evangelium accensa fuisse luminaria jam sole rutilante , non utique ad fugandas tenebras , sed ad signum lætitiæ demonstrandum . Quod autem scribit fideles Cereos non clara luce accendisse , sed ut noctis tenebras eo solatio temperarent , & vigilarent ad lumen ; non ad diurnum luminarium usum improbandum , sed ad Vigilantii calumniam profligandam ab ipso scriptum fuisse manifestissime patet . Calumniabatur Vigilantius cereos ideo a fidelibus accendi , quod crederent Martyres illustra-

Hier. epist. 109.

Apoc. 21.

V. Ottius in Exam. in Annal. Baron. ad A. 51. 8. 36. & 37.

ſtratione quadam & lumine indigere, quaſi cæcati eſſent: *Magnum honorem* (ſunt ejuſdem Hæretici verba)*præbent hujuſmodi homines beatiſſimis martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos agnus, qui eſt in medio throni cum omni fulgore majeſtatis ſuæ, illuſtrat*. Reſpondet ergo Hieronymus non clara luce accendi cereos a fidelibus ea ratione adductis, ſed ad lætitiæ ſignum, ut infra Evangelicis exemplis probat; neque ſub ea prava opinione nocturno tempore ſolere luminaria incendi, ſed ut noctis tempore eo ſolatio temperentur, ne cæcè cum Vigilantio in tenebris dormiant. Tum pergit, & ſi qui forent inter ſeculares homines, feminaſque religioſas, qui hoc facerent ſub ea ratione, quæ Vigilantio in mentem venerat, eos excuſat, & zelo Dei, ac ſine crimine id factum evincit. Ceterum S. Cyrillus Hieronymo antiquior in præfatione ad Catecheſes, & alibi; S. Gregorius Nazianzenus Hieronymo coævus in Oratione XL. aliique teſtantur ad Baptiſmum cereos accenſos delatos fuiſſe: Neque iis ſolum utebantur Neophyti, ſed alii quoque ad honorem tanti Sacramenti. Marcus Diaconus Gazenſis, & Scriptor Synchronus in vita S. Porphyrii Epiſcopi deſcribit apparatum diei, quo Theodoſius II. infans, Arcadii Auguſti filius, A. C. 401. hoc eſt vivente S. Hieronymo, ſacro baptiſmate regeneratus fuit. Egreſſo infanti e ſalutari lavacro *præcedebant Patricii Illuſtres, & omnis Dignitas, cum ordinibus militaribus omnes portantes cereos*. Epiphanius quoque iiſdem ferme temporibus ſcribit ſe prætereuntem per villam quamdam vidiſſe ibi *lucernam ardentem*; & cum interrogaſſet *quis locus eſſet*, didiciſſe *eſſe Eccleſiam*. Denique, ut alios plures prætercam, S. Paulinus Nolanus A. C. 396. ita de luminibus nocte dieque in Templis Chriſtianorum accenſis cecinit.

JESU CHR. AN. 58.

Ep. ad Joan. Hieroſol. Ep.

Paulin. Nat. 3. in S. Felicem.

Clara coronantur denſis altaria lychnis
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte, dieque micant, ſic nox, ſplendorque diei
Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Natali autem VI.

Jesu Chr. an. 58.

Ast alii pictis accendant lumina ceris
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent;
Ut vibrent tremulas funalia pendulo flammas.

Sed & Nat. XI.

His scyphulis incerte relucent
Lumina, cum fert festa dies;

atque infra scyphuli meminit ad continuum luminis usum destinati:

Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum,

Juven. satyr. 12. Tertull. in apolog. c. 31. & ad uxorem lib. 2. 6.

qui & noctu diuque lucebat, quemque importuno sibi lumine micantem fur extinxit. Neque minus sobrie litem nobis intentant Heterodoxi, quod ab Hebræis, ac Ethnicis in Catholicam Ecclesiam cereorum usum derivemus. Quod ad Judæos pertinet diximus supra; de Gentilibus fidem facit Juvenalis: *Et matutinis operantur festa lucernis*: Confirmant vero Tertullianus, & Dio.

Gentilium ritus, & festa ad sacros usus laudabiliter translata.

7. Fatemur sane plurima ex Ethnicis, Judæisque, ad nos fuisse translata, sed sanctissimo id prorsus consilio factum, ratione, & Patrum auctoritate nixi confidenter asserimus. Quocirca per summam injuriam nos ideo arguendos Acatholici arripiunt. Eadem ferme Vigilantius fidelibus exprobrabat; quamobrem illis nos Hieronymum objiciemus de proposito cereorum ita loquentem: *Idololatras appellas hujusmodi homines? Non diffiteor omnes nos, qui in Christo credimus, de errore idololatriæ venisse; non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, num colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum.* Augustinus quoque adposite Hæreticorum oppositionem occupat, de Paganorum, Judæorumque Sacrificiis ita disputans: *Tantum interest inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænunciantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel detestanda Virginitas est Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt, sic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia sunt & Sacrificia Gentium: quia sicut*

Lib. 22. contra Faustum, cap. 13.

inter

inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur, atque reddatur, sic inter Sacrificia paganorum, & hebræorum multum distat eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata, & oblata; illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum, ista vero uni Deo. Hæc retulisse Novatorum commenta, refutasse est. Quoniam vero nobis præsertim insultant, quod ad incruentum Missæ Sacrificium luminaria adhibeamus, adnotandum præterea est, sacratissimam Christi Domini Cœnam una cum Sacrificio Crucis in Missa exhiberi; ideoque omnia ad imitationem ac renovationem tanti operis in ea esse composita. Quamobrem cum postrema Salvatoris Cœna sine luminibus profecto peracta non fuerit, quis quæso non commendaverit adhibita a nobis in renovatione ejusdem Cœnæ luminaria?

8. Troade discedens Paulus, Assum Phrygiæ minoris Urbem, pedestri itinere pervenit, unde a Luca, & reliquis sociis, qui eo navi appulerant, deductus est Mitylenem. Et cum illuc enavigassent, sequenti die pervenerunt e regione Chii, postridie vero Samum; & cum diversati essent apud Trogyllium, sequenti die venerunt Miletum: *Nos autem*, inquit Lucas, *ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum, sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus; cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo venimus Mitylenen, & inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia; festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis*. Cur autem iter adeo festinaret Apostolus, hæc potissimum in causa fuisse videntur, ut nempe Judæis undique ad festum Pentecostes Hierosolymam confluentibus Christum annunciaret; deinde ut eleemosynas a fidelibus collectas pauperibus ea occasione distribueret; denique ut verbo & facto refelleret Judæos, qui ex Græcia, & Asia, aliisque locis ubi Evangelium prædicaverat, profecti erant Hierosolymam, eum veluti Mosaycæ legis eversorem accusaturi. Cum itaque Miletum advenisset, ne tempus tereret in Asia, missis illinc nunciis Ephesum, *vocavit majores natu Ecclesiæ*, Episcopos nempe & Presbyteros, qui Ephesi, inque aliis circum regionibus versabantur, uti observat Irenæus; eosque gravissima oratione de officio admo-

Paulus Hierosolymam contendit.

Act. 20.

Pauli exhortatio ad Ephesios, aliosque.

Iren. lib. 3. 14.

Jesu Chr. an. 58. *Act. 20. 36.* monuit, atque ut in Dominici gregis curam sedulo incumberent vehementer hortatus est. Tum: *Positis genibus suis, oravit cum omnibus illis; magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri.* *Cap. 21.* *E deducebant eum ad navem. Cum autem factum esset, ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, inde Pataram. Et cum invenissemus navem transfretantem in Phoenicen, ascendentes navigavimus. Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad finistram navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum; ibi enim navis expositura erat onus. Inventis autem discipulis mansimus ibi diebus septem, qui Paulo dicebant per spiritum ne ascenderet Hierosolymam, & expletis diebus, profecti ibamus deducentibus nos omnibus cum uxoribus, & filiis usque foras civitatem; & positis genibus in litore oravimus; & cum valefecissemus, invicem ascendimus navem, illi autem redierunt in sua.* Notatu sane dignum est, Apostolum Paschali tempore bis flexis genibus orasse, Mileti scilicet, & in litore, quod postea in publica saltem oratione vetitum fuisse, indicat Tertullianus, dum ait: *Ex antiqua Ecclesiæ traditione diei Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecostem usque gaudemus. E Tyro descendimus Ptolemaidem* prosequitur Lucas, *& salutatis fratribus, mansimus die una apud illos. Alia die profecti venimus Cæsaream; & intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus e septem, mansimus apud eum; huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Adnotat Hieronymus adversus Jovinianum has Philippi filias Christianæ virginitatis quodammodo primitias extitisse: *Post crucem statim in actis Apostolorum una domus Philippi Evangelistæ quadrigam producit virginum filiarum, ut Cæsarea, in qua ex Gentibus Ecclesia per Centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam virginum puellarum præberet exempla.* Proditque præterea sua ætate earumdem cubicula, sive sepulcra a S. Paula pio affectu visitata fuisse: *Mirata est Stratonis Turrim ab Herode Rege in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam, in qua Cornelii domum Christi vidit Ecclesiam, & Philippi Ædiculas, & cubicula quatuor Virginum prophetarum.*

Paulus Paschali tempore flexis genibus orat. *Tertull. de coron. Militis cap. 3.*

Hier. adverf. Jovinian. tom. 2. lib. 1. p. 301.

Hieronym. ad Eustoch. Epist. 10. 8.

9. Interea cum Apostolus Cæsareæ, apud Philippum

lippum Diaconum diverfaret, adveniens ex Judæa Propheta Agabus, vincula, quæ illum manebant Hierofolymis, prædixit: *Supervenit quidam a Judæa Propheta, nomine Agabus: Is cum veniffet ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans fibi pedes, & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum, cujus eft zona hæc, fic alligabunt in Hierufalem Judæi, & tradent in manus Gentium. Quod cum audiffemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne afcenderet Hierofolymam. Tunc refpondens Paulus dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego non folum alligari, fed & mori in Hierufalem paratus fum propter nomen Domini Jefu. Et cum ei fuadere non poffemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat. Poft dies autem iftos præparati afcendebamus in Hierufalem. Venerunt autem & ex difcipulis a Cæfurea nobifcum, adducentes fecum, apud quem hofpitaremur; Mnafonem quemdam Cyprium, antiquum difcipulum.*

Agabus Propheta, quæ eidem Hierofolymis eventura erant, prædicit.

Act. 21.

10. Ab Hierofolymitanis autem fratribus Paulus libentiffime exceptus, Jacobi ex Seniorum confilio ad eluendam quæ de eo ferebatur calumniam, eum nempe docere, atque hortari Judæos in Chriftum credentes, ut ab obfervatione Mofaycæ legis recederent, quatuor Judæis, qui votum Nazareatus fecerant, fe adjunxit, cum iis juxta legis præfcriptum fe purificans: *Libenter acceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobifcum ad Jacobum, omnefque collecti funt Seniores. Quos cum falutaffet, narrabat per fingula, quæ Deus feciffet in Gentibus per minifterium ipfius. At illi cum audiffent, magnificabant Deum, dixeruntque ei; Vides frater, quot millia funt in Judæis, qui crediderunt? & omnes æmulatores funt legis. Audierunt autem de te, quia difceffionem doceas a Moyfe eorum, qui per gentes funt, Judæorum: dicens, non debere eos circumcidere filios fuos, neque fecundum confuetudinem ingredi. Quid ergo eft? Utique oportet convenire multitudinem: audierunt enim te fuperveniffe. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt enim viri quatuor, votum habentes fuper fe. His affumptis, fanctifica te cum illis: & impende in illis, ut radant capita; & fcient omnes, quia quæ de te audierunt, falfa funt, fed ambulas & ipfe cuftodiens legem. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos fcripfimus, judicantes, ut abftineant fe ab idolis, & immolato, & fanguine, & fuffocato, & fornicatione. Tunc Paulus affumptis viris, poftera*

Quid Paulus Hierofolymis egerit.

die

JESU CHR. AN. 58.

die purificatus cum illis intravit in Templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque oblatio.

De voto Nazareatus Pauli. *Joseph. de bell. lib. 2. 15.*

II. Non pauciores, quam triginta dies Nazareatui dicabantur. Testatur id aperte Josephus: *His, qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, moris est orare per triginta dies, antequam immolarent hostias, abstinere quoque a vino, & capillos radere.* Quapropter cum Paulus inopinato, & ante diem tantum a Jacobo & senioribus admonitus fuerit, ut sese quatuor viris adjungeret, qui jam susceptum Nazareatus votum implebant, ac septem tantum dies eidem ipse impenderit; ideo non omnia potuerit quæ oportebat officia in Templo exhibere. De hujusmodi Pauli Nazareatu varie ac vehementer disputant Scriptores. Eorum tamen probabilior nobis semper sententia fuit, qui judicant Apostolum quatuor virorum voto in aliquibus dumtaxat participasse, arctiori ciborum delectu per septem dies adhibito, iisque peractis, quæ a sacrificantibus impleri oportebat: ut ita palam Judæis ostenderet, se minime a Mosaycis legibus abhorrere. Etenim in Lucæ verbis, hæc plus ceteris opinio congruere quidem videtur: *Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se: His assumptis sanctifica te cum illis, ut radant capita:* Et certum præterea, exploratumque est Judæorum moribus unicuique Nazareatus partem vovere & solvere licuisse: *Quicumque dixerit, reus sum rasuræ Nazarei, ille ea tenetur offerre, quæ offeruntur pro sanctificatione, Nazareumque, quem ipsi libuerit, eligit perpetrando sacrificio. Si quis dixerit reus sum dimidiæ oblationis Nazarei, ille dimidiam offert interventu hujusce Nazarei, quem eligit.* Ceterum nihil eo Paulus assequutus est. Quum enim eum in Templo vidissent nonnulli ex Judæis Asiaticis, qui Hierosolymam ad festum ascenderant, turbas concitaverunt, confictо crimine, quod introducto in Templum Trophymo Gentili Ephesio, illud polluisset: Judæorum quippe Legibus Imperatorum auctoritate confirmatis, severissime a loco Sancto alienigenæ interdicebantur, uti ex Josepho colligimus: *Quà ad secundum Templum ibatur, extabant cancelli saxei tres cubitos alti, uti æquis constitutæ intervallis columnæ stabant legem puritatis præmonentes aliæ græcis, aliæ latinis literis, in locum Sanctum transire alienigenas non debere.* Hanc itaque legem ab Apostolo violatam esse per summam calumniam querentes, in eum per

Verba sunt Maimonidis Nazir cap. 8. sect. 15.

L. 6. de Bello Jud. cap. 6.

per tumultum irruerant, jamque trucidassent, nisi Tribunus de eorum manibus ereptum in Castra duxisset.

12. Itaque, *dum septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant Judæi, cum vidissent Paulum in Templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus clamantes: Viri Israelitæ, adjuvate: hic est homo, qui adversus populum & legem, & locum hunc, & omnes ubique docens, insuper & Gentiles induxit in Templum, & violavit sanctum locum istum. Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in Templum introduxisset Paulus. Commotaque est civitas tota, & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum trahebant eum extra Templum, & statim clausæ sunt januæ. Quærentibus autem occidere, nunciatum est Tribuno Cohortis, quia tota confunditur Jerusalem; qui statim assumptis militibus, & centurionibus decurrit ad illos. Qui cum vidissent Tribunum, & Milites, cessaverunt percutere Paulum. Tunc accedens Tribunus, apprehendit eum, & jussit eum alligari catenis duabus, & interrogabat quis esset, & quid fecisset. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra. Et cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans: Tolle eum. Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit Tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce nosti? Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum Sicariorum? Et dixit ad eum Paulus, ego homo sum quidem Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ Civitatis municeps.*

Paulus a Judæis in templo capitur. Act. 21.

13. Interea facta sibi facultate loquendi ad Populum, *stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno facto silentio*, concionem hebraice habuit, in qua postquam genus suum, Patriam, anteactæ vitæ rationem exposuit, suæque ad Christum conversionis causas, & modum enarravit, de sua ad Gentes legatione dicere aggressus est. Verum sola hujus commemoratione commoti vehementius Judæi, *levaverunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere. Vociferantibus autem eis, & projicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aerem, Tribunus jussit*

Paulus causam suam coram Tribuno dicit. Act. 21. Act. 22.

 adda-

Jesu Chr. an. 58. *adduci eum in castra, & flagellis cædi, atque torqueri eum, ut sciret, propter quam causam sic acclamarent ei.*

Paulus se Rom. civem esse Tribuno denunciat.

14. Verum Paulus loris jam vinctus, cum Romanum se civem esse declarasset, eo supplicio liberatus est: Nefas enim Romanorum legibus Civem vincire; crimen vero flagellis aut virgis cædere: Quamobrem *protinus discesserunt ab illo qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit, quia Civis Romanus esset, & quia alligasset eum.* Cum tamen vellet certo scire cujus criminis accusaretur ille a Judæis, postera die Paulum vinculis solutum Synedrio Judæorum in Castris coacto sisti jussit. Intentis itaque in consessum oculis professus est principio Paulus se hactenus *omni conscientia bona conversatum fuisse ante Deum.* Quibus auditis Princeps Sacerdotum Ananias imperavit adstantibus, ut os Pauli cæderent. Sed Paulus eo *parietis dealbati* nomine acriter objurgato, questus est, quod se contra legem percuti jusserit. Cum autem qui aderant clamarent ipsum summo Dei Sacerdoti convitiari; respondit Paulus: *nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum; scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Prodit Josephus Ananiam summum Pontificem, & Ananum a Quadrato Syriæ Præside vinctos Romam missos fuisse, ut apud Claudium Cæsarem facti sui rationem redderent; Ismaelem deinde Pontificatum adeptum, illum hoc adhuc tempore tenuisse, ultimis scilicet annis Præfecturæ Felicis. Quærunt itaque Interpretes qua ratione fieri potuerit, ut Lucas Ananiam dixerit Summum Dei Sacerdotem? Quærunt præterea quomodo Paulus ex vero dicere potuerit nescire se eumdem Ananiam summo fungi Sacerdotio?

Act. 23.

Paulus concilio sistitur. *Act. 23.*

Exod. 22.

Joseph. antiq. lib. 20. cap. 3. 5. De bello Judaic. lib. 2. cap. 11.

Cur Ananias Sacerdotum Princeps a S. Luca dictus sit.

15. Quod ad postremum hoc attinet, sentiunt plerique Apostolum ironice loquutum fuisse. Quamvis enim probe sciret Ananiam summum apud Judæos Sacerdotem agere; cum tamen eo munere indignus prorsus esset, utpote *Secta Sadducæus*, moribusque corruptis, ipsum pro Sacerdote non agnoscebat, deficiente etiam mosayca lege, & Sacerdotio: Quare, dum Paulus dixit, se nescire, idem his auctoribus fuit, ac si dixisset, non agnosco te ut Principem Sacerdotum; eo ferme pacto, quo dicturus est Dominus ad impios: *non novi vos*; idest, vos non approbo, nec uti meos agnosco. Verum nihil obstat, quominus dicamus, revera Paulum

Chrysost. in Act. homil. 58.

Estius in hunc locum. Bar. 58. 149. Tillem. not. 53. in Paulum.

lum Ananiam Sacerdotum Principem non agnovisse; nullibi enim proditur eo in Conventu principem locum obtinuisse, vel Sacerdotii insignia gessisse; cum præsertim tumultuarium illud Concilium fuerit, & a Tribuno indictum, ut Pauli crimen agnosceret. Quamobrem ubi intellexit Apostolus eum Sacerdotum Principem fuisse, veniam quodammodo petiit, & errorem publice professus est: *Nesciebam, fratres, quod Princeps est Sacerdotum.*

JESU CHR. AN. 58.

16. Quod vero ad Lucam pertinet, qui de Ananiæ Sacerdotio a Josepho diffidere videtur, ipsius quidem potius, quam Josephi ratio habenda est. Ut enim prætermittamus Lucam Divinitatis instinctu scripsisse, & antiquior Josepho fuit, & Hierosolymis præsens cum Paulus Synedrio oblatus est; quod nemo nescit quantum valeat ad fidem, auctoritatemque Historico conciliandam. Ceterum non desunt, qui existiment commode utrumque Scriptorem posse conciliari. Quamvis enim Josephus scripserit Ananiam una cum aliis a Quadrato Syriæ Præside missum fuisse ad Claudium Imperatorem: *Duos autem Principes Sacerdotum Jonatham, & Ananiam, ejusque filium Ananum, & nonnullos alios Judæos nobiles ad Cæsarem misit:* Ex eodem tamen constare videtur, eos in Judæam postea rediisse; scribit enim Jonatham sub Felice Quadrati successore, ejusque insidiis sublatum fuisse, dum adhuc summo Sacerdotio fungeretur: *Cumque Felix odio prosequeretur Jonathum summum Sacerdotem... Doram induxit, ut Pontifici sicarios immitteret: Per id tempus Agrippa Rex Summum Sacerdotium contulit Ismaeli Phœbei filio.* Nil itaque (inquiunt) facilius, quam ut Concilio, quod a Claudio Lysia in castris convocatum fuerat, præfuerit Ananias non summi simpliciter Pontificatus jure, a quo amotus fuerat; sed quia Sacerdotum, quos tumultuario conventu in castra Tribunus vocaverat, omnium erat honoratior ob dignitatem, quam antea gesserat. Quamobrem cum latiori quodam sensu Princeps Sacerdotum a Luca ideo dici potuerit; omne inter ipsum & Josephum diffidium videtur hac ratione facile conciliari.

Quo sensu Ananias Sacerdotum Princeps dici possit. *Act. 23.*

Joseph. de bello lib. 2. cap. 11.

Joseph. antiq. lib. 20. 6.

17. Interea cum Paulo compertum esset quosdam e Judicibus Sadducæos esse, alios vero Pharisæos, clamavit se Pharisæum esse, filium Pharisæi, & de spe resurrectionis mortuorum in judicium vocari. Quare excitata in Synedrio dissensione inter Sadducæos, qui accusabant, & Pharisæos, qui eum excusabant,

Judæorum insidiæ in Paulum. *Act. 23.*

JESU CHR. AN. 58.

Tribunus, ne a contendentibus discerperetur, Paulum e medio ipsorum per milites in castra ducendum curavit, ubi sequente nocte *assistens ei Dominus*, ait: *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari*. Postridie autem ex Judæis zelotis plures, quam quadraginta, conjuratione facta devoverunt se dicentes neque esuros se, neque bibituros usquequo Paulum interemissent. Quorum insidias a Sororis Pauli filio cognoscens Tribunus Paulum sub militum custodia noctu Cæsaream ad Felicem Provinciæ Præsidem misit, hac data eidem Epistola: *Claudius Lysias optimo Præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum a Judæis, & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est. Volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum, quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum; nihil vero dignum morte, aut vinculis habentem criminis. Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuncians & accusatoribus, ut dicant apud te. Vale.*

Epistola Claudii ad Felicem. *Act. 23. vers. 26.*

Paulus coram Felice a Judæis accusatur. *Act. 24.*

18. Ubi Paulus Cæsaream pervenit, atque a Felice in Prætorio Herodis jussus est custodiri, donec accusatores sese judicio sisterent; *post quinque*, (quo vinctus Hierosolymis fuerat Apostolus, vel inde discesserat) *descendit Princeps Sacerdotum Ananias cum Senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore*, qui plura adversus Paulum dixit, accusans eum, quod Judæos ad seditionem excitaret, quod princeps esset Sectæ Nazareorum, idest Christianorum; & Templum violasset: *Verum Paulus, annuente sibi Præside*, a falsis hujusmodi Criminationibus se purgavit, respondit que, se Hierosolymam orationis tantum causa paullo ante ascendisse, neque seditionem, vel in Templo, vel in Synagogis, vel in civitate fecisse. Quibus auditis, re infecta, & causæ cognitione ad Lysiæ adventum dilata, dimisit Felix accusatores Apostoli, eumque jussit libera in custodia servari. *Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. Disputante autem illo de justitia, & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te. Simul & sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo*. Cum enim ab ipso perorante cognovisset se

se fidelium eleemosynas & oblationes Hierosolymam detulisse pauperibus erogandas, sperabat fore, ut iis Apostolus ad libertatem sibi comparandum uteretur. Cum tamen nihil Felici erogaretur a Paulo, totum biennium vinculis mancipatus est, donec sub Festo, Felicis in Provincia successore, in judicium iterum vocatus ad Cæsarem appellavit, uti infra suo loco memorabimus. JESU CHR. AN. 58.

19. Liberalitatis, & munificentiæ non obscura indicia dedit Nero hoc anno, collatis Valerio Messalæ in Consulatu Collegæ quingenis sextertiis (octo scilicet Scutatorum millibus) in singulos annos, ut paupertatem ejusdem sublevaret. Aurelio quoque Cottæ, & Hatterio Antonino annuam pecuniam suppeditavit. Graviora vectigalia aut abolevit, aut imminuit; præmia delatoribus statuta ad quartum minuit; Populo viritim quadringentos nummos divisit. Pauperibus Senatoribus annua salaria destinavit; & Prætorianis Cohortibus frumentum menstruum dare jussit. Neronis liberalitas. *Tacit. lib. 13. Suet. in Ner. cap. 6. 10.*

20. Sed liberalem animum fœdabat immoderata libido. Poppæa ceteris gratia & venustate feminis tunc Romæ præstabat, eique præter honestam mentem nil deerat: Quare adulteris æque, ac maritis communis erat. Ruso Crispino Romano equiti nupta, eo relicto in Othonis Thalamum transierat; Qui cum Imperatori uxoris suæ elegantiam, & formam imprudens sæpe laudasset, Nero tandem videre concupivit, atque ita deinceps adamavit, ut Othonem in Lusitaniam Provinciæ Præfectum abire jusserit, quo liberius ipse Sabina Poppæa pro arbitrio uteretur. Neronis amores in Poppæam. *Tacit. lib. 13.*

JESU CHRISTI ANNUS 59. PETRI APOST. 28.
ET ROM. PONT. AN. 17. NERONIS IMP. 6.
COSS. VIPSANIO APRONIANO, ET L. FONTEJO CAPITONE.
ANNO URBIS 812. OLYMP. 209. AN. 3.

1. De Paulo Cæsareæ in custodia detento nihil hoc anno proditum a veteribus aut certæ fidei monumentis, quæ de reliquorum quoque Apostolorum rebus in orbe gestis omnino silent. Quocirca operæ pretium nos facturos existimavimus, si quædam hic diceremus de Catholica Jacobi Epistola; cum præsertim ignoremus quo potissimum Christi anno edita fuerit. Duodecim tribubus, quæ erant in dispersione, Apostolus scripsit. Epistola Canonica B. Jacobi Apost.

JESU CHR. AN. 59.

Eufeb. lib. 2. 23. Hier. de vir. ill. in Jacob. Origen. homil. 3. in Exod. & comment. in epist. ad Romanos. Athanas. orat. 4. in Arianos & in decret. Nicen. Synod. Cyrill. Catech. 7. & Mystag. 5. Laodicen. Conc. can. 60. Carthagin. can. 47.

psit. De ipsius auctoritate veteres nonnullos dubitasse proditum est ab Eusebio, & Hieronymo, qui certe aliorum magis de hac Epistola sententiam, quam suam proferre videntur: *Cui etiam* (id est Jacobo), inquit Eusebius, *adscribi solet Epistola prima earum, quæ Catholicæ dicuntur. Quam quidem nonnulli spuriam, & suppostitiam existimant; sane pauci admodum ex vetustioribus tum hujus Epistolæ, tum illius Judæ... mentionem fecere. Verumtamen has quoque cum ceteris in plurimis Ecclesiis publice lectitari cognovimus.* Hieronymus vero: *Jacobus*, ait, *qui appellatur frater Domini..... unam tantum scripsit Epistolam, quæ de septem catholicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub ejus nomine edita asseritur, licet paullatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Plerique tamen inter Canonicas scripturas adnumerarunt, eamque uti canonicam Ecclesia veneratur, ut post Laodicenam, & Carthaginensem, sancta Tridentina Synodus definivit, cui & Patrum testimonia suffragantur. Id potissimum in ea Epistola urget Jacobus, ut scilicet bonorum operum necessitatem ostendat adversus Simonianos, aliosque id genus hæreticos, qui libertate nobis per Evangelium parta impie abutebantur, & fidem sine operibus ad salutem satis esse dictitabant.

Cur Jacobus operum necessitatem prædicat.

Iren. lib. 1. cap. 23. p. 99. Aug. de Fid. & oper. cap. 14.

2. Et sane hæc de Simonis hæresi Irenæus litteris prodit. *Hi, qui in eum, & in Helenam ejus spem habebant, & ut liberos agere, quæ velint; Secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum opera justa.* Sed præstat Augustinum de hac re differentem in medium afferre: *quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse; sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Novatores igitur (Calvinianos dico) qui sola fide salvari Fideles docent, e cineribus Simonis hæresim revocarunt, quo Auctore, & patre utique gloriari absque invidia possunt.

De Sacramento extremæ unctionis.

Jacob. epist. cap. 5. 14.

3. Præter plurima Christianorum moribus sancte, pieque instituendis aptissima, id præ ceteris notatu dignum in Jacobi Epistola occurrit, quod extremæ unctionis Sacramentum, ejusque administrandi ritum, necessitatem, utilitatemque memorat, promulgatque: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*

teros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Quibus Apostoli verbis verum novæ legis Sacramentum designari exploratius est, quam ut hic oporteat confirmare; postquam præsertim Rei Sacramentariæ Tractatores, aliique innumeri ferme Scriptores perpetuam Catholicæ Ecclesiæ Doctrinam de extrema Unctione adversus hæreticos strenue propugnarunt. Quamobrem merito quidem Tridentina Synodus in eos omnes anathematis pœnam constituit, qui aliter sentire, aut docere audeant: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere, & proprium Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* De hoc porro Sacramento, ejusque ministro hæc Innocentius in Epistola ad Decentium: *Sane quoniam de hoc, sicuti de ceteris, consulere voluit dilectio tua; adjecit etiam Cælestinus filius meus Diaconus in Epistola tua esse a tua dilectione positum illud, quod in Beati Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est: Infirmatar quis in vobis, &c. quod non dubium est de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui oleo sancto chrismatis perungi possunt; quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo.* Quæ sane passive, uti dicitur, accipienda esse, atque ita intelligenda, ac si diceret, quoslibet Christianos eo posse inungi, ea quæ sequuntur verba declarant: *Ceterum illud superfluum videtur adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est; quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate sine cunctatione potest, cujus nempe est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Hactenus Innocentius, non quidem ex aliqua tunc recens oborta institutione, sed ex iis, quæ a majoribus tradita acceperat.

[Margin: JESU CHR. AN. 59. — Conc. Trid. sess. 14. can. 1. — Innoc. Epist. apud Cout. pag. 863.]

4. Non eodem semper, & ubique, tempore sacra hæc unctio collata fuit. Namque in qualibet infirmitate alicubi hoc Sacra-

[Margin: De usu extremæ unctionis.]

JESU CHR. AN. 59.

Sacramentum ministrabatur, uti penes Græcos adhuc usuvenit. Aliis vero in locis extremo tantum morbo laborantibus, & Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramentis antea susceptis conferebatur. Alibi contra ante Eucharistiam dabatur, uti a Cistercienfibus Monachis nunc etiam in Galliis fieri intelligimus. Ceterum jamdiu in occidente obtinuit, ut fidelibus, qui adeo periculose ægrotare videntur, ut ne supremus illis vitæ dies instet metuendum sit, extrema unctio præbeatur, Pœnitentiæ tamen & Eucharistiæ Sacramento antea administrato.

v. Mabillon. act. Ord. S. Bened. tom. 1. p. 102.

An Liturgia Jacobo Apostolo adscribenda sit.

5. Præter Canonicam Epistolam, Liturgiam quoque Jacobo Apostolo tribuendam censent Eruditorum plurimi: *Extat*, inquit Baronius, *ab eodem Jacobo suæ Ecclesiæ tradita sacrificii forma, nempe Missa. Idque non ex Apocryphis testatum referimus, sed majorum auctoritate*. In eadem cum Baronio sententia fuit & Bona, Cardinalis Doctrinæ & pietatis laude Clarissimus. At quænam sit hæc majorum auctoritas, qua probetur Jacobum Apostolum Liturgiam edidisse, atque illam esse, quæ nunc ejus nomine circumfertur, sane non constat. Ejus quidem meminerunt Proclus Episcopus, & Synodus Trullana; Verum tanta non est Procli, aut Trullanæ Synodi auctoritas, ut sit iis in hoc omnino adsentiendum: Præterea non exploratum est prorsus an Liturgiæ fragmenta, quæ Proclo tribuuntur, ejus revera sint. Quapropter eruditissimi certe viri Jacobi Liturgiam, uti & reliquas, Petri, Marci, & aliorum Apostolorum, ad Apocrypha amandandas esse non dubitarunt. Etenim vel ipsi Jacobeæ Liturgiæ patroni quamplurima, labente tempore, eidem addita fuisse fatentur, *ut non sit facile*, teste Bellarmino, *dijudicare, quæ pars hujus Liturgiæ Sanctum Jacobum habeat auctorem*. Si itaque in Jacobi Liturgia ea discerni non possunt, quæ Apostolus ipse scripsit, ab iis, quæ postea addita fuerunt, qua quæso ratione Jacobo poterit adscribi? Quod vero ad hujusmodi quæstionem plurimum valet, dicendi formulæ, & orationes in ea Liturgia passim occurrunt, quæ posteriori ævo scriptam evincunt, uti a pluribus est jamdiu adnotatum.

Bona Liturg. lib. 1. 8.

Tillem. not. 16. in Jacob.

Nat. Alex. Sæc. I. cap. XI. art. 3.

Du-Pin. Biblioth. tom. 1.

Bellarm. de Script. Eccl.

Nat. Alex. Tillem. ut sup. Basnag. an. 58. Le Nourry appar. T. 1.

Josephus Romam navigans naufragium facit.

6. Cum Felix Judææ præesset, Sacerdotes quosdam Josepho persamiliares *Viros honestos, & bonos ob levem quamdam culpam, vinctos Romam misit causam suam apud Cæsarem dicturos*. His itaque opem laturus Josephus, cum esset annorum viginti sex, Romam & ipse navigavit, parumque abiiit

Joseph. vita § 3.

abfuit quin naufragio periret: *Navi enim in medio sinus Adriatici submersa, cum essemus*, inquit, *numero circiter sexcenti, totam per noctem natavimus; tandem sub diluculum conspecta ex Dei providentia navi Cyrenaica, ego, & alii nonnulli, ad octoginta universi, feliciori usi natata in eam recepti sumus. Cumque ita evasissem in Urbem Dicaearchiam (quam Puteolos vocant Itali) veniebam in amicitiam Alituri* (erat autem is mimorum actor in magna apud Neronem gratia, genere Judaeus), *perque eum ubi Poppaeae uxori Caesaris innotui, id quam ocyssime ago, ut meis apud ipsam precibus solverentur Sacerdotes. Cumque praeter hoc beneficium magnis muneribus cohonestatus essem a Poppaea, in Patriam revertebar.*

JESU CHR. AN. 59.

7. Poppaeae amore adeo insaniebat Nero, ut cum superstite matre Agrippina, matrimonium cum ea inire se posse desperaret, de patrando matricidio tandem consilium iniit; cumque dubius aliquando fuisset, num veneno, aut aperta vi, vel ferro interimeret, multaque, sed frustra tentasset; hortante tandem Poppaea, Aniceto Liberto jussit, ut eam ferro perimeret. Quem ut ad se evaginato gladio accedere vidit Agrippina, ventrem nudatum obtulit, dicens, *percute, amice, percute, quoniam peperit Neronem. Parricidio Matris*, Suetonio teste, *Domitiae amitae necem adjunxit. Quam cum ex duritia alvi cubantem visitaret, & illa tractans lanuginem ejus, ut assolet, jam grandis natu, per blanditias forte dixisset: Simul hanc excepero, mori volo; conversus ad proximos, confestim se positurum, velut irridens, ait; praecepitque Medicis, ut largius purgarent aegram (idest, ut occiderent). Post haec*, subdit Dio, *celebravit festa, quae dicuntur Juvenilia, ea propter barbam ejus, quae tum primum rasa fuerat, facta sunt; cujus pilos in spheram auream conjectos Jovi Capitolino consecravit.*

Nero matrem Agrippinam occidit, & Domitiam amitam.

Tacit. lib. 14. Sueton. in Neron. cap. 34. Dio lib. 61.

JESU CHRISTI AN. 60. PETRI APOST. 29.
ROM. PONT. 18. NERONIS IMP. 7.
COSS. NERONE AUG. IV. ET COSSO CORNELIO
OLYMP. 209. AN. 4. URBIS AN. 813.

1. Biennio fere postquam Paulus in vinculis Caesareae detinebatur in Judaea regenda Porcius Festus Felici successit; qui ut iratos Judaeorum animos sibi reconciliaret e Provincia

Festus Felici succedit in Syriae Praefectura.

JESU CHR. AN. 60. Act. 24. in fin. decedens *Paulum vinctum reliquit*. Spes tamen eum fefellit; Namque Judæorum Cæsaream incolentium optimatibus Romam profectis, & accusatione adversus ipsum instituta, dedisset sane Felix pœnas injuriarum, quibus Hebræos affecerat, nisi Nero Pallantis fratris, qui apud eum gratia plurimum valebat, precibus indulsisset.

Joseph. lib. 20. cap. 8.

Judæi Paulum coram Festo accusant, eique insidias struunt; Act. 25.

2. Cum itaque Festus Provinciam ingressus, tertio post die sese Hierosolymam contulisset; *adierunt eum principes Sacerdotum, & primi Judæorum adversus Paulum postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci in Hierusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in via. Festus autem respondit, servari Paulum in Cæsarea, se autem maturius profecturum. Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. Demoratus autem inter eos dies non amplius octo, aut decem, descendit Cæsaream: & altera die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci. Qui quum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Hierosolyma descenderant Judæi, multas, & graves causas objicientes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me? Dixit autem Paulus: ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Judæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. Si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum Concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.*

Cur Apostolus ad Cæsarem appellaverit. Act. 19. 21. cap. 23. v. 11.

3. In tanto autem vitæ periculo ad Neronem ideo potissimum provocavit Apostolus, quia divino revelante spiritu cognoverat Romæ se prædicaturum. Prodit aperte Lucas: *proposuit Paulus in Spiritu transita Macedonia, & Achaja ire Hierosolymam, dicens; quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre*; & rursus: *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait, constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari*. Quamobrem non *vitæ suæ transitoriæ*, inquit apposite Augustinus, *consulebat Apostolus, sed Ecclesiæ Dei, quando contra illos, qui eum occidere conspiraverant, consilium illorum Tribuno ut proderetur*

August. epist. n. 28.

esse-

effecit. Unde factum est, ut eum ad locum, quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateretur insidias. Romanas enim leges implorare minime dubitavit, civem Romanum se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemque ne Judæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris poposcit auxilium, Romani quidem Principis, sed non Christiani. Ubi satis ostendit, quid facere deberent postea Christiani dispensatores, quando Imperatores Christianos, periclitante Ecclesia, reperirent.

Paulus coram Agrippa Rege, & Berenice, & Festo de fide Christiana disputat. *Act. 25.*

4. Diebus aliquot transactis, cum Agrippa Rex, & Berenices soror ejus Cæsaream venissent, ut Festum novum Provinciæ Præsidem de more salutarent, & complures ea in urbe dies essent commorati; accidit, ut Festus animo pendens, incertusque quid de Paulo ad Cæsarem scriberet, Agrippæ ea de re consilium sciscitaretur. Qui cum libenter se hominem auditurum dixisset, postridie Agrippa & Berenice cum multa pompa in auditorium ingressis, comitantibus Tribunis, præcipuisque ejus urbis civibus, Paulum catena vinctum Festus coram adduci jussit, eorumque de homine sententiam in hæc verba, teste Luca, rogavit: *Agrippa Rex, & omnes qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Hierosolymis, petentes & acclamantes, non oportere eum vivere amplius. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum judicavi mittere. De quo quid certum scribam Domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maxime ad te Rex Agrippa, ut interrogatione facta, habeam quid scribam. Sine ratione enim mihi videtur, mittere vinctum, & causas ejus non significare.* Itaque Præsidis morem gerens Agrippa, potestatem causæ suæ agendæ, seque coram defendendi permisit. Quamobrem Apostolus *extenta manu cœpit rationem reddere de omnibus, quibus accusabatur a Judæis*, & luculenta oratione ostendit, se legis Mosaycæ zelatorem antea fuisse, eaque de causa acerbissimo odio, dirisque cladibus Christianos vexasse; sed tandem divinitus a Christo vocatum, Judæis, & Gentibus continuo Jesum Christum prædicasse. Verum hæc *eo loquente, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule; multæ litteræ te ad insaniam convertunt. Et Paulus: non insanio, inquit, optime Feste: sed veritatis, & sobrietatis verba loquor. Scit enim de his Rex, ad*

Act. cap. 26.

Act. 26. v. 24.

L 2 *quem*

JESU CHR. AN. 60. *quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror: neque enim in angulo quidquam horum gestum est. Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio quia credis. Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri. Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Hactenus Paulus, qui licet Præsidi hujusmodi rerum penitus ignaro insanire videretur, Regi tamen in Scripturis exercitato prope persuaserit ut fieret Christianus, totiusque consessus judicio existimatum fuerit nihil morte aut vinculis dignum ipsum fecisse, ac propterea solvi posse, nisi Cæsarem appellasset.

Paulus Romam navigat. *Act.* 27.

5. Quum igitur decretum esset, ut Romam ad Cæsarem Paulus mitteretur, traditus est cum quibusdam aliis vinctis Julio Centurioni Cohortis Augustæ, qui eum navi Adrumetinæ Asiam petenti imposuit, comitantibus Timotheo, Luca, & Aristarcho Thessalonicensi: Sequenti autem die devecti sunt Sidonem, ubi Julius humaniter cum Paulo agens permisit, ut amicos inviseret, ab iisque curaretur. Illinc provecti sublegerunt Cyprum, quod venti essent adversi; & pelagus, quod est secundum Ciliciam, & Pamphyliam, emensi Myram Lyciæ Urbem devenerunt, ubi cum invenisset Centurio navem Alexandrinam, cujus insigne erat Castor, & Pollux, petentem Italiam, imposuit illi captivos. Quumque multis diebus tarde navigantes, vix pervenissent secundum Gnidum, adnavigaverunt Cretam secundum Salmonem; atque vix prætergentes pervenerunt ad Pulchros portus in Creta insula; Solemne expiationis Jejunium mense septimo a Judæis quotannis celebrari solitum prætererat, jamque periculosæ navigationis tempora instabant; quare quæ imminerent mala prævidens Paulus, ut isthic hyemarent, consuluit. Verum id longe commodius in alio Cretæ Portu, Phœnice, dicto fieri posse visum est ceteris; quo cum ideo tenderent, turbulento mox vento, qui Euroclydon vocatur, exorto, ad Claudam insulam delati sunt. Inde abrepti, & vehementi tempestate jactati, tertio die armamenta navis abjicere conati sunt; neque sole, neque sideribus per plures dies apparentibus eo res denique adducta erat, ut nulla salutis spes amplius reliqua esse videretur. Sed Angelus per noctem Paulo revelavit oportere eum sisti Cæsari, ideoque donavisse ei Deum omnes, qui navigabant cum ipso.

Qua-

Quare nocte quadragesima, cum jactarentur in Adria, suspicabantur Nautæ appropinquare sibi aliquam regionem, quam postea compererunt esse Melitam insulam. Illisque conantibus eo appellere, navis procellarum vi dissoluta periit; homines vero partim enatantes, partim tabulis, & fragmentis navis subvecti, salvi in terram omnes evaserunt.

JESU CHR. AN. 60.

6. Naufragi ab incolis humanissime excepti sunt; qui accensa pyra eos continuo *propter imbrem qui imminebat, & frigus*, reficiendos curarunt. Cum autem Paulus sarmenta super ignem imposuisset, Vipera manum ejus appetiit; quod ut viderunt barbari, pro homicida Paulum habuere, quem undis ereptum Numinis ultio non sinerat vivere. At cum viperam manu excussisset in ignem Apostolus sine damno, in admirationem rapti, quem antea nefarium hominem existimaverant, Deum esse dicebant. Hic triduo apud Publium Insulæ Principem diversati sunt, cujus pater febri & dysenteria laborans a Paulo sanatus est, & ceteri, quotquot in insula ægroti, curati sunt.

Paulus, & Socii a Naufragio liberati in Melitam insulam descendunt. *Act.* 28.

7. Veniens in Judæam Festus, Hebræorum res domi, forisque vehementer perturbatas offendit. Etenim Judæis Cæsaream incolentibus Neronis edicto jus civitatis hoc ferme tempore ademptum est. Rem ita prodit Josephus: *Duo primores Syrorum, qui Cæsareæ erant, Burri (ille enim Neronis erat Magister) idemque ei a græcis Epistolis, ingenti pecuniæ vi persuadent, ut illorum in gratiam litteras a Nerone impetraret, quibus Judæis adimeretur jus civitatis, illis cum Syris commune. Atque Burrus, cum Imperatori supplicasset, id obtinuit, ut hujusmodi Epistola scriberetur: unde mala quæ gentem nostram postea afflixerunt, ortum habuere. Judæi enim Cæsarienses, ubi cognoverunt quæ scripta erant ad Syros, eo magis in seditionibus perstabant, donec bellum exarsit.* Præterea a Latronibus vicos passim incendentibus, & diripientibus Judæa vexabatur: Horum enim ferocissimi qui a Sicis, idest ensiculis, instar acinacis Persici, incurvis, Sicarii appellabantur, ad maximum numerum excreverant, & festis diebus immixti turbæ Hierosolymam undique religionis caussa confluenti, quotquot voluissent nullo negotio trucidabant: Sæpe etiam in vicos irruebant, direptisque ignem admovebant. Eos itaque sollicite persequutus Festus plurimos comprehendit, ac non paucos interfecit.

Neronis edictum contra Cæsarienses. *Joseph. lib.* 20. *cap.* 8.

8. His accessit maximum Agrippam Regem inter, & Sacerdo-

Dissidium inter Regem & Sacerdotes.

JESU CHR. AN. 60. Joseph. lib. 20. cap. 8.

cerdotes dissidium: *Rex* enim *Agrippa Ædificium magnitudine insigni extruxit prope Xystum, in Regia Hierosolymitana Herodiana, quæ olim fuerat Asamonæi filiorum Regia: cumque in loco eminenti situm esset, inde amœnissimus prospectus patebat urbem aspectare volentibus; cujus rei cupidus rex e triclinio, cum illic decumberet, quidquid in templo ageretur, spectabat. Illa ubi viderunt Hierosolymitanorum proceres, vehementer succensebant; neque enim patria consuetudo, aut lex ferebat, ut quæ in templo gererentur, & maxime cum res sacra fieret, aliquis præter Sacerdotes aspiceret*. Parietem ex adverso excitarunt ita ... ut, ut *non solum prospectum e regio triclinio interciperetur, sed & e porticu occidentali, extra templum ubi Romani festis diebus excubias agebant. Ista ægre tulerunt & rex Agrippa, & maxime Festus Præses, eisque præcepit ut murus dirueretur. Illi vero rogarunt, ut liceret sibi legatos ea de re ad Neronem mittere*: Cumque Festus id permisisset, ad Neronem de suis ablegarunt decem primores, & Ismaelem Pontificem, & Helciam sacri ærarii custodem. Nero autem cum eos audivisset, non solum quod factum erat eis ignoscebat, verum etiam concessit, ut staret, maneretque ædificium; gratificatus in hoc uxori suæ Poppeæ, quæ (femina utpote religiosa) ei Judæorum in gratiam supplicaverat; Quæ decem quidem viros abire jussit, Helciam vero, & Ismaelem apud se tamquam obsides retinuit. *At rex ubi ista rescivit, Pontificatum detulit Josepho cognomine Cabi, Simonis olim Pontificis filio*.

JESU CHRISTI AN. 61. PETRI APOST. AN. 30.
ROM. PONT. 18. NERONIS IMP. 8.
COSS. CÆSONIO PÆTO, ET PETRONIO TURPILIANO.
AN. URBIS 814. OLYMP. 210. AN. 1.

Paulus Melita solvens Romam venit. Act. 28.

1. Transacta hyeme, & tribus postquam Melitam advenerant mensibus, Paulus & Comites multis honoribus ab Insulanis affecti, atque iis, quæ usui erant necessaria, instructi, conscensa Navi Alexandrina, quæ in Insula hyemaverat, cui erat insigne Castorum, Syracusas devecti sunt; inde circumlegentes devenerunt Rhegium; & post unum diem superveniente austro, secunda die venerunt Puteolos; ubi repertis fratribus rogati sunt, ut permanerent apud eos diebus septem, atque illinc Romam contenderunt. Unde fratres, de Pauli adventu certiores facti,

facti, occurrerunt ei usque ad forum Appi, & tres Tabernas. Viam Appiam Setinorum agro finitimam fuisse meminit Plinius. Sed quo loci potissimum situm esset Appii forum, non omnes recte norunt. Optime indicavit Holstenius, & hac nostra ætate Petrus Marcellinus Card. Corradinus, qui pluribus indubiæ fidei monumentis ostendit forum constitutum in Agro Latino, ubi nunc est *Casarillo S. Maria*, & magna visuntur deleti oppidi vestigia, inter XLIII. & XLIV. ab Urbe lapidem; non vero XLII. & XLIII. uti scripsit Holstenius; vel ad LI. quod Baronius existimavit. Et sane Appii forum XLIV. mille passibus ab Urbe distasse constat ex Antonini Itinerario, quod ita Viæ Appiæ loca computat:

Plin. lib. 14. 6.
Annot. ad Cir- ver. p. 218.
Vetus Lat. To. 1. lib. 1. cap. 2.
A. 59. n. 3.

Roma		
Ariciam m. pl. m.	XVI.	
Tres Tabernas m. pl. m.	XVII.	(VII.)
Appi Forum m. pl. m.	XVIII.	(XXI.)

Inter vigesimum primum, & vigesimum secundum lapidem tres Tabernæ erant, idest tres cauponæ, quæ dein creverunt in oppidum, & Civitas Episcopalis ejus nominis facta, uti præsertim discimus ex S. Gregorio M. qui Trium Tabernensium Ecclesiam desolatam Icanni Episcopo Velitrensi committit. Multi Tres Tabernas constituunt, ubi nunc Cisternæ oppidum; horum tamen palmaris error patet ex veteribus, quæ supersunt Itinerariis. Quacumque Apostolus transibat, a Fratribus, Christianis scilicet, Syracusanis, Rheginis, & Puteolanis summa humanitate exceptus est; sed Romanorum in eum officia præ cæteris commendantur, qui ei ultra quinquagesimum lapidem veluti Triumphatori occurrerunt. Vinctus quidem catenis Romam Paulus ingressus est; sed verbum Dei, non erat alligatum, cujus vi de Romanis quodammodo triumphavit, cum eos ab Idolorum cultu, & Dæmonis captivitate erutos, Evangelio erudivit, Christoque lucri fecit. Tam felicis, faustique diei, quo Apostolus in Urbem advenit, memoria recolitur apud Bedam, & Usuardum die 6. Julii; verum cum verno tempore Melita solverit, & felici usus navigatione, paucis diebus iter confecerit, Luca teste, haud videtur probabile Quintili ineunte mense Romam ingressum fuisse. Digna sunt quæ huc afferantur in hanc rem Christiani Poetæ Aratoris Carmina. *Pullu-*

Lib. 2. Ep. 35.
Arator. in Act. Apostol.

JESU CHR. AN. 61.

Pullulat interea nitidi coma frondea veris,
Quo juvenescit humus senio fugiente pruina
Suscipiensque ratem, velis cedentibus Auster
Præbuit aligeras, placidis in fluctibus undas.

Res a Paulo Romæ gestæ.

2. Qui ad Urbem criminis caussa deducerentur, vel in carceribus, vel inter Prætorianas Cohortes custodiebantur, veluti de Agrippa testatur Josephus; Paulo tamen, cui nullum speciale crimen objiciebatur, *permissum est manere sibimet cum custodiente se milite*; idest in conductitia domo sub militis custodia; qui uti moris erat, eadem catena, qua captivi dextera manus vinciebatur, & ipse sinistra tenebatur; ita ut commode pari passu incedere possent: *Post tertium vero diem convocavit primos Judæorum; cumque convenissent, dicebat eis: ego viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum: qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla causa esset mortis in me. Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, & alloqui: propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi: quibus exponebat, testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi, & Prophetis, a mane usque ad vesperam. Et quidam credebant his, quæ dicebantur, quidam vero non credebant. Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens: Vade ad Populum istum: & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam Genti-*

Joseph. lib. 8. Antiq. cap. 8.

Act. 28.

Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audiunt. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. Mansit autem biennio toto in suo conducto: & suscipiens omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione. Hactenus Lucas, qui cum ulterius Apostolorum Acta persequutus non fuerit, reliqua Pauli gesta, vel ex ejusdem Epistolis, vel aliunde eruenda sunt. JESU CHR. AN. 61.

3. Difficilem sane provinciam susceperat Apostolus, ubi ad Cæsarem, Neronem scilicet appellavit; verum alacri id animo fecit divina revelatione fretus, qua dictum ei fuerat: *constans esto, sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari*; Discipulos, amicosque ab eo in tanto vitæ discrimine recessisse memorat in Epistola ad Timotheum: *in prima mea defensione, nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur*. Rursus: *Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes*. Quod tamen amici non præstiterunt, a Christo Domino est consequutus: *Dominus autem mihi adstitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Et liberatus sum de ore leonis* (sic enim Neronem appellat, ob immanem, ac prorsus feralem sævitiam); *liberavit me Dominus ab omni opere malo, & salvum faciet in regnum suum cæleste*. Quamvis enim non omnino liber abire sit jussus; licuit ei tamen uti antea exposuimus, seorsim habitare cum milite, qui ipsum custodiret. Toto autem biennio, quo ita vinctus Romæ versatus est, non vulgo tantum plebique Evangelium prædicavit, sed in Prætorio, & in ipsa Cæsaris aula. Hinc Philippenses de rebus a se Romæ gestis admonens, *Scire vos*, inquit *volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in omni Prætorio, & in cæteris omnibus*; & rursus *salutant vos omnes fratres, maxime qui de domo Cæsaris sunt*.

Quid Apostolus Romæ egerit coram Nerone. *Act. 23.* 2. *ad Tim. 4.* *Ibid. cap. 1.* *Ad Philipp. 1. 13.* *Cap. 4. 22.*

4. Neque Romanis tantum ad Christi fidem adducendis, erudiendisque Apostolus incubuit; sed fidelibus etiam, qui quam longissime aberant, præsto fuit. Etenim Philippensibus, Colossensibus, Philemoni, Ephesiisque Epistolas dedit. Quo hæ ordine singulæ scriptæ fuerint, difficillimum est definire; si conjecturis tamen locus, ad Philippenses primam dedisse vix dubi-

De Pauli Epistolis Romæ scriptis & de Epistola ad Philippenses. *Act. 16.*

JESU CHR. AN. 61. tari poteſt. Memores enim beneficiorum, quibus eos ſibi Paulus obſtrinxerat, ubi ipſum Romæ vinculis detentum intellexerunt, Epaphroditum ipſorum Apoſtolum (ſic eum Paulus appellat) Romam cum muneribus ejus ſolatio delegarunt. Epaphroditus, ubi in urbem pervenit, Pauli obſequiis ſe totum impendit, & graviſſimo correptus morbo, diu in ea verſari coactus eſt: quare Paulus, ut Philippenſes de illo vehementer ſollicitos ſolaretur, vix convaleſcentem remiſit, eique deferendam Epiſtolam tradidit: *Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, & Cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mæſtus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum; nam & infirmatus eſt uſque ad mortem; ſed Deus miſertus eſt ejus, non ſolum autem ejus, verum etiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. Feſtinantius ergo miſi illum, ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim; excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejuſmodi cum honore habetote, quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, ut impleret id quod vobis deerat erga meum obſequium.* Epiſtolæ initio ſibi Timotheum Paulus jungit, quem Philippos ſe facile miſſurum, poſtquam ſuis rebus aliquantulum conſuluerit, pollicetur. Quin ſe eo aliquando perrecturum confidit: *Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito.* Ut animarum concordiam colant, idemque omnes in Chriſto ſapiant, hortatur; humilitatem Chriſti eis imitandam proponit; & pſeudo-Apoſtolos graviſſime increpat, qui ex lege, non vero ex fide Chriſti, veram juſtitiam oriri nunciabant. Paulinæ hujus Epiſtolæ meminit Polycarpus, a quo hæc Philippenſibus iiſdem ſcripta legimus: *Neque enim ego, neque alius mei ſimilis aſſequi poteſt Beati, & glorioſi Pauli ſapientiam, qui cum eſſet apud vos in conſpectu hominum, qui tunc vivebant, qui & abſens vobis ſcripſit Epiſtolas; in quas ſi intuemini ædificari poteritis in fide, quæ data eſt vobis.* Porro falſos illos Apoſtolos ita Paulus deſignat: *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem*; & deinde: *multi enim ambulant (quod ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Hæreticos, qui Chriſtum crucifixum fuiſſe negabant, ideſt Simonianos, Cerinthianos, aliaſque peſtes hujuſmodi ab Apoſtolo perſtrictas

Ad Philipp. cap. 2. 25.

apud Cotell. to. 1. pag. 185.

ad Philippenſes 3.

strictas censuit Baronius; Alii tamen, & hi nostra quidem sententia rectius existimant, Judæos innui, qui licet in Christum credidissent, circumcisionem tamen, totiusque Mosaycæ Legis observantiam, ad æternam salutem adhuc necessariam esse contendebant; quosque idem Apostolus tum aliis in Epistolis sæpe perstrinxit, cum in hac vivis sane coloribus & ita oculis subjicit: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu; & non in carne fiduciam habentes*. Quibus sane verbis facile quisque intelligit non hæreticos Simonianos, aliosque his similes describi, sed Judæos, circumcisionis, præter Christi fidem, necessitatem docentes, ac proinde in lege Moysis, & carnis circumcisione gloriantes; quos ideo inimicos Crucis Christi merito appellat Apostolus.

JESU CHR. AN. 61.
Baron. an.60. 4.
v. Estius in epist. ad Philippen.
Ad Philipp. III. 2.

5. Ad Colossenses præterea hoc anno Epistolam dedit Apostolus, quam catenata manu scripsisse indicant ea verba: *Deus adaperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum*, & in fine, *memores estote vinculorum meorum*. Colossas, Urbem inter Phrygiæ præcipuas a Plinio recensitam, detulere Tychicus, & Onesimus, Philemonis servus, quem ad fidem Paulus adduxerat, dum in urbe detineretur; *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus carissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino, quem misi ad vos, ob hoc ipsum, ut cognoscat, quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra cum Onesimo carissimo & Fideli fratre; qui ex vobis est. Omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis*. Non defuere, qui crederent hanc Epistolam datam fuisse ad fideles degentes Rhodi, urbe solis Colosso celeberrima; verum ex totius Epistolæ serie satis compertum est scriptam Colossensibus in Phrygia, quibus contermini erant Laodiceni, & Hierapolitani; Quare de Epaphra Colossensium Episcopo, qui Laodicenæ quoque, & Hierapolitanæ Ecclesiæ præerat, quique eo tempore captivus Romæ tenebatur, hæc habet Apostolus: *Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli*; & in Epistola ad Philemonem de eodem: *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu*. Colossenses nondum Apostolus viderat, neque iis Evangelium prædicaverat; *Volo vos scire, fratres, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiceæ, & qui-*

Pauli Epistola ad Colossenses.
ad Coloss. 4. 3. & 18.
Lib. 5. 32.
Ad Coloss. 4. 7.
Ad Coloss. 4.
Ad Coloss. 2.

Jesu Chr. an. 61. *quicumque non viderunt faciem meam in carne*. Theodoretus tamen, aliique tradiderunt Apostolum Colossis, & Laodiceæ Evangelium antea prædicasse, & longe alios a Colossensibus, & Laodicenis fuisse, qui Pauli faciem secundum carnem non viderant.

Estius in præf. epist. ad Colos. Theodoret. in epist. ad Colos. Bar. 60. 14.

De Religione, & cultu Angelorum. *Ad Coloss. 2.*

6. Cur autem has Litteras scriberet Paulus in caussa fuere pseudo-Apostoli, qui Colossenses in falsam Angelorum religionem inducebant: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei*. Quos hisce verbis sugillaverit Apostolus, difficile est invenire, difficillimum definire. Consultus Hieronymus ab Algasia de hujusce Apostolici textus sensu, in ea sententia fuit, ut crederet Judæos designari, qui ea refugis Angelis, & Demonibus sacrificia offerrent, quæ soli Deo debebantur: *Quærimus*, inquit, *quid dicere voluerit in humilitate, & religione Angelorum, aut quem sensum habeat; ex quo Dominus loquutus est ad discipulos, relinquetur vobis domus deserta ... omnis Judaicarum observationum cultura destructa est, & quascumque offerunt victimas non Deo offerunt, sed Angelis refugis, & dæmonibus*. Idem ferme ante Hieronymum sensisse videtur Clemens Alexandrinus. Cum tamen constet Apostolum Epistolis suis hæreticos ut plurimum insectatum fuisse, qui sub Christiano nomine in Ecclesiam Catholicam grassabantur; Theodoreto potius accedendum putamus, qui existimavit Hæreticos, Simonianos, scilicet vel Cerinthianos, a Paulo innui, qui Christum abnegantes, docebant Angelorum ministerio, & intercessione homines posse salvari, quorumque hæresim & Tertullianus quoque refellit. Atque hinc facile intelligitur cur Apostolus ea in Epistola Christi dignitatem, excellentiam, dotes tantopere commendet. Hujusmodi Hæreticos anathemate perculsos novimus a Laodicena Synodo *Canone 35. Non oportet Christianos, derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos Idololatriæ abominandæ congregationes facere. Quicumque autem inventus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans anathema sit; quoniam relinquens Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, accessit ad Idola*. Hic autem animadvertere omnino oportet a Theodoreto, & Laodicena Synodo idololatricum tantummodo Angelorum cul-

Hier. epist. 151. ad Algasiam quæst. 10. pag. 872.

Tertull. de præscript. cap. 33.

Hard. tom. 1. Concil. p. 787.

cultum improbari, quo videlicet iis honos Deo debitus Ethnicorum moribus exhibebatur; quod nemo sane non intelligit, quidquid contra clamitent Novatores, quantum a religioso eo cultu differat, quo Ecclesia Catholica sanctos Angelos, veluti fidelium Patronos, & apud Christum intercessores, æternæque salutis administros veneratur. Pluribus itaque Colossenses admonet Apostolus, ut a superstitioso Angelorum cultu sese prorsus abstineant, ostenditque Christum solum esse salutis auctorem; natura Deum esse, ac potestatibus, & cælestibus virtutibus eum quam longe præstare. Deinde hortatur, ut veterem hominem exuentes, novo induantur; Deo puro corde inserviant, eumque Psalmis, Hymnis, & Canticis colant: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia; docentes & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus in gratia cantantes cordibus vestris Deo*; quod & Ephesiis inculcat. *Ad Colos. 3.*

7. Quid autem discriminis inter psalmos, & canticos intercedat, luculenter docet Hieronymus: *Nunc autem breviter hymnos esse dicendum, qui fortitudinem, & majestatem prædicant Dei, & ejusdem semper, vel beneficia, vel facta mirantur, quod omnes psalmi continent; quibus Alleluja, vel præpositum, vel subjectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent; ut per organum corporis, quid faciendum, & quid vitandum sit, noverimus. Qui vero de superioribus disputat, & concentum mundi, omniumque creaturarum ordinem, atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste spirituale Canticum canit*. Hujusmodi divisionem Hieronymus ab Hebræis accepit; apud quos eadem psalmorum, hymnorum, & canticorum divisio hodiedum viget.

De differentia inter psalmos & hymnos. *Hieronym. comm. in epist. ad Eph. cap. 5. tom. 7. p. 651.*

8. Frequentissimum semper apud fideles fuisse Psalmorum, Hymnorum, Canticorumque usum multis veterum temporum exemplis constat: *Tristatur quis in vobis*, ait Jacobus, *oret, æquo animo psallat*. Paulus, & Silas, cum in carcere detinerentur; media nocte laudes Deo canebant. Christus ipse & Discipuli post Cœnam, *hymno dicto, exierunt in Montem Olivarum*. Hinc factum, ut cum ad Ecclesias convenirent, diu noctuque psallerent, quod & Ethnicorum testimonio confirmatur; Plinii in primis, a quo hæc ad Trajanum Imperatorem scripta legimus: *Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent soliti stato*

De cantu Psalmorum &c. *Jacob. 5. 13. Act. cap. Marc. 14. Plin. epist. 97 lib. 10.*

JESU CHR. AN. 61. *to die* (idest Dominica) *ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem.* E nostris vero Justinus Martyr in sua ad Antoninum Apologia, hymnos a Christianis Deo decantari, tradit. Id ipsum testatur Cyprianus: *quando in unum cum fratribus convenimus, & sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ, & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus.* Augustinus præterea. *Quas tibi voces dabam*, inquit, *in psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare si possem toto orbe terrarum adversus typhum generis humani, & tamen toto orbe cantantur.* Denique Basilius in Epistola ad Neocæsarienses: *Ad id vero quod propter psalmodias accusamur: quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui vos traducunt; hoc habeo quod dicam: quod videlicet, qui jam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt, & consoni. De nocte siquidem populus consurgens, antelucano tempore domum precationis petit: inibique labore, & tribulatione, ac lacrymis indeficientibus facta ad Deum confessione, tandem ad orationem surgentes, ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes psallunt: atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem, meditationem corroborant, & cordibus suis attentiorem, rejectis carnis cogitationibus mentis soliditatem suppeditant. Deinde uni ex his hoc muneris dato, ut quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt: atque ita in psalmodiæ varietate, precibusque subinde interjectis, noctem superant. Illucescente jam die, pariter omnes velut uno ore, ac corde uno confessionis psalmum Domino offerunt: ac suis quisque verbis resipiscentiam profitentur. Horum gratia si nos fugitis, fugietis simul & Ægyptios, fugietis Lybiam utramque, Thebeos, Palæstinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitant, & (ut semel dicam) omnes apud quos vigiliæ, ac preces, communesque psalmodiæ in pretio sunt.* Quo autem ritu psalmi a fidelibus canerentur, explicat idem Basilius: *Uni committentes ut prior canet, reliqui succinunt.* Cantores namque, qui a Socrate *Monitores*, *Suggestores*, *Psalmi pronunciatores*, *& prænunciatores* appellantur, præcinebant, Populus vero succinebat. Concinit Chrysostomus: *& is, qui psallit, solus psallit, etsi omnes respondendo resonent, tanquam ex uno ore vox fertur;* Sozomenus vero: *Præcinebant autem ceteris ii, qui psalmos calle-*

Justin. Apolog. 2.

Cyprian. de orat. Domin. pag. 100.

August. Confess. lib. 9. cap. 4. p. 163.

Basil. epist. 269.

In universa Ecclesia receptus usus cantus psalmorum.

Socrat. hist. lib. 5. 22.

Homil. 36. in epist. ad Corinth. sub fin. Sozom. lib. 5. 19.

callebant, multitudo deinde respondebat cum concentu. Hunc porro ritum & Esseni, Philone teste, in suis conventibus observabant: *ubi consurrexere omnes, duo Chori fiunt in medio Cænaculo, alter virorum alter fœminarum, cuique suus incentor* (idest Cantor) *præficitur honore præstans, & canendi peritia*.

Jesu Chr. an. 61.

Philo de vita contempl.

9. Litteris prodidit Socrates ritum alternatim canendi ab Ignatio Antiocheno Episcopo, & Apostolorum discipulo inductum fuisse: *Ignatius Antiochiæ in Syria Episcopus ... vidit aliquando Angelos, hymnis alternatim decantatis, S. Trinitatem celebrantes; & canendi rationem, quam in illa visione animadverterat, Ecclesiæ Antiochenæ tradidit*. Obstat tamen Theodoretus, qui, & vero forte similius, Flavianum, & Diodorum Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteros ritus hujusmodi auctores memorat: *Hi primi*, ait, *psallentium choros duas in partes diviserunt; & Davidicos hymnos alternis canere docuerunt*; Quod forte a Syris jam usurpatum, in Antiochenam Ecclesiam derivarunt. Ceterum vel ante ea tempora in sacris Christianorum conventibus psalmorum cantum usuvenisse vidimus paullo ante ex Justino martyre, & Plinii Secundi epistola ad Trajanum.

Quando, & a quibus ritus alternatim canendi ortus fuerit.

Socrat. lib.6. 8.

Theodoret. hist. lib.2. cap. 24.

10. Non eadem tamen canendi ratio ubique penes Christianos obtinuit, quod ex iis, quæ de Athanasio meminit Augustinus, plane intelligitur: *Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini: qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti*. In Oriente autem, unde Mediolanenses sub Ambrosio Ecclesiastici cantus formam acceperunt, suaviori quodam concentu, qui audientium animi sancta quadam delectatione perfunderentur, hymnos, psalmosque concini consuevisse prodit idem Augustinus; qui de Africanis Ecclesiis hæc præterea memorat: *De hac re tam utili ad movendum pie animum, & accendendum divinæ dilectionis affectum varia consuetudo est; & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt: ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia divina cantica Prophetarum; cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment*. Quantum porro ad pios fidelium affectus excitandos valeret Psalmorum cantus, ejusdem Augustini exemplum ostendit: *Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ*

De vario canendi ritu.

Aug. conf ss. lib.10. 33.

Aug. epist.55. ad Januar. n. 34.

Aug. Confess. lib.9. cap.6.

JESU CHR. AN. 61.

clesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Et rursus. *Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, canendi consuetudinem approbare in Ecclesia: ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.*

Idem Aug. Confess. lib. 10. cap. 33.

Quæ res in Ecclesia canendæ.

11. Cum itaque Psalmos tantum, Hymnosque in Ecclesia canere oporteat, qui Religionem doceant, animosque ad pietatem erigant alliciantque; merito sane Donatistas arguebat Augustinus, qui, psalmis, hymnisque Ecclesiasticis prætermissis, prophana præcinebant. Arius quoque cantica ad Sotadis numeros composita invexerat; & Meletiani cum plausu manuum, & quadam saltatione hymnos concinere, & multa simul tintinnabula funi appensa movere solebant: *Qua de causa*, inquit Theodoretus, *Magnus ille Athanasius perpetuo cum eis bellum gessit*. Præterea Paulus Samosatensis, teste Antiochena Synodo, *Psalmos in honorem Domini nostri Jesu Christi cani solitos, quasi novellos, & a recentioribus hominibus compositos abolevit; Mulieres autem, magno Paschæ die in media Ecclesia psalmos quosdam canere ad sui ipsius laudem instituit, quod quidem audientibus horrorem merito incusserat*. His adjungendus Apollinaris Laodicenus, qui Psalmos a se compositos Fidelibus canendos tradidit; quos Synodus Laodicena proscripsit statuens, vulgares ut psalmi a fidelibus canerentur. Cave tamen putes vetitum ideo cuiquam fuisse sacros hymnos conscribere, neque varios ipsorum cantus fidelibus licuisse; cum enim id ea, qua decet, ratione fiebat, laudi potius datum a majoribus. Insignia sunt Dionysii Alexandrini de Nepote verba apud Eusebium: *In plurimis aliis rebus laudo Nepotem ac diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam & studium scripturarum, postremo ob psalmorum cantus multiplices, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur*. Neminem præterea latet Ecclesiam Ambrosii Prudentii aliorumque hymnos adprobasse, inque suos usus transtulisse, Arianis tantum impie jactantibus Ambrosium suis hymnis populum seduxisse.

Athanas. orat. 1. in Arianos.

Theodoret. lib. 4. hæret. fabul.

Hadr. Concil. tom. 1. p. 198.

Synod. Laod. can. 59. tom. 1. Concil. p. 791.

Euseb. lib. 7. cap. 24.

De cantu privato.

12. Ita porro Psalmorum, Hymnorumque cantu delectabantur fideles, ut ei domi etiam, in agris, officinisque passim

sim vacarent. Et sane ab Hieronymo hæc de Palæstinis ad Marcellam scripta legimus: *Extra psalmos silentium est. Quocumque te vertas, arator stivam tenens Alleluja decantat. Sudans messor Psalmis se avocat, & curva tondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac Provincia carmina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones, hi pastorum sibilus, hæc arma culturæ.* Publia vero Joannis Presbyteri Antiocheni mater, auctore Theodoreto, *una cum virginibus, quibus præerat, Deum assidue laudabat: Cum autem Imperator Julianus prætergrederetur, contentiori voce omnes in commune psallebant, scelestum illum contemptu, & ludibrio dignum existimantes. Canebant præcipue eos Psalmos, in quibus idolorum infirmitas deridetur.* Atque id quidem piæ Patrum sollicitudini potissimum tribuendum, a quibus nihil ferme sæpius fidelibus inculcatum, quam ut a mundi canticis abstinentes, Deo frequenter pieque psallerent. Hinc illud Hieronymi ad Lætam de instituenda filia. *Cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus impleatur.* Clemens præterea Alexandrinus, *quemadmodum* inquiebat *antequam sumamus alimentum laudare nos convenit Factorem universorum, ita etiam in potu nos decet ei psallere.* Et alibi. *Christiano Sacrificia sunt ipsæ preces, & laudes, & quæ ante cibum fiunt scripturarum lectiones, Psalmi autem, & hymni, dum cibus sumitur.* Similia ferme penes Cyprianum occurrunt; *Ducamus hanc diem læti, nec sit vel hora convivii gratiæ cælestis immunis, sonet Psalmos convivium sobrium, & ut tibi tenax memoria est, & vox canora; aggredere hoc munus ex more.* Quibus mire congruunt, quæ de sacra hujusmodi Psalmodia admonet Nissenus. *Is autem qui tristi est animo, & male affecto ob eventum quempiam, propter se Scripturæ hujus gratiam divinitus missam esse credat. Ad hæc qui iter seu terra, seu mari faciunt, quique sedentarias artes exercent, & ut rem in pauca conferam, omnes tam viri, quam mulieres, quodcumque vitæ genus sectentur, ægri simul & firmi damnum se pati arbitrantur, si non semper in ore sublimem hanc institutionem circumferant. Jam vero & convivia, & nuptiales hilaritates Philosophiam hanc ut partem lætitiæ suis jucunditatibus adsciscunt, ut taceamus divinam illam in nocturnis pervigiliis per psalmos institui solitam hymnodiam, Ecclesiæque in his decantandis accuratam sedulitatem.* Denique Joannes Chrysostomus pluribus in locis, sed

Theod. lib. 5. cap. 19.

Clem. Alex. Pæd. lib. 2. cap. 4.

Clem. Strom. lib. 7. 523.

Cypr. epist. 1. edit. Pami vel tract. 1. p. 1. edit. Oxon.

Niss. in Psal. cap. 3. tom. 1. p. 261.

Chrysost. in psalm. 41.

JESU CHR. AN. 61.

sed præsertim enarratione in Psalmum XLI. sanctissimi hujusce moris præstantiam, multasque utilitates persequitur, & fideles vehementer hortatur, ut in eo adsidui perseverent: *Quoniam ergo hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum, & familiare, ne dæmones lascivia meretricia cantica introducentes omnia everterent, psalmos Deus construxit, ut ex ea re simul caperetur voluptas, & utilitas: Hæc dico, non ut vos tantum laudetis, sed & filios, & uxores doceatis talia cantare cantica, non solum in texendo, aliove opere faciendo, sed maxime in mensa . . . tum maxime oportet & ante mensam, & in mensa se munire psalmorum præsidio, & simul cum uxore, & liberis surgentes a convivio hymnos sacros Deo canere*. Psalmos itaque hymnosque ad pietatem fovendam idoneos, fideles canere oportet, & a lascivientibus cantionibus abstinere cum privatim, tum potissimum in Ecclesiis; quæ utinam, non interdiu de Domo Dei Scena fierent populorum. *Audiant hæc*, inquit Hieronymus *adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est: Deo, non voce, sed corde cantandum, nec in tragædorum morem guttur, & fauces dulci medicamine colliniendæ, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica, sed in timore, & opere in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut solent illi appellari, κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum Cantator est. Sic cantet Servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur; ut spiritus malus, qui erat in Saul, ejiciatur ab his, qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de Domo Dei scenam fecere populorum*. Quæso Hieronymum audiant Cantores, & musices magistri. At cum hi ex musica lucrum quærant, audientes hæc non audiunt, & videntes non intelligunt; Qua propter audiant saltem Ecclesiarum præfecti, atque in id per quam diligenter incumbant, ut theatrales concentus a Divinis Officiis eliminentur, quibus sæpe fit, ut quo major celebritas agitur, eo impudentius debita Ecclesiis reverentia violetur.

Hieron. in epist. ad Eph. cap. 5. tom. 7.

Objurgatio in Corruptores Cantus Ecclesiastici.

An Apostolus ad Laodicenos scripserit.

13. Quam Colossensibus Apostolus dedit Epistolam, Laodicenis quoque communem esse voluit; quos forte cognoverat ab iisdem Christianæ doctrinæ corruptoribus tentatos fuisse, a quibus proximi Colossenses; Quare jubet in illorum etiam Eccle-

Ecclesia legi: *Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ; & cum lecta fuerit apud vos Epistola, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur*: Deinde, *& eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*. Hæc Latinæ Versionis verba plurimis persuaserunt scriptam fuisse a Paulo Epistolam ad Laodicenses. Sed ex græco textu quo legitur τὴν ἐκ Λαοδικείας, manifestissime constat non Paulum, qui numquam Laodiceæ fuerat, Laodicensibus, sed eos ei Litteras misisse, quarum hoc loco meminit. Quamquam neque Latinus interpres aliter intellexisse videtur, etsi vertit *eam quæ Laodicensium est*; recte enim Epistola a Laodicensibus scripta *Laodicensium ab ipso* dicitur, quemadmodum Pauli, Joannis, Petri, dicuntur, quæ ab ipsis datæ fuerunt. Porro non Latinis modo, inter quos fuisse potissimum videntur Magnus Gregorius, & Brixiæ Episcopus Philastrius, sed Græcis quoque hujusmodi opinio adeo arrisit, ut Epistolam ad Laodicenses sub Pauli nomine evulgaverint, quæ tamen, teste Hieronymo, cui & Theodoretus, & Septima Synodus congruunt, veluti Apostolo supposita rejiciebatur, *Legunt quidam & ad Laodicenos Epistolam, sed ab omnibus exploditur*. Nostris etiam temporibus circumfertur brevissima quædam ad Laodicenos Epistola, quam Paulo indignam omnes quidem fatentur; dubitant tamen aliqui, an illa revera sit, cujus veteres meminerunt. Sed omnem prorsus dubietatem e medio tollere videtur Philastrius, a quo litteris proditum est: *Quædam non bene sentientes* hæreticos illi addidisse; etenim in ea, quæ hodienum superest, nihil prorsus hæreticum occurrit. Scribit Tertullianus, Marcionem Pauli ad Ephesios Epistolam ad Laodicenos inscripsisse; Epiphanius vero memorat ab eodem Hæretico agnitam fuisse Epistolam ad Laodicenses, quæ ab altera ad Ephesios omnino differt: Quæ tamen ex Epistola ad Laodicenses refert, in Epistola ad Ephesios leguntur. Quapropter non inanis quidem Tillemontii sententia videtur, qua conjicit Marcionem unam eamdemque Pauli Epistolam, modo ad Ephesios, modo ad Laodicenses fortasse inscripsisse.

14. Sequitur nunc ad Philemonem Epistola; namque eodem tempore & ad Colossenses, & ad Philemonem Paulum scripsisse existimamus. Etenim Apostolus Philemonem salutat eorum nomine, quorum etiam Colossensibus salutem dicit, Epaphræ videlicet, Marci, Lucæ, Demæ; deinde Onesimum, quem Colossensibus cum datis ad eos litteris misit, Philemo-

Margin notes: JESU CHR. AN. 61. — *In Job. lib. 35. cap. 15. de Hæres. cap. 89.* — *Tertull. In Marc. lib. 5. cap. 17.* — *In Epist. ad Coloss.* — *Hieron. de Script. Eccl. cap. 5.* — *Loco supra citato.* — *Adv. Marc. lib. 5. cap. 11. Hær. 42.* — *De S. Paulo Nota 79.* — De Epistola ad Philemonem.

JESU CHR. AN. 61. ni vehementer commendat. Hujus Epistolæ occasionem dedit Onesimus Philemonis servus, qui rebus hero surreptis Romam confugit ad Paulum, qui postquam ipsum de fuga, & furto suaviter increpatum Christianæ fidei mysteriis imbuit, & Baptismo initiavit, Philemoni tandem commendandum ac remittendum existimavit data Epistola, qua noxio veniam amantissime deprecatur: *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis, nunc autem & mihi, & tibi utilis: Si autem tibi nocuit aliquid, aut debet, hoc mihi imputa &c.* Quibus sane verbis fugam, & furtum ab Onesimo patratum indicat, uti a Theodoreto, & aliis jamdiu observatum est; fallitur quidem Baronius, dum existi-

Baron. 60. 41. mat Onesimum Domino fugisse *non ut quique scelestissimi facere consueverunt, sed amore Pauli, cujus prædicationem in Asia positus paullulum degustasset*: fallitur rursus ubi æstimat tam Philemonem, quam Onesimum fuisse Gentiles: Namque adeo falsum est Judæis hominibus servos Judæos habere non licuisse, uti perperam contendit, ut contra hæc in Exodo sancita con-

Exod. cap. 21. stet: *si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis; quod si dixerit servus, diligo dominum meum, & uxorem, & liberos, non egrediar liber, offerat eum dominus diis, & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum.* Exploratum præterea est Hebræorum mancipiorum non unum

Joseph. lib. 16. 1. Selden. de Jur. nat. Hebræor. lib. 6. 7. genus fuisse; alii enim sponte se vendebant; alii pœnæ nomine ob furtum vendebantur, uti ex Josepho colligitur, qui prodit lege ab Herode lata fas cuique fuisse perfossores parietum gentibus in servitutem vendere.

De rebus Judæorum. 15. Cum Rex Agrippa Cæsaream Philippi ædificiis sub hoc tempus auxisset, ejusque mœnia laxasset in Neronis honorem, Nerodiadem appellavit. Theatrum præterea apud Berytios magnis sumptibus extruxit, spectaculisque in eo quotannis edendis reditus adtribuit; tanta denique in illius urbis ornamentum curavit, ut ad eam illustrandam omnia regni præsidia transtulisse videretur. Quod magnæ Regi invidiæ fuit, indignantibus suis, se ab ipso expoliari ob externam urbem amplificandam. Interim Festo e vivis erepto, cum vix per annum Judææ præ-

Joseph. lib. 20. c. 9. fuisset, Albinus eidem successor datus est. Agrippa vero, Josepho e summo Judæorum Sacerdotio dejecto, illud Anano detulit, Annanæ, sive Anani filio, qui ea dignitate ad satietatem

tem potitus, filios quinque eadem perfunctos habuit. | JESU CHR. AN. 61.

16. Ferox erat ingenio Ananus, & Josepho teste, insigniter audax, Sectam præterea Pharisæorum sequebatur, qui omnibus Judæis acerbiores immitioresque in judiciis habebantur. Ratus itaque opportunum sibi tempus adesse impune sæviendi, quod Festus quidem vita cessisset, Albinus vero adhuc itinere detineretur; Judicum concilio coacto, inductoque in judicium Jacobo Fratre Jesu & aliis quibusdam, violatæ legis accusationem in eos instituit, omnesque illico lapidibus obrui mandavit. Id inique ferentes civium plurimi, iidemque legis studiosissimi, clam legatos ad Regem miserunt rogatum, ut Ananum per litteras moneret, ne quid deinceps simile moliretur. Quin etiam Albino, ab urbe Alexandria iter facienti, nonnulli occurrerunt; nunciaruntque, non licuisse Anano, concilium judicum ipso inscio convocare. Quod cum sibi facile Albinus persuasisset, Anani audaciam, datis celeriter ad eum litteris, objurgavit, quibus præterea minabatur ipsum temeritatis pœnas quam primum daturum. Interea vero Rex Agrippa, adempto ei pontificatu, quem per tres menses gesserat, Jesum Damnæi filium pontificem constituit. Atque hic finis Jacobi Apostoli, quem hoc anno martyrio coronatum fuisse, non solum ex Josepho intelligimus, sed & ex Eusebio, & Hieronymo, qui Jacobi martyrium anno Neronis septimo alligarunt. Anno ætatis suæ centesimo sexto mortem obiisse tradit Epiphanius; Quin ei tamen omnino assentiamur impediunt Origenes, & Nyssenus, qui Jacobum Christo coævum, & cum ipso educatum fuisse, & vero quidem similius memorant. Post Stephani lapidationem ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus constitutus, triginta annis eo munere perfunctus est, auctore Hieronymo: *Triginta itaque annos Hierosolymorum rexit Ecclesiam, idest usque ad septimum Neronis annum, & juxta Templum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est: Titulum usque ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani notissimam habuit: Quidam e nostris in Monte Oliveti eum putaverunt conditum, sed falsa eorum opinio est.* Hæc de morte, & sepultura Jacobi Apostoli Hieronymus; cui adjungendus Eusebius, a quo nonnulla notatu præterea exponuntur. *Cum Paulus ad Cæsarem provocasset, Romamque a Festo missus esset, Judæi, qui insidias ipsi struxerant, spe sua frustrati, in Jacobum Fratrem Domini, cui Episcopatus Hierosolymorum sedes ab Apostolis tradita*

De Anano Pontifice, qui Jacobum Apost. morti tradidit. *Joseph. ubi supra.*

Epiph. hær. 78. cap. 8. Orig. in Celsum lib. 1. Nyssen. tom. 3. pag. 412.

Hieronym. ut supra de Vir. illustr.

Euseb. lib. 2. cap. 23. Judæorum odium in Jacobum.

li. Cumque multi hoc Jacobi testimonio confirmati glorificarent Jesum, dicentes Hosanna filio David; tunc iidem Scribæ, ac Pharisæi inter se colloquuti; Male, inquiunt, fecimus, qui tanto testimonio Jesum ornaverimus. Verum ascendamus, eumque præcipitem dejiciamus, ut cæteri conterriti fidem illi habere desinant. Conclamare deinde cœperunt, ac dicere: O o, ipse etiam Justus erravit. Et impleta sunt ea, quæ apud Esaiam scripta sunt. Tollamus e medio Justum, quia molestus est nobis: propterea fructum operum suorum manducabunt. Mox ergo conscendentes, eum præcipitem egerunt. Et quoniam præcipitatus non statim mortem obierat, sed conversus flexis genibus orabat, dicens: Domine, & Deus Pater, rogo, ut ignoscas illis, quia nesciunt, quid faciunt: illi inter se dixerunt, lapidemus Jacobum Justum. Cœperunt igitur lapidibus eum impetere. Cumque hominem saxis obruerent, unus e Sacerdotibus, ex filiis Rechab filii Rechabim, qui Hieremiæ suffragio commendati sunt, contenta voce: Parcite, inquit, quid facitis? Justus orat pro vobis. Interim unus ex iis, fullo, arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat, caput Justi percussit. Atque ita felici martyrio vitam finiit.

Josephi, & Egesippi de Jacobi martyrio narratio expenditur.

18. Hieronymus, Epiphanius, aliique Patres, & recentiorum plurimi Egesippum sequuntur; Alii tamen Josepho potius standum esse contendunt, ut non tantum coævo sed oculari facile rei gestæ testimonio. Præterea in Egesippi narratione affirmant quædam interdum occurrere, quæ parum probabilia videantur. Hinc Petavius, licet Egesippi historiam strenue vindicaverit; fatetur tamen *nonnulla vel ab Egesippo prodita, vel ab aliis inserta, quæ parum probabilia videntur*. Tillemontius vero postquam propositas ab Arnaldo difficultates studiose perpendit, *veritatem narrationis Egesippi non amplius a se tuendam existimavit, uti in prima operis sui editione fecerat*. Porro quamvis Josephum in historia de Jacobi martyrio Egesippo præferendum censeamus, non omnia tamen, quæ Egesippus memorat, & Josephus silet, uti falsa rejicimus; Sed ea tantummodo, quæ cum Josephi historia conciliari non possunt, quæ quidem Scriptoris etiam nostra ætate doctissimi sententia fuit. Itaque iis, quæ de Jacobi sanctitate, & vitæ instituto Egesippus refert, libenter adsentimur; ipsum præterea Scribarum, & Pharisæorum invidia, veluti Mosaicæ Legis eversorem, & blasphemum, in judicium raptum fuisse, atque ab Anano capitali

Hieronym. de Vir. Illustr. Epiphanius hæres. 78. Baron. an. 63. Tillem. tom. I. histor. p. 377. & pag. 630. Petavius in animadvers. ad locum Epiph. supra. Ruinart Cabasutius. Arnald. Epist. ad Tillem. to. 1. Hist. Tillem. in fin. Scaliger. in animadvers. Eseb.

JESU CHR. AN. 61.

Basnages an. 60. 7. Clerch. annal. an. 62. Tom. 1. p. 377. pag. 632. Orsi hist. Eccl. Tom. I. pag. 314.

pitali sententia damnatum, summo e Templo dejectum, lapidibus obrutum, & Fullonis fuste percussum, omnino credimus. Hæc enim non adversantur Josepho, qui forte utpote ab ejus argumento aliena præteriit. Contra vero Jacobum ingredi pro arbitrio potuisse in Templi sancta, seu, ut legunt Hieronymus, & Rufinus in Sancta Sanctorum, quo semel tantum in anno Summo Sacerdoti patebat aditus; a Scribis, & Pharisæis interrogatum eumdem fuisse, quid de Christo sentiret, & in Templi fastigio positum, ut inde populum, Paschatis caussa congregatum, a Christi fide averteret; nec facile credimus, nec probabile judicamus. Quem enim quæso latere poterat, quæ esset Jacobi de Jesu Christo sententia; vel quis tam fatuus adduci in eam spem poterat fore, ut qui triginta circiter annis Hierosolymorum Episcopus fuerat, quique Judæis continuo Christum prædicaverat, multosque ad fidem converterat, mutata mox sententia verbis, & exemplo suo populum a Christi fide revocaret. Rursus si Egesippi historiam amplectimur, & falsus omnino dicendus est Josephus, a quo proditum Apostolum ab Anano Sacerdotum Principe morte damnatum fuisse, & fatendum Judæos juxta Templum noxium ipsorum judicio hominem sepulturæ tradidisse, quod quantum ipsorum moribus nefas esset nullus ignorat.

Jacobi eximia sanctitas commendatur

Orig. contra Celsum lib. 1. 10. 1. pag. 362.

19. Sed his dimissis cetera de Jacobo persequamur. Prodit Eusebius eum tanta sanctitatis laude floruisse, ut Judæorum prudentissimi, non alia de causa Hierosolymitanam cladem accidisse crederent, nisi ob illatam tanto viro necem; quod Josephi testimonio confirmatur, & Origenis, cujus hic verba lubet afferre: *Josephus, & si minus in Christum credidit, causam tamen conquirens Hierosolymitani excidii, & cur esset Templum deletum, cum debuisset dicere conspirationem, quam Judaicus populus adversus Jesum fecisset .... haud longe a vero aberrans, eo, inquit, accidisse Judæis, ut Jacobus justus ille vindicaretur*. Hæc frustra nunc in Josepho quæras; quare affirmat Huetius a Judæis cum Testimonio de Jesu Christo abrasum fuisse. Contra Blondellus, aliique dictitant hæc omnia Josepho addita fuisse a Christianis; utrisque adversatur nuperus Origenis Editor P. de Rüe, qui contendit Josepho vere tribuendum Jacobi Elogium, & ea præterea, quæ de morte eidem Anani Pontificis factione illata in Historia leguntur; interpolatori vero ea tantum, quæ de Hierosolymorum clade ob ipsius Aposto-

Huet. demonstr. Evang. pag. 51. 7. Blond. lib. 1. cap. 7. In Præf. ad op. Orig.

Apostoli cædem ibidem afferuntur. Jacobi Cathedram ad sua usque tempora servatam fuisse scribit Eusebius, uti in primo volumine exposuimus. Quinam vero fuerint alii, quos una cum Jacobo lapidandos Ananus tradidit, omnino latet.

JESU CHR. AN. 61.

20. Inter plura, quæ novitatis studio abreptus vir cetera doctissimus Henricus Dodvvellus minus vere commentus est, illud potissimum referendum, quod de Hierosolymitano Episcopatu contendit, fuisse scilicet hæreditarium Christi Domini consanguineis; Quam enim sit id absurdum, vel ex iis facile intelligitur, quæ Jacobi mortem sunt consequuta. Memorat itaque Eusebius Domini Discipulos, qui adhuc supererant, eosque præterea qui Dominum secundum carnem propinquitate generis contingebant, conventu facto de Jacobi successore consuluisse, unoque omnes consensu Simeonem filium Cleophæ illius, cujus meminit Evangelium, Episcopali Sede dignum judicasse; Non igitur hæreditario jure, sed electorum suffragio Simeon Episcopatum adeptus est. Præterea Simeoni successit Justus, quem Simeonis filium, aut nepotem, vel proximum hæredem credi vix patitur Eusebius; Neque Historia Apostolica minimo indicio est Episcopatum jure hæreditario filiis a patre transmissum; sed ubique docet electione Episcopos creatos esse. Refert quidem apud Eusebium Egesippus Judæ nepotes ad Trajani ferme tempora *utpote Christi martyres simul & propinquos* Ecclesiis præfuisse. Verum non successionem hæreditariam, sed electionem hæc indicant: Cur enim Martyrium in Judæ nepotibus attendissent, si Episcopatus natalium jure ad eos omnino spectasset?

Simeon creatur ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus.
Dodw. de Pr. Rom. Ep. diss. 2. cap. 6.
Lib. 3. 11.
Euseb. Lib. 3. 35.
Lib. 3. 29.

21. Insignis hic annus cum Britannorum defectione, tum parta de iis victoria Romanis fuit. Etenim Paulinus Suetonius, cui in Mona Insula agenti repentina Provinciæ defectio nunciata fuit, felici adeo marte cum perduellibus acie congressus est, ut paullo minus quam octoginta millia Britannorum cecidisse proditum fuerit. Romanorum militum quadringentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis.

Romani in Britannia vario marte pugnant.
Tacit. lib. 14.
Dio lib. 62.

Jesu Chr. an. 62.

JESU CHRISTI an. 62. Petri Apost. 31.
Rom. Pont. an. 19. Neronis Imp. 9.
Coss. P Mario Celso, et L. Asinio.
Olymp. 210. an. 2. Urbis an. 815.

S. Marcus martyrio coronatur. *Euseb. in Chron. pag. 668. tom. 8. oper. S. Hier. & Hist. lib. 2. 24.*

1. Marcus Evangelista, & Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus octavo Neronis anno Apostolatum glorioso martyrio coronavit; eique successit Anianus: *Post Marcum Evangelistam primus Alexandrinæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus Anianus, qui præfuit annis* 22. Hæc in Chronico Eusebius, qui similia prorsus in Historia scribit: *Interea Nerone octavum Imperii annum agente, primus post Marcum Evangelistam, Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepit Anianus*. Eusebio congruit Hieronymus; *Mortuus est autem octavo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano*. In Græcis tamen quæ etiamnum circumferuntur Marci actis, Cajo imperante obiisse dicitur: in vita Arabica anno Claudii 14., septimo vero Trajani in Chronico Orientali. Denique Eutychius Patriarcha Alexandrinus non ultra primum Neronis annum Evangelistam vixisse scribit; Dorotheus autem usque ad Trajani tempora. In tanta veterum monumentorum dissensione Eusebio & Hieronymo potius credendum cum Baronio atque Usserio existimamus. Constat enim acta dubiæ esse fidei; neque ceterorum, quos attulimus, Scriptorum ea est quidem auctoritas, ut cum Eusebio & Hieronymo possint comparari. Sunt qui ad 68. æræ vulgaris annum Marci Martyrium referendum judicent; quo minus tamen ipsis adsentiamur impedit dubia prorsus actorum fides, quibus potissimum innituntur. De Marci martyrio silent quidem, quos paullo ante commemoravimus, Eusebius & Hieronymus, meminerunt tamen non antiquissima tantum Martyrologia, sed etiam præter acta græca & latina, Beda, Eutychius, Chronicon Orientale, Palladius, & Gelasius Rom. Pontifex, qui de Marco hæc litteris prodit: *Ipse a Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit martyrium*. Quocirca his sane, uti nos quidem existimamus, quis potius crediderit, quam Basnagio, qui Evangelistam e Martyrum numero expungendum temere pronunciavit. Referunt acta eum per abrupta & salebrosa tamdiu raptatum fuisse, donec impollutum Deo spiritum redderet.

Hier. de Vir. Ill. cap. 8. Apud Bolland. 25. Apr.

Chron. or. p. 594.

Chron. Orien. p. 594.

Tillemont. t. 2. p. 512. Baillet. die 25. Apr.

Pallad. hist. Lausiac. cap. 113. Tom. 13. Bibl. P. P.

Gelasius in Decr. tom. 4. concil. 21.

Basnag. A. 66. n. 19.

2. Ale-

JESU CHR. AN. 62.

Alex. Ecclesia Marco cultore floret. *Euseb. lib. 2. 16.*

2. Alexandrinam Ecclesiam Marci prædicatione fundatam, cum maximo fidelium numero, tum severis sanctisque ipsorum moribus, celeriter floruisse prodit Eusebius, qui etiam Therapeutas, quorum pluribus meminit Philo, Christianis adcenset: *Tanta porro multitudo virorum, simul ac mulierum, qui fidem Christi illic amplexi fuerant, ab ipso statim initio tam severam, tamque philosophicam institutionem professa est, ut studia illorum, & cœtus, atque convivia, totamque vivendi rationem, scriptis suis commemorare operæ pretium duxerit Philo*. Pluribus deinde ex eodem Philone Therapeutarum mores & instituta recenset, quæ hic paucis complectemur. Itaque Therapeutæ facultatibus divenditis, vel ad propinquos transmissis, abjectaque omni rerum humanarum cura, extra urbem in hortis, agellisque deviis degebant, florebantque potissimum in Ægypto per singulas ejus Præfecturas, maxime vero circa Alexandrinam. Porro ex omnibus terræ partibus optimi quique in locum quemdam ad Stagnum Mariam situm, & tum propter securitatem, tum ob Cœli temperiem commodissimum confluebant. In ædiculis habitantes, quæ neque ita erant propinquæ ut sunt civium ædes in urbe, neque longe distabant, ne infestari a latronibus possent. Illarum singulis parvum sacellum adjungebatur *Semneum*, & *Monasterium* dictum, in quo soli sacra mysteria contemplabantur. Et nihil importabant quod ad corporis usum pertineret; sed legem tantum, oracula Prophetarum, hymnos, atque cetera generis ejusdem. Precabantur quotidie bis; oriente sole, ut eis felix faustusque esset dies; & occidente, ut mens vanis imaginibus soluta veritatem investigaret. Medio temporis intervallo contemplationi rerum cœlestium vacabant, lectioni sacrorum voluminum, eique colendæ philosophiæ, quam a majoribus acceperant. Delectabantur studio allegoriarum, habebantque priscorum suæ sectæ hominum commentarios, qui multa de allegoriis continerent. Hymnos præterea componebant vario metrorum genere. Sex diebus quisque in sua ædicula clausus versabatur; septimo, hoc est Sabbati, conveniebant omnes in commune Semneum septo duplici clausum, ut essent a viris divisæ mulieres, accedebant enim & mulieres Therapeutridæ, ut audirent quæ Therapeuta senex & dogmatum sectæ peritus, ceteris summo silentio auscultantibus de divinis rebus prudenter graviterque disseruisset. Erant item maxime temperantes; nullus enim eorum ante solis

Therapeutarum vivendi forma.

O 2 occa-

occasum cibum, aut potum sumebat; nonnulli vero vix tertio, aut sexto quoque die cibo necessario vescebantur. Pane simplici, & sale obsonii loco utebantur; quibus aliqui hyssopum adjiciebant pro condimento, ut qui delicatiores. Omnes aqua sitim extinguebant; septimus illis dies sanctus, festusque erat, quare Sabbato ab omnibus post animi curam refici corpus solebat. Observabant autem potissimum numeros, postque spatium septem hebdomadarum celebrabant conventus, propterea quod non numerum septenarium modo, sed vim etiam ejus multiplicem venerarentur. Erat namque illis exploratum castum esse septenarium, semperque virginem. Extremus septies septenarii dies profestus erat maximi diei incidentis in quinquagenarium numerum, gratus naturæ, & ex vi trianguli rectanguli, quod generationis rerum omnium initium putabant, constans. Agebant interdum convivia, quorum multiplices, iique plane singulares ritus. Ubi dato signo convenerant, stabant omnes antequam discumberent, sublatisque in cœlum manibus, atque oculis, orabant, ut illud Deo convivium placeret. Absolutis precibus seniores, hoc est, qui prius institutum amplexi fuissent, primum discumbebant; tum ceteri, ut cujusque dignitas poscebat. Ad convivium veniebant & feminæ, eæque anus, sed virgines, quæ sponte castitatem servassent: Hæ sinistrum, viri dexterum mensæ latus tenebant. Qui se addixerant ei disciplinæ pueri, discintis promissisque tunicis, discumbentibus ministrabant; neque enim adhibebatur a Therapeutis mancipiorum opera in ministerio, quod censerent cum natura pugnare servitutem. Vinum præbebatur nemini, sed aqua limpida, frigida quidem ceteris, calida vero senibus; erat enim illis vinum pro veneno, quasi esset dementiæ caussa. Aberant cruentæ dapes, & panis tantum pro cibo apponebatur, pro obsonio sal, hyssopum, in delicatiorum gratiam, pro condimento. Hæc initia convivii erant: fiebat post silentium, deinde proponebatur aliquid e sacris litteris, aut solvebatur proposita quæstio. Postea Præses dum allegorica sacrarum Scripturarum enarratione visus sibi fuisset satisfecisse desiderio auditorum, assurgebat, primusque hymnum Deo canebat, qui aut recens esset ab ipso compositus, aut scriptus ab aliquo veterum Poetarum. Ceteri mox imitabantur Præsulem, sic tamen, ut cum omnia audirent, tum in extrema clausula vocem attollerent. Absolutis hymnis afferebatur mensa

Jesu Chr. an. 62.

sa cum Pane fermentato, hyssopo, & sale, ob venerationem mensæ illius, quæ erat in Templi vestibulo. Post cœnam sacrum pervigilium sequebatur. Surgebant namque omnes, fiebantque in medio cœnaculo Chori duo virorum unus, mulierum autem alter, quibus incentores præficiebantur, qui & honestate morum, & canendi peritia præstarent. Deinde hymni modo ab omnibus junctim, modo alternis vicibus canebantur. Gestus accentusque pii ab utrisque fiebant, nunc quidem stantibus, nunc vero contra antrorsum retrorsumve moventibus gradum. Postea vero quam chorus uterque sic egisset, ex duobus unus fiebat, & ad graves virorum acutæ feminarum voces ita jungebantur, ut concentus inde plane musicus oriretur. Producebatur autem ad mane usque commessatio, omnesque versi ad Orientem solem comprecabantur sibi felicem diem. Itaque absolutis precationibus, ad suum quisque Semneum secedebat.

An Therapeutæ fuerint Christiani. Hier. de Vir. Ill. S. Epiph. Hær. XXIX. Sozom. Hist. lib. I. cap. XII. Cassianus Inst. a. 2. cap. V. S. Nilus de Mon. Exercit. cap. 3. Phot. in Bibl. Cod. CIV. Bouverus in duabus Epist. ad Montfaucon. Paris.

3. His potissimum universa ferme Therapeutarum disciplina continebatur, quos, uti jam diximus, Eusebius fuisse Christianos existimavit, atque ejusdem sententiam Hieronymus, aliique multi veterum postea sequuti sunt. Contra Nilus, & Photius Judæos fuisse omnino contenderunt. Sed de hac quæstione a recentioribus quoque vehementer certatum est, potissimum a Monteíoconio in notis ad librum Philonis editum Parif. an. 1709. & in Epistola ad Joannem Bouyerium Senatus Divionensis præsidem, quibus ille Therapeutas in Christianorum numerum retulit; hic vero Judæis adcensendos esse judicavit. Longum nimis esset de hoc quæstionis genere pro rei dignitate disputare: Quocirca id tantum adnotabimus, nobis sedulo perpendentibus quæ in utramque partem afferuntur, plura occurrisse, quæ ad dubitandum de Eusebii sententia vehementer adducerent. Rem docte diligenterque non multos ante annos persequutus est Mamachius vir summa rerum Ecclesiasticarum peritia, quem consulat, qui hæc accuratius nosse cupit.

Orig. Christ. lib. I. cap. I. §. V.

Anianus S. Marci Successor, a quo ordinatus fuerit.

4. Marco successit in Alexandrina Cathedra Anianus, uti paullo ante Eusebio, & Hieronymo Auctoribus indicavimus; atque si fides habenda Eutychio Patriarchæ Alexandrino in Historia, quam Pocockius, & Seldenus adnotationibus auctam ediderunt, non modo ex Alexandrinorum Presbyterorum numero assumptus fuit, sed manibus ab eisdem impositis Episco-

JESU CHR. AN. 62. Episcopus constitutus, quemadmodum in Ecclesia Alexandrina obtinuit usque ad Alexandrum qui Nicœno Concilio interfuit, & primus instituit, ut Episcopi Ægypti ex Alexandrinæ, vel alterius Ecclesiæ Clero Alexandrinum Præsulem eligerent, & ordinarent. Hæc Eutichius, quæ dici vix potest, quam festive exceperint Novatores, rati nimirum Catholicam de Episcoporum dignitate supra presbyteros sententiam his omnino labefactari. Si quis tamen præjudiciis vacuus ad judicandum accedat, facile intelliget inania hæc prorsus esse, atque indigna quæ a doctis viris afferantur, uti jamdiu luculenter ostenderunt Echellensis in libro, qui inscribitur *Eutychius vindicatus*, & Renaudotius in Historia Patriarcharum Alexandrinorum. Quis enim quæso unum Eutychium seculi decimi, & obscuri nominis Scriptorem, quem & ipsi Pocockius, & Seldenus fabulosa passim obtrudere fatentur, ceteris præferat, & tempore, & auctoritate præstantioribus, qui ab Apostolorum ætate ad nostra usque tempora, Episcopos dignitate presbyteris antistare docuerunt? Id probe intellexerunt Pearsonius Beveregius, Hammondus, aliique doctrina longe clarissimi, qui licet a Romana Ecclesia extorres, ipsius tamen sententiam a Calvinistarum objectionibus vindicarunt. Itaque jure quidem Tridentina Synodus sanxit: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit*; & rursus canone VII. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit*:

De differentia Ordinis Episcopalis, & Presbyteralis.

Hæreticorum objectiones contra Episc. ordinem. *Salmasius de Primatu Papæ. Blondell. Apol. S. Hieron. Dalleus dissert. in epist. S. Ignatii.* *Act. 20. 17.*

5. At enim Novatores, & Salmasius præsertim, Blondellus, Dalleus, Basnagius, non Eutychii tantum auctoritate, sed Scripturæ testimoniis Episcoporum præstantiam evertendam suscipiunt; Lucas enim, inquiunt, Paulus, Petrus nullum Episcopos inter & Presbyteros discrimen certe constituunt; namque pluries Episcopos appellant, quos antea Presbyteros dixerant; & contra, vel Episcopos tantum, seu Presbyteros, atque Diaconos memorant, nulla unquam alterius ordinis mentione interjecta; quæ in argumento sane sunt, Apostolorum ætate eosdem prorsus fuisse Episcopos ac Presbyteros. Sic Lucas prodit Paulum Epheso vocasse *majores natu* (Græce *Presbyteros*) *Ecclesiæ, qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis... attendite vobis, & universo gregi*, in quo vos spiritus sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*

Dei. Sic Paulus Epist. ad Philippenses *Paulus*, inquit, *&* *Timotheus*. *servi Jesu Christi*, *omnibus sanctis in Christo Jesu*, *qui sunt Philippis*, *cum Episcopis & Diaconibus*. Item in Priori ad Timotheum, postquam a capite secundo ad octavum præcepta dedit Episcopis, *oportet ergo Episcopum &c.* statim nulla interjecti gradus facta mentione ad Diaconos progreditur; *Diaconos similiter pudicos &c.* Rursus ad Titum, ubi dixit Apostolus se illum reliquisse Cretæ *ut constitueret per civitates Presbyteros*, monuitque quales illos esse oporteret, illico sic pergit: *oportet enim Episcopum sine crimine esse*. Denique Petrus Presbyteros appellat, quos Episcoporum munere fungi significat: *Seniores*, (Græce *Presbyteros*) *qui in vobis sunt obsecro consenior*, (in græco textu *Compresbyter*) *& testis Christi passionum* . . . *Pascite qui in vobis est gregem Dei providentes* (ἐπισκοποῦντες) *non coacte*, *sed spontanee*. Scripturæ Patres præterea adjungunt, & Clementis, Polycarpi, Cypriani, Hieronymi, aliorumque obscuris quibusdam congestis locis, sibi mire blandiuntur, inaniterque dictitant non divina, vel apostolica, sed ecclesiastica tantum institutione postea factum, ut Episcopi Presbyteros dignitate antecellerent; atque ideo jure quidem Aerium hæc a quarto usque seculo pronunciasse: *Quod est Episcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo*, *unus enim est Ordo*, *& unus honor*, *& una dignitas*. *Imponit manus Episcopus*, *ita etiam Presbyter*; *lavacrum dat Episcopus*, *similiter & Presbyter*. Mirari quidem subit viros summa cæteroquin ingenii, & doctrina plane singulari, tam vehementer hallucinatos, neque animum advertisse, hæc a vero Ecclesiæ sensu adeo semper absuisse, ut propterea omnes Aerium in Hæreticorum numero habendum esse existimaverint. Et sane nulla in allatis Scripturæ locis difficultas adversus Catholicam de Episcopis sententiam inest: uti enim adnotatum a Chrysostomo legimus *Episcopi*, & *Presbyteri* voces in novo Testamento promiscue usurpatas constat, quamvis Episcopi a Presbyteris ordine & dignitate different, utrosque tamen iisdem promiscue nominibus appellatos fuisse. *Quid hoc est?* (inquit Chrysostomus, quod Paulus Episcopis, ac Diaconis eam Epistolam inscribit, nulla mentione facta Presbyterorum) *an unius Civitatis multi erant Episcopi? nequaquam*; *sed Presbyteros isto nomine appellavit*. *Tunc enim nomina adhuc erant communia*; *atque etiam ipse Episcopus vocabatur Diaconus*. *Idcirco ad Timotheum scri-*

JESU CHR. AN. 62.
L. 1.
Cap. 3.
Cap. 1. 5.
Epist. 1. cap. 5. 1.
Apud Epiph. Hær. 75.
Hom. 1. in Epist. ad Philippenses.

JESU CHR. AN. 62.

scribens, inquit .... *Quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii; Presbyteri enim Episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scribens, hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates Presbyteros ... Si quis sine crimine est &c.... quæ quidem de Episcopis dicit: namque hæc cum dixisset, statim addit, oportet enim Episcopum sine crimine esse .... Antiquitus etiam Episcopi .... vocabantur Presbyteri, & Diaconi Christi. Quocirca hodie multi Episcopi scribunt: Compresbytero, & Condiacono. Procedente vero tempore distributum est cuique nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero Presbyter appellaretur*. Ita Chrysostomus, cui plerique postea consensere, probe intelligentes aliam nominis, aliam vero muneris esse rationem. Theodoretus quidem & Epiphanius allata Scripturæ loca secus ac Chrysostomus explicarunt; neuter tamen Episcoporum supra Presbyteros dignitatem inficiatus est, sed uterque manifeste propugnavit. Hactenus de Scriptura; quod vero ad Patres pertinet, a plurimis jam est luculenter ostensum omnes semper, & ubique de catholica sententia consensisse, & si quæ in illorum scriptis subobscura interdum occurrant, ea omnia ad clariorum amussim, uti decet, exacta fuere, & perquam commode explicata? Quod si fecissent Novatores, non adeo quidem, uti in reliquis, ita in hac quæstione SS. Patrum auctoritate abuterentur, & potissimum Hieronymi, quem ita sibi adversus Episcoporum superioritatem favere dictitant, ut Blondellus ipsum contra Catholicos edita Apologia vindicandum susceperit. Quamquam, ne quid dissimulemus, non defuere ex nostris etiam, qui inconsulte nimis Hieronymo Aerianismi notam infligerent; vel oscitantiæ saltem arguerent. Plura facile possemus Hieronymi loca proferre, quibus conceptis verbis catholicam de Episcopis sententiam confirmat, sed paucis contenti erimus, ne in his diutius, quam instituti nostri ratio patitur, immoremur. Principio itaque hæc ad Nepotianum scribit: *Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe. Quod Aaron, & filios ejus, hoc Episcopum, & Presbyteros esse noverimus*. Quem autem quæso fugit Aaronem singularem & summum Pontificem divino jure fuisse, & filios ejus inferioris gradus Sacerdotio perfunctos? Præterea in Dialogo adversus Luciferianos *Ecclesiæ*, inquit, *salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas*, tot

Medina lib. 1. cap. 5. de Sacr. Hom. Origine, & eorum continentia.

Morinus de S. Ord. p. 3. p. 10. Epist. cl. 2.

tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes: & infra *Si quaeris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum... disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit?* Rursus in priore adversus Jovinianum libro: *Presbyter, & Diaconus non sunt meritorum Episcopus, & nomina, sed officiorum; Nec dicitur, si quis Episcopatum desiderat,* (unde eum de Apostolorum non suo aevo loquutum fuisse apparet) *bonum desiderat gradum, sed bonum opus desiderat, quod in majore ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum*: In libro vero secundo: *In veteri testamento & in novo alium ordinem Pontifex tenet, alium Sacerdotes, alium Levitae*. Denique in Epistola ad Paulinum: *Episcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum*. Haec si attente, & sine praejudicio perpendantur, vel nolentem quidem facile adducunt, ut credat Hieronymum longe aliter ac Blondellus ejusque gregales perperam contendunt, de Episcopis censuisse; neque de ipso adeo temere & sine omni temperamento statuendum, ut qui conceptis verbis superioritatem Episcoporum, vel Apostolico aevo ex divina ordinatione toties asseruerit, ex animi inconstantia id ipsum alibi pernegasse existimandus sit, ea solum de caussa, quod tum in Epistolis ad Oceanum, ad Evangelum, alibique ut in Commentario in Pauli Epistolam ad Titum, quaedam offenduntur, quae minus videntur prima fronte cum reliquis cohaerere. Non ex uno vel aliquo Scriptoris textu, sed ex omnibus ipsius genuina ejus de re quapiam opinio est investiganda, & ex apertis perspicuisque lux obscurioribus afferenda. Ceterum vel ad ea Hieronymi testimonia, quibus adeo Calviniani nituntur animum sedulo advertamus, non modo cum vulgari Catholicorum doctrina commode conciliari, sed magno ei esse praesidio intelligemus: Exemplo sit Epistola ad Evangelum. In ea profecto iisdem ferme verbis, quae paullo ante ex altera, ipsius ad Nepotianum Epistola descripsimus, maximum Episcopos inter & Presbyteros discrimen ex Apostolica traditione constituit: *Ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, & filii ejus, atque levitae in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia*. Verba clarissima sunt, nec quidquam certe manifestius dici poterat.

Lib. 1. n. 34.

Num. 28.

Epist. ol. 58.

Epist. 69.

Epist. 46.

JESU CHR. AN. 62. *Apologiae p. 8.*

Et sane maximam ipsorum vim cum probe Blondellus sensisset, recepit quidem se hanc Epistolae Hieronymianae partem sectione sexta elucidaturum: Interim tamen integram Apologiam (volumen certe non exiguum) tribus sectionibus complexus est, nec datam unquam fidem exsolvit. Sensit & ante Blondellum Salmasius sub ementito VValonis Messalini nomine, jussitque ut a Salmasio explicationem expectaremus, quasi vero alius ipse a Salmasio esset: Verum hanc frustra omnes expectarunt. Sensit denique Ludovicus Capellus; atque ideo cum sententiam ex Blondello & Salmasio Hieronymianam describeret, ipsiusque Hieronymi verba apponeret, hanc unicam periodum omittendam putavit. Sed de hujusmodi controversia jam satis; plura enim cupientibus praesto erunt innumeri ferme ex Catholicis Scriptores, qui rem copiose sunt persequuti; ex Eterodoxis vero potissimum Hammondus, Beveregius, Binghamus.

Hammondus Dissert. IV. adversus Blond. Bevereg. Codex Canonum Eccl. Pr. illustratus. C. XI. Binghamus Orig. lib. 2. C. 1.

JESU CHRISTI ANNUS 63. PETRI APOST. 32.
ROM. PONT. AN. 20. NERONIS IMP. 10.
COSS. MEMMIO REGULO, ET L. VIRGINIO RUFO.
OLYMP. 210. AN. 3. URBIS AN. 816.

Paulus e custodia liberatus ad Hebraeos scribit. *Epist. ad Hebr. cap. 13. vers. 23. 24.*

1. Cum Paulus biennium Romae in libera custodia transegisset, pristinae tandem libertati restitutus est, indeque excedens, dum adhuc in Italia versaretur, scripsit ad Hebraeos, spem faciens se quam primum ad eos cum Timotheo venturum: *cum quo*, (Timotheo scilicet) *si celerius venerit, videbo vos*; deinde *salutant vos de Italia fratres*. Quo Italia discedens sese contulerit Apostolus infra videbimus; Interea quaedam de Epistola ad Hebraeos scripta breviter adnotabimus. Hujus non eadem fuit semper apud omnes auctoritas; Namque ut Arianos praetermittamus, qui eam inter spuria amandarunt, prodit Eusebius non defuisse catholicos, qui eamdem veluti canonicam non agnoscebant: *Sciendum est Epistolam ad Hebraeos a nonnullis fuisse repudiatam, quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa & genuina Pauli Epistola non haberi*; Id autem Caii Romani Presbyteri exemplo confirmat, qui in Disputatione contra Proclum Montanistam Romae habita sub Zephyrino Papa, anno circiter 210. tredecim tantum Pauli Epistolas recenset. *Tredecim solum divini Apostoli commemorat*

Epiph. haeres. 69. cap. 37. Euseb. lib. 3. 3.

Euseb. lib. 6. 20.

morat Epistolas, eam, quæ ad Hebræos inscripta est, cum reliquis non adnumerans. Quod & Hieronymus semel iterumque adnotavit. In libro enim de Viris Illustribus hæc refert: *Decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non ejus esse, sed & apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non haberi*. In litteris vero ad Dardanum datis: *Epistola*, inquit, *quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed omnibus Græci sermonis Scriptoribus, quasi Pauli Apostoli recipitur, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur. Verum nihil interest cujus sit, cum sit Ecclesiastici Viri, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recepit, nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate recipiunt*. Item in Isaiam: *Unde Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos, quam latina consuetudo non recipit*. Alii contra uti canonicam habuerunt; de ejusdem tamen auctore dubitarunt. Hinc illa Origenis apud Eusebium: *Quis autem revera illum scripserit soli Deo notum esse arbitror*: Tertullianus in libro de pudicitia capite 20. Barnabæ adscribit; Verum Lucæ quoque, & Clementi Romano Pontifici ab aliquibus tributam fuisse ex Hieronymo intelligimus: *Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non ejus* (Pauli scilicet) *creditur propter styli, sermonisque dissonantiam; sed vel Barnabæ, juxta Tertullianum, vel Lucæ Evangelistæ juxta quosdam, vel Clementis, Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi*.

De viris Illust. & ep. 129.

Hier. in Isai. cap. 6.

Apud Euseb. lib. 6. cap. 25.

Hier. de vir. Ill. cap. 4.

2. Quæcumque tamen fuerit nonnullorum de hujus Epistolæ Scriptore, & auctoritate sententia, in eo certe cum Græca, tum Latina Ecclesia uno ore consensere, ut hujusmodi scilicet Epistolam Paulo adscriberent, & inter Canonicas Scripturas recenserent. De Græcis testatur aperte Hieronymus: *Illud nostris dicendum est hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientalibus, sed ab omnibus retro Ecclesiis, & Græcis sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipit*. Constat præterea ex Clemente Alexandrino, Origene, Eusebio, Dionysii Alexandrini, & Concilii Antiocheni ad Paulum Samosatenum Epistolis, Alexandri Alexandrini ad Concilium Constantinopolitanum Epistola, S. Athanasio, S. Cyrillo Hierosolymitano, Concilii Laodiceni Canone sexagesimo, S. Epiphanio, S. Basilio, S. Gregorio Nazianzeno, S. Gregorio Nysseno, aliisque pluribus, quos referre in re

Pauli Epistola ad Hebræos a veteribus probata.

Epist. 129. ad Dardanum.

Clement Alex. apud Euseb. lib. 6. cap. 14. Orig. ibid. lib. 6. cap. 25. Euseb. lib. 3. cap. 32. Athan. de Decret. Nic. Synod.

Jesu Chr. an. 63.

fatis explorata non vacat. Latini vero, etsi non statim, mature tamen satis cum Græcis Patribus convenerunt, & a quarto, & quinto sæculo nullum de ea inter utramque Ecclesiam discrimen occurrit. Quamquam Latini priorum etiam sæculorum non defuere, qui ejusdem Epistolæ auctoritate, veluti canonica & divina uterentur. Clemens Papa in sua Epistola sententias & locos ex ea transfert, quamvis tacito auctoris nomine. S. Irenæus in libris adversus Hæreses ejus auctoritate nititur. Tertullianus eamdem allegat, quamvis alibi Barnabæ adscribat; Novatianus ejusdem testimonium producit; Hieronymus vero a veteribus Latinis exceptam innuit, cum veterum auctoritatem sequutus, quidquid contra recentiores sentiant, eam se suscipere profiteatur: *Nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes*. Tredecim itaque abhinc seculis Apostolus sine discrimine ejus auctor habetur; eamque tandem eidem Apostolo vindicavit etiam Tridentinum Concilium, a quo & inter Canonicas, & inter Pauli Epistolas enumerata est. Ceterum vel ipsa Epistola, si attente perpendatur, Paulum ubique prodit auctorem. Suorum enim vinculorum in ea meminit, ut in reliquis, quas ex Italia scripsit, polliceturque se cum Timotheo itineris comite ad Hebræos profecturum, idem in ea ordo qui in ceteris, idem allegandi, & scripturas explanandi mos, allusiones eædem, & locorum simillimæ appositiones recurrunt. Epilogus cum iis omnino convenit, quibus Epistola ad Romanos, & utraque ad Thessalonicenses absolvuntur; Vota denique, salutationes, preces, & alia plurima quæ in Paulinis reliquis, in hac quoque passim occurrunt.

Cyrill. Catech. 4. Epiph. Hær. 52. Basil. Const. Mon. cap. 22. Nazianz. orat. 2. Nyssenus de Hypost. T. 3. p. 35. Clem. Epist. apud Constant. & T. 1. PP. Apost. Iren. lib. 2. cap. 4. & lib. 4. Tertull. contra Iud. cap. 2. & alibi sæpe. Novat. lib. de Trin. cap. 15. Hieron. Epist. ad Dard.

Objectionibus responde tur.

3. Quæ autem contra objiciuntur, quod scilicet, præter consuetudinem Pauli nomen in Epistolæ Inscriptione desit, & stylo a Paulino longe diverso conscripta sit, nullam quidem afferunt difficultatem. Etenim quod ad primum attinet, notavit jamdiu, uti prodit Eusebius, Clemens Alexandrinus recte atque ordine inscriptionem fuisse prætermissam. *Cum enim Hebræis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem multo ante conbiberant, ipsumque suspectum habebant: prudenti consilio usus, illos absterrere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit. Deinde aliquanto post his utitur verbis. Jam vero sicut beatus dicebat presbyter, quandoquidem Dominus omnipotentis Dei Apostolus ad Hebræos missus fuerat, præ modestia Paulus,*

Euseb. lib. 6. 14.

Paulus, utpote qui ad gentes erat directus, Hebraeorum Apostolum se minime inscribit; tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebraeos ipse gentium praeco, & Apostolus scriberet. Quod vero pertinet ad stylum, Spanhemius, qui in hanc laboris plurimum impendit, hujus Epistolae stylum a ceteris Pauli Epistolis non longissime distare fatetur: plurimasque illarum loquutiones, easdem periodos, eosdem Hebraeismos rariores quidem & elegantiores, satis tamen perspicuos in hac quoque Epistola contineri affirmat. Praeterea, quid quaeso impedit, quin dicamus, hanc Paulum Epistolam elegantius quam reliquas scripsisse? Sed de lingua etiam, qua haec Epistola scripta primum fuerit cum a veteribus, tum a recentioribus est disputatum. Quidam enim Hebraice, nonnulli Syriace, alii demum Graece primo exaratam dixerunt. Nos quidem a Paulo graece scriptam cum Estio, Du-Pinio, Millio, Clerico, aliisque pluribus existimamus. Loquutiones, periodi, stylus perspicue, & quidem origine, non versione Graecum praeferunt. Pauciores in hac, quam in reliquis Pauli Epistolis Hebraismi; neque ex Hebraeo, sed ex Graeca Septuaginta versione Scripturae loci afferuntur.

Spanhemius de Auct. Ep. ad Hebr.

4. Quorsum Apostolus ex Italia contenderit vehementer disputant eruditi. Hispaniam petiisse contendunt nonnulli, quibus quam sit credendum nos alio loco exposuimus. Quocirca in Orientem potius remigrasse suspicamur. Id jam Philippensibus receperat: *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito.* Praeterea sperans quam primum fore, ut vinculis solveretur, Philemonem de hospitio, data ei Epistola rogaverat: *para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis.* Quin itaque libertati restitutus cogitata perfecerit, atque in Insulam Cretam primo navigaverit, vix cum viris doctissimis dubitamus; ubi postquam Evangelium praedicavit, Ecclesiasque constituit, Titum Episcopum ordinavit, ut cetera opportune disponeret, quod ipse postea datis ad eumdem litteris meminit: *Reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* E Creta in Judaeam forte navigavit uti Judaeis promiserat; indeque Asiae Ecclesias perlustrans, & Macedoniam pertransiens, ubi Timotheum Ephesi Episcopum constituit, Colossenses adiit, Philippis deinde transiit, ac Nicopoli in Epiro hyemavit. Hinc Corinthum venit, ubi Erastus

S. Paulus Roma discedens in Orientem rediit.

Epist. ad Philippens. cap. 2. 24.

Epist. ad Titum cap. 1. 5.

Ad Hebraeos 13. 23.

ad Timoth. 1. Epist. 3.

Epist. ad Philipp. 1. 25. 26. & 2. cap. 24.

Jesu Chr. An. 63. ſtus permanſit, uti ex ſecunda ad Timotheum patet. Corintho Troadem tranſiit, ubi apud Carpum penulam reliquit; poſtea Miletum, unde Romam denuo iter inſtituit; Porro integrum biennium in his peregrinationibus Paulus inſumpſit, quas, prout conjecturis aſſequi licet, ſummatim expoſuimus; eoque temporis intervallo, uti nos quidem pluribus adducti rationibus judicamus, priorem ad Timotheum, & binas ad Titum Epiſtolas dedit.

Quid continet Epiſtola ad Timoth.

5. Priorem ad Timotheum Epiſtolam Laodiceæ, Phrygiæ Pacatianæ Metropoli ſcriptam ferunt Græca Exemplaria, quorum, utpote recentis nimium ætatis auctoritas nihil prorſus æſtimanda. Se in Macedonia conſtitiſſe cum ſcriberet, & paullo ante a Timotheo diſceſſiſſe, ſatis innuere videtur Apoſtolus: *Rogavi*, inquit, *te*, *ut remaneres Epheſi*, *cum irem in Macedoniam*, *ut denunciares quibuſdam*, *ne aliter docerent*. Et ſane ita cenſuerunt vetus Auctor ſynopſis apud Athanaſium, & Theodoretus; quibus adſentiunt Critici præſtantiores. Porro cum Paulus, uti diximus, Timotheum Epheſiorum Epiſcopum conſtituiſſet, eum pluribus de ſuſcepti muneris ratione his litteris admonet, & præcipua Epiſcoporum munera recenſens, illum potiſſimum hortatur, ne facile manus imponat, neve accuſationes adverſus Presbyteros admittat, niſi duobus ſaltem teſtibus probentur. Præterea neminem ſola fide ſine operibus Deo placere poſſe ſignificat; quod cum quidam inficiarentur, Hymenæus ſcilicet & Alexander, eos ideo a fide defeciſſe pronunciat: *Finis etenim præcepti*, ait, *eſt charitas de corde puro*, *& conſcientia bona*, *& fide non ficta*: *a quibus quidem aberrantes*, *converſi ſunt in vaniloquium*, *volentes eſſe legis doctores*, *non intelligentes*, *quæ loquuntur*, *neque de quibus affirmant*; Et iterum: *Hoc præceptum commendo tibi*, *Timothee*, *ſecundum præcedentes in te prophetias*, *ut milites in illis bonam militiam*, *habens fidem*, *& bonam conſcientiam*, *quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt*: *ex quibus eſt Hymenæus*, *& Alexander*, *quos tradidi Satanæ*, *ut diſcant non blaſphemare*. Neque Hæreticos tantum, qui eo tempore prodierant, arguit Apoſtolus; ſed & futuros prædixit alios, ac deſignavit, his verbis: *Spiritus autem manifeſte dicit*, *quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide*, *attendentes ſpiritibus erroris*, *& doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium*, *& cauteriatam*

1. *ad Timoth.* 1. 3.

Theod. Præf. in Rom. Eſtius, Tillemont, Mellius.

Fides ad ſalutem non ſufficit.

ad Timoth. 1. 1.

Quos hæreticos Paulus ſugillet.

1. *ad Timoth.* 4.

riatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur. Valentinianos autem, Ebionitas, Encratitas, Marcionitas, Manicheos, aliasque hujusmodi pestes indicasi Apostolum nullus dubitat: eos enim illi errores docuerunt, quos damnat Apostolus.

Ecclesia Catholica ab Hæreticorum calumniis vindicatur.

6. Ex his tamen Pauli verbis, quibus Hæreticos fore prænunciat, qui vel nuptias prohiberent, vel abstinentiam a cibis *quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione*, impie ineptèque Novatores Catholicæ Ecclesiæ conviciantur, quod majorum ordinum Clericos ad continentiam adigat; velitque fideles a cibis certo quoque tempore abstinere. Cleri continentiam, cum de 1. ad Corinthios Epistola ageremus, ab inanibus istorum calumniis vindicavimus. Quod vero ad ciborum abstinentiam, eorumque delectum attinet, si diligenter attendant, hæc sancte apud catholicos instituta, & a prima usque ætate servata, vel nolentes intelligent. Neque enim quod ciborum aliquos malos, aut abominabiles judicaret, ideo ab iis aliquando abstinendum catholica Ecclesia sanxit; sed ad carnis concupiscentiam coercendam, ut nempe fideles carne mortificati, cœlestia facilius adsequi possent. Non illum Ecclesia ciborum delectum commendat, inquit Baronius, quem falsa ex caussa Pythagoras excogitavit, vel Ægyptii invenerunt; nec quem lege divina olim ad statutum tempus præscriptum, post inde jam rancidum, superstitio ministravit; sed quem Deus tam in priori, quam in posteriori Testamento probasse cognoscitur. Quanto enim præconio coram omni populo extulit Dominus Rechabitas, qui non ex præscripto instituto alicujus antelatæ legis, vel patriæ consuetudinis, sed tantum quod præcepto patris sui Jonadab abstinerent a vino? Quanta item laude est sublatus a sponso amicus sponsi Joannes Baptista, qui talem habuisse cognoscitur delectum ciborum, ut de illo testaretur, neque manducasse panem, neque bibisse vinum? Porro Apostolos exemplo suo Catholicis præivisse Ecclesiasticæ Antiquitatis monumenta declarant. Petrum lupinis vesci solum memorat Nazianzenus, Jacobum fratrem Domini a carnibus & vino semper abstinuisse prodit Egesippus; Matthæum etiam *seminibus baccis, & oleribus absque carnibus* usum fuisse scribit Cle-

De ciborum delectu, & jejuniis. *Baron. ad A. 57. n. 194.*

Hieremiæ 35.

Lucæ 7.

Apostolorum abstinentia. *Greg. Naz. de amore pauper. orat. 16. pag. 144. edit. Billii.*

JESU CHR. AN. 63.

Clemens Alexandrinus; denique Timotheum a vino abstinuisse, ex Paulo aperte colligitur: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Deficeret dies, si omnium Sanctorum, quorum vita, & mors est egregiis miraculis illustrata, vellemus hic in hanc rem exempla referre; vel Patres adducere, qui hujusmodi Ecclesiæ Catholicæ disciplinam summis laudibus extulerunt, editisque commentariis illustrarunt, obiter recensere. Quod autem Dalleus, aliique passim opponunt, Sanctos scilicet sponte non coacte jejuniis vacasse, vel a certis quibusdam cibis abstinuisse, est prorsus inane. Si enim bona est, & digna, quam laudibus prosequamur, quæ sponte fit abstinentia; cur quæso indignantur Ecclesiam justis sane de caussis Jejunium interdum, ciborumque delectum fidelibus imperare? Meminerint, oro, quæ de sanguine immundisque non comedendis in veteri Testamento a Deo ipso, vel a Moyse Deo præcipiente sancita leguntur; memoria repetant, quæ ab Apostolis de sanguine & suffocato, Sancti Spiritus adflatu præscripta initio fuere. Et quam immerito Catholicorum institutis obtrectent vel inviti tandem agnoscant. Quemadmodum enim Apostoli sanguinis & suffocati, ita Ecclesia carnium usum certis per annum diebus, ex tradita sibi a Christo Domino potestate fidelibus interdicit, iisdemque jejunium consulte ac salubriter præcipit.

Praefp. apud Euseb. hist. lib. 2. cap. 22. Clem. Alex. in Pædag. lib. 2. cap. 1. 1. ad Timoth. v. 23. Dalleus de jejunio Quadragesimæ.

Genes. cap. 9. & Levit. cap. 11.

Quadragesimale jejunium ab Apostolica traditione, & auctoritate dimanat.

7. His præterea accedit Jejunium quadragesimale ex Apostolica traditione, quidquid contra blateret Dalleus, in Ecclesiam dimanasse. Etenim si: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*; Illinc quidem deducamus oportet, quadragesimale jejunium, quod semper ubique, & ab omnibus, vario licet pro locorum diversitate modo, observatum certo cognoscimus, quin tamen constet ab ullo unquam Concilio, vel Pontifice fuisse institutum. Quocirca Hieronymus ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno tempore nobis congruo, jejunamus*. Magnus autem Romanæ Ecclesiæ Pontifex Leo: *Magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur* Et rursus Sermone 44.? *Quod in omni tempore unumquemque facere Christianum, id nunc solicitius est, & de-*

August. lib. 4. cap. 24. de baptism. contra Donat. tom. 9. p. 140. Ep. 27. al. 54. lo. 14. oper. Edit. Paris.

Serm. 42. al. 41. De Quadrag. Tom. 1. cp. Edit. Ball. Al. 43.

& devotius exequendum ; ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejunio compleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maxime vitiorum. Atque iterum Sermone 47. De Quadragef. 9. *Devotionem nostram præsentes vel maxime dies exigunt .... in quibus merito a Sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt ordinata jejunia*. His concinunt Concilii Gangrensis Patres, a quibus communia Christianorum Jejunia, inter quæ certe Quadragesimale, *tradita* diserte nuncupantur: *Si quis eorum, quæ exercentur, absque corporali necessitate, tradita Jejunia, quæ communiter servantur ab Ecclesia, dissolvat, anathema sit*. Quæ tamen fuerit Ecclesiæ universæ de hujusmodi jejunii origine vel secundo extremo seculo sententia, non aliunde manifestius patet, quam ex ea, quæ inter Victorem Papam, & Asiaticos efferbuit controversia. Asiæ minoris Ecclesiæ agendum Paschatis, & Resurrectionis Dominicæ diem festum, jejuniisque finem imponendum esse contendebant ipsa decimaquarta Luna post Æquinotium vernum, in quacumque hebdomadæ feriam incideret : atque illis, quantum ex Eusebii verbis inferri posse videtur, Ciliciæ Seleucidis, & Mesopotamiæ saltem Provinciæ Ecclesiæ consentiebant. Romani contra cum reliquis totius orbis Ecclesiis, celebrandum esse censebant die Dominica, quæ decimam quartam Lunam proxime sequeretur, & eo usque protrahenda esse Jejunia. Quod vero ad nostram disputationem præsertim adtinet, quam utrique consuetudinem traditione Apostolica tuebantur. Etiam enim Joannem Apostolum, Philippum unum e septem primis Diaconis, Polycarpum Martyrem, Melitonem, aliosque præstantissimos viros instituti sui auctores afferebant ; Reliqui ex adverso afferebant Petrum & Paulum Pascha numquam, nisi dominica die egisse, ad eamque diem jejunia protraxisse: Ex quo sane quid contra Dalleum consequatur per se quisque facile intelligit. Neque, uti quidem opinantur, Dallei suffragatores præsidio sibi esse existimabunt insigne fragmentum Epistolæ, Romano Pontifici Victori ab Irenæo scriptæ, quod nobis servavit Eusebius ,. Tantum enim abest, ut quadragesimalis jejunii antiquitati vel parum obsit, ut eam potius vehementer confirmet. Dissentiunt Eruditi in græci fragmenti illius lectione, atque latina ejusdem interpretatione. Nos tamen Christophorsoni & Savilii interpretationem cum Massuetio præferimus, tum aliis pluribus adducti rationibus, tum eo etiam,

Can.19.

Euseb. Hist lib.v. Cap.23 seq.

v. Massuetium ad Iren. Diss. 2. §. 19.

Tertull. contra Psychicos cap. 2.

Euseb. lib.v. Hist. cap. 24.

Loco supra citato §. 24. 25.

Ruff. Hist.lib. 5. c.24. Rom. Edit.A.1770.

JESU CHR. AN. 63.

etiam, quod cum Ruffino convenit, quem scimus quidem boni interpretis officio sæpe defuisse, sed accuratum hic fuisse probat perfecta Græcarum vocum cum Latinis consensio. Quamobrem eximii Martyris ad Victorem de Paschatis quæstione verba uti ab iis reddita latine sunt subjicimus: *Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum: alii duobus, alii pluribus: alii vero quadraginta. Diurnis pariter ac nocturnis horis computatis, diem suum commetiuntur.* (Henricus Valesius cum Grabio, & aliis pluribus deleta distinctionis nota post vocem *Quadraginta*, vertendum censent: *Nonnulli etiam, quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur*) *atque hæc quidem inter eos qui jejunia observant varietas, non nostra primum ætate nata est; sed longe antea apud majores nostros ortum cepit: qui non accurate, ut verisimile est, retinentes jejunii formam, eam, quæ & simplicitate & imperitia ortum habuit, consuetudinem inposterum induxerunt*: Hactenus Irenæus, quem quidem ad suas partes trahere quadantenus Novatores possent, si ea, de qua hic loquitur, controversia vel minimum spectaret ad ipsum Jejunium, quasi servandum aliqui negassent; vel ad Jejuniorum numerum (quæ tamen nonnullorum falsissima sententia est) quasi aliqui unico die sibi simpliciter jejunandum esse existimassent, alii duobus dumtaxat, alii pluribus, alii quadraginta. Verum non modo nullam iis temporibus motam ea de re quæstionem legimus, sed apertissime affirmat Irenæus controversiam fuisse *de ipsa forma jejunii*; cujus quidem cum varias non sua primum ætate, sed longe antea rationes inductas esse pronunciet, remotissimam profecto, & ipsi Ecclesiæ coævam Antepaschalis Jejunii antiquitatem adversus Dalleum ostendit. Dionysius Alexandrinus prodit sex postremos Jejuniorum antepaschalium dies, quamvis non eodem modo ab omnibus transigerentur, a pluribus tamen sua ætate sic transmissos fuisse, ut alii totos sex impasti ducerent, alii quatuor, alii tres, alii duos: *Alii quidem totum sex dierum spatium superponunt jejuni perseverantes, alii vero biduum, quidam triduum; alii vero ne unum quidem diem superponunt*: Præterea in Epistola Canonica scribit jejunium in die Paschæ feria scilicet sexta in Parasceve a Romanis solutum fuisse in Galli cantu, ab aliis vero citius. Epiphanius autem eamdem Ecclesiæ consuetu-

Valesf. Not. in lib. 5. Hist. Eus. cap. 24.

Epist. ad Basilidem.

suetudinem paullo apertius memorat, simulque innuit non solum sua ætate, sed altas jam ubique radices egisse: *Eam vero quadragesimæ partem, quæ præcedit septem dies Paschatis similiter observare, in Jejuniis perseverando, eadem consuevit Ecclesia... Præterea sex Paschatis dies in xerophagiis transmittunt populi omnes; hoc est pane dumtaxat cum sale, & aqua tunc sub vesperam vescentes. Sed & pietatem studiose colentes ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant: Quidam etiam totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transigunt.* Ex his itaque Dionysii, & Epiphanii testibus, Irenæi loco perquam similibus, illud certo statui posse videtur, totam de jejunii forma Irenæi ætate controversiam in eo fuisse, quod quidam postremos sex quadragesimæ dies mollius, quam par esset, ferretque communior Ecclesiarum usus, jejunarent, nec xerophagiis vescerentur: *Quidam enim*, inquit S. Martyr, *unico die sibi jejunandum esse*, videlicet juxta accuratam jejunii formam, *existimant: alii duobus, alii insuper pluribus. Alii vero*, quorum pietas maior, longius progressi, totos *quadraginta* dies in xerophagiis transmittunt. Omnibus autem hoc commune fuit, ut *horis diurnis pariter ac nocturnis computatis, diem suum metirentur*: Scilicet dies illi, quos jejunio deputabant, non artificiales erant; sed naturales, sive civiles, quibus nocturnæ pariter ac diurnæ horæ continentur. Quod quidem prudenter omnino addidit Irenæus; ne quis forte suspicaretur, jejunantes illos interdiu tenui cibo usos fuisse, noctu vero lautioribus epulis, Judæorum more, indulsisse.

Epiph. Exposit. fid. §. 22.

8. Sequitur Quartæ, & Sextæ Feriæ Jejunium, quod ab Apostolorum traditione deducit Epiphanius, & primævis certe temporibus usurpatum in Ecclesia fuisse manifestissime constat: *Quis est uspiam terrarum*, inquit ille, *qui non in eo consentiat quartam, sextamque feriam solemni in Ecclesia Jejunio consecratam? Quod si ex Apostolorum constitutione repetenda nobis auctoritas est, cur illis quartæ sextæque jejunium perpetua lege sancitur, excepta Pentecoste?* Nec quis forte reponat Epiphanium hic sola Constitutionum auctoritate niti, quas exploratum est jamdiu falso Apostolis esse tributas; nullus enim dubitat, quin vetustissima Græcorum disciplina in constitutionibus vulgo Apostolicis contineatur, & Epiphanius præterea Apostolicam illius jejunii originem ex perpetua atque per

De jejuniis 4. & 6. Feriæ.

Epiph. Hær. 75. n. 6.

 manus

manus veluti tradita consuetudine demonstrat: *An errore deceptus homuncio* (Aerius scilicet) *qui nunc tandem emersit, & adhuc hodie superstes est? An qui ante nos testes extiterunt, quique ante nos eamdem traditionem in Ecclesia tenuerunt, quam & ipsi a parentibus suis acceperant, ipsorum parentes a majoribus suis didicerant. Quemadmodum Ecclesia, quam a Patribus suis accepit rectam, ac sinceram fidem, cum traditionibus ad hunc diem observat?* Hæc autem verissime ab Epiphanio dicta Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta declarant. Sunt qui Hermam, seu Pastorem Apostolici ævi Scriptorem testem

Herm. Past. lib. 3. simil. 5. T. 1. PP. Apost.

adducunt, cujus hæc sunt verba similitudine quinta: *Cum jejunarem, & sederem in monte quodam, & gratias agerem Deo pro omnibus, quæ fecerat mecum, video Pastorem illum sedentem juxta me, ac dicentem mihi: Quid tam mane huc venisti? Respondi quoniam, Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi Jejunium*: Vereor tamen ne locum illi perperam intellexerint: Quamquam enim solum quartæ & sextæ feriæ jejunium veteres *Stationem* aliquando dixerint, iidem tamen aliquando omne generatim jejunium eo nomine appellaverunt; hac vero postrema significatione stationis verbum hic

Cotelerius ad hunc locum to. pr. PP. ap. p. m. 103.

Clemens Alexandr. Strom. lib. 7. p. 877. Ven. Ed.

Orig. Homil. x. in Levit.

Petrus Alex. in Epist. Canon.

Innoc. I. Epist. apud Coustant 25 cap. 3. §. 7.

Ambrosiaster in Epist. ad Rom.

August. ol. 86. nunc. 36.

Thomass. cap. 21. P. 1. Tract. de jejun.

usurpari, & textus ipse plane declarat, & adnotavit jamdin Cotelerius. Utut tamen de hoc sit, hujusmodi jejunii diserte meminit Clemens Alexandrinus: *Novit ipse Jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti inquam, & sexti, dicitur autem ille quidem Mercurii, hic Veneris*: Meminit Origenes: *Habemus Quadragesimæ dies jejuniis consecratos; habemus quartam, & sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus*. Petrus quoque Alexandrinus, ut ceteros omittamus, *non reprehendet nos*, ait, *quisquam quartam & sextam feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundum traditionem præceptum est*. Ex Latinis vero Tertullianus cum sæpe alibi, tum in Lib. de jejunio cap. 14. memorat expressis verbis: Cur Pascha celebramus in *annuo circulo, in mense primo? Cur quinquaginta exinde diebus in omni exultationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis Parasceven?* Tertulliano concinunt Innocentius primus, Auctor Commentariorum in Epistolas Pauli Ambrosio tributas, Augustinus, aliique plures, a quibus consulto abstinemus. Est hic tamen cum doctissimo Thomassino animadvertendum Orientales ex præcepto quartæ & sextæ feriæ jejunium observasse, apud Latinos vero si IV. tempora excipias,

cipias nullam hujusce abstinentiæ legem extitisse: Quod quidem innuit aperte Augustinus, ubi scribit Romanam Plebem quarta & sexta feria non continuo, sed frequenter jejunare sua ætate consuevisse: *Christianus, qui quarta, & sexta feria, & ipso Sabbatho jejunare consuevit, quod frequenter Romana plebs facit*. Observandum præterea non ideo a Latinis scriptoribus hujusmodi jejunium stationem fuisse, uti diximus, appellatam, quia Stationes a jejuniis minime discreparent, quod contendit Pamelius in suis ad Tertullianum adnotationibus: Magnum enim inter utrumque discrimen fuisse declarat Albaspinæus. Cum itaque Christiani prioribus illis seculis, certis quibusdam, & præsertim Mercurii & Veneris diebus summo mane in Ecclesiam jejuni convenirent, ibique ad horam nonam in oratione, aliisque pietatis officiis perstarent; hinc factum, ut suos illos conventus, & illorum etiam dierum Jejunium a militaribus forte stationibus translato, stationis nomine donarent. Nam quemadmodum excubiæ militum, & eorum pro foribus Palatii standi, excubandique functio, statio vocabatur, ita verisimile est Christianos moram illam, atque officium illud, quod jejuni in Ecclesia usurpabant, excubias & stationem vocasse, uti insinuat Tertullianus: *Si statio de militari exemplo nomen accepit*. Quod vero solemniora jejunia usque ad Vesperas, quartæ vero & sextæ feriæ ad nonam tantummodo protraherentur; propterea hæc ab eodem Tertulliano *Stationum semijejunia* dicta fuisse facile intelligimus.

August. loco cit.

Albasp. Observat. IV.

Clem. Strom. lib. 7. p. 877. Edit. Venetæ.

Tertull. de orat.

Tertull. de Jejun. cap. 3.

9. Undenam porro factum fuerit, ut quarta sextaque feria stationes celebrarentur, explicat Epiphanius: *Synaxes porro celebratæ, ab Apostolis institutæ sunt his potissimum diebus quarta, sextaque feria, & Dominica; Item quarta, sextaque feria jejunium ad horam usque nonam indictum; propterea quod quarta feria comprehensus sit Dominus, & sexta crucifixus. Ideo per illos dies jejunandum esse decreverunt Apostoli*. His plane similia tradit Augustinus: *Cur autem quarta, & sexta maxime jejunet Ecclesia illa ratio reddi videtur, quod considerato Evangelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Intermisso autem uno die, cujus vesperæ Dominus Pascha cum Discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus est ex nocte quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies Passionis ejus mani-*

Cur. 4. & 6. feria stationes fierent.

Epiph. Hær. 75.

Epist. ad Casul. ol. 86. n. 36. §. 30.

JESU CHR. AN. 63. *manifestus est*, *pertinebat*. Innocentius quoque Romanorum Pontificum hoc nomine primus *sexta*, inquit, *feria propter passionem Domini jejunamus*.

Ep. xxv. ad Decent. cap. 4. §. 7.

De jejunio Sabbati.

10. Præter quartam, sextamque feriam Sabbatum quoque excepta Paschali Vigilia jejunio celebrabatur Romæ, & in nonnullis aliis Occidentis Ecclesiis; quod tamen nefas Græcorum moribus ducebatur. Constat id potissimum ex Augustini Epistola ad Casulanum, qua hominis cujusdam Romani proterviam retundit, qui universas pene Ecclesias a Romana, eo in ritu discrepantes, injuriose arcessebat. Adfirmavit Pamelius *Romæ*, & *in multis vicinis*, *ac remotioribus Ecclesiis etiam Sabbato jejunatum fuisse*; *In Ecclesiis vero Orientis non item*, *imo neque Mediolani*, *neque in Africa*. Summam tanti viri doctrinam suscipimus, quin tamen ipsi hic in omnibus adsentiamur, impedit Augustinus. Hic enim non penes multas, sed nonnullas tantum, & numero paucas Ecclesias Sabbati jejunium obtinuisse diserte scribit: *Et de die quidem Sabbati facilior caussa est*, *quia etiam Romana jejunat Ecclesia*, & *aliæ nonnullæ etiamsi paucæ*, *sive illi proximæ*, *sive longinquæ*. Prodit præterea Monicam Sanctissimam ipsius matrem perturbatam vehementer fuisse, quod præter morem suæ civitatis, Mediolanenses Sabbato non jejunare comperisset; additque continuo sua ætate contigisse *maxime in Africa*, *ut una Ecclesia*, *vel unius regionis Ecclesiæ*, *alios haberent Sabbato prandentes*, *alios jejunantes*. In eam plures ivere sententiam, nisi quarto Ecclesiæ seculo Sabbato jejunium Romæ fuisse inductum; nos tamen multo longius Romanæ disciplinæ originem esse repetendam existimamus. Hieronymus enim morem istum Romæ obtinuisse significat ex majorum præcepto, quod ex lege Apostolica descendisse censendum esset: *unaquæque Provincia abundet in suo sensu*, & *præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur*. Augustini quoque, & Cassiani tempore plurimorum erat opinio ab Apostoli Petri ætate Romanos Sabbati jejunium observasse. Præterea Innocentius I. manifeste declarat, hanc suæ Ecclesiæ consuetudinem, tamquam ab Apostolis acceptam, apud suos tum obtinere. Nec Tertullianum quis proferat, cujus hæc est in Libro de Jejuniis contra Catholicos sententia: *Quamquam vos etiam sabbatum si quando continuatis*, *numquam nisi in Pascha jejunandum secundum rationem alibi redditam*. Namque Tertullianus non contra Romanos, sed adversus omnes Catholicos scribit, quos, ut

Epist. 36.

Pamel. ad Tertull. de Jejun. cap. 14.

Epist. 11. ad Lucin. Boet. August. Ep. ad Casulan. Cassianus Instit. lib. 3. cap. x. Innocent. I. Ep. ad Decent.

Tertull. de jejun. cap. 14.

ut ex suis ipsis ritibus arguat, id potius arripit quod in Africanis pluribus, in Orientalibus, & in plerisque aliis Occidentalibus Ecclesiiis usurpabatur, quale erat jejunii remissio in sabbato, quam id quod paucæ Occidentis Ecclesiæ cum Romana agere consueverunt. Quod autem ex quarto Leonis M. Sermone de Quadraginta solet adduci, est prorsus inane; jamdiu enim Quesnellius, nec multo antea fratres Ballerinii præstantiorum Codicum auctoritate ostenderunt Leonis non esse verba illa, quæ objiciuntur, sed Sermoni ejus procedente tempore superadditæ. Cur porro Sabbatici jejunii consuetudo in Ecclesiam Romanam invecta fuerit hanc caussam attulit Augustinus: *Sequitur Sabbatum, quo die Caro Christi in monumento requievit, sicut in primis operibus mundi requievit Deus die illo ab omnibus operibus suis. Hinc exorta est ista in reginæ illius veste varietas, ut alii, sicut maxime populi Orientis, propter requiem significandam mallent relaxare jejunium, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana, & nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.* Eamdem rationem urget vehementer Innocentius in Epistola ad Decentium: *Si autem Dominici diei, ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, bidui agere consuetudinem Sabbato prætermisso; cum non disparem habeat caussam, a sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, quando & ad Inferos fuit, ut tertia die resurgens redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem.* Sabbati jejunium vellicat Cassianus, Romanæque propterea Ecclesiæ immoderationis notam confidenter impingit: *Cujus*, inquit, *moderationis causam nonnulli in quibusdam occidentalibus civitatibus ignorantes, & maxime in urbe... putant absolutionem jejunii sabbati minime debere præsumi*. Verum cum hæc scripsit Cassianus, quid aliud, quam se contentiosum nimis, & immoderatum omnibus objecit? Etenim, uti sapientissime admonet Augustinus, *in his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documenta nulla veritatis insinuet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem caritatis obnubilet*. Quapropter Ambrosius Augustino de sabbati jejunio sciscitanti respondit: *Quando hic sum*, (videlicet Mediolani) *non jejuno sabbato; quando Romæ sum*, *jeju-*

August. loc. cit.

Cass. Inst. lib. 3. cap. 10.

August. in Epist. toties citata.

August. ibid.

JESU CHR. AN. 63.

jejuno sabbato: Et ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.

De Jejunio IV. Temporum. *Epist. 36.*

11. Huc quoque pertinet quatuor Temporum Jejunium, cujus antiquitatem in Romana saltem Ecclesia innuit certe Augustinus, cum hæc adversus Urbicum ad Casulanum scriberet: *Videat ergo quanta afficiat contumelia ipsum quoque Romanam Ecclesiam, ubi & his hebdomadibus, in quibus quarta, & sexta, & sabbato jejunatur; tribus tamen diebus continuis, Dominico scilicet, ac deinde secunda & tertia pranditur.* Quinimo Magnus Rom. Eccles. Pontifex Leo, cujus plures extant adhuc de hujusmodi jejunio sermones, affirmat *de traditione Apostolica, & de S. Spiritus prodire doctrina.* Ad quæ sane qui attenderit facile intelliget, quo loco habenda sit illorum opinio, qui a S. Cælestino I. institutum contendunt. Quamvis enim Doctissimis Ballerinis fratribus ultro concedamus sæpe Apostolicæ institutioni a Leone præsertim tributum, quod non ab Apostolis profectum fuerat, sed ex Apostolica eruditione a Patribus inductum, id tamen, vel ipsis auctoribus, de iis tantum usuvenisse constat, quæ in Romana Ecclesia antiqua observantia custodiebantur: Quid porro antiquum esse Romæ Leonis ætate poterat, quod ex Cælestini I. institutione prodisset? Cur autem hæc Jejunia Romanis primum indicta fuerint idem S. Leo declarat: *Quæ Jejunia ex doctrina Spiritus Sancti ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit ea adstricta temporibus. Siquidem Jejunium vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense decimo, hyemale autem in hoc, qui est decimus celebramus*: Sunt hæc quidem adeo aperta, ut mirari subeat non defuisse qui sibi persuaserint eam tantum ob caussam hæc instituta fuisse jejunia, quod nisi præcedente jejunio sacris initiari nemini liceret, sacrorum autem ordinum collationes iis potissimum temporibus peragerentur, quemadmodum ex Gelasii Papæ de hujusmodi ritu verbis in Epistola ad Lucaniæ & Brutiorum Episcopos intelligitur: *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum nisi e certis temporibus, & diebus exercere non audeant, idest quarti mensis jejunio, septimi, & decimi, sed etiam quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, & Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Plura sunt, quæ hanc Hallierii, & aliorum opinionem minus veram demonstrant: Sed hæc tantum brevitatis caussa hic cum Amalario Fortu-

S. Leo Serm. apud Baller. in 79. al. 77. de Jejun. Pent. 2.

Ballerinii in Not. ad hunc locum To. 1. col. 315.

Serm. XIX. al. XVIII. de Jejun. X. Mens. VIII.

Hallier. de S. Ordinat. Sect. 7. cap. 7. art. 2. §. 2.

Gelas. Ep. 9. T. 4. Concil. Labb. p. 1191.

Fortunato adnotabimus, minime *celebratas in quatuor Temporibus ordinationes a primis Episcopis fuisse*, ideoque dicendum potius *ipsas eo tempore propter jejunium præcedens* postea celebrari cœpisse. Quatuor Temporum jejunia seculo quinto ab universa Ecclesia religiose observata fuisse veluti certum statuit post Bellarminum Natalis Alexander. Quod ad Orientales quidem attinet, id falso affirmari vel exinde plane cognoscitur, quod ipsorum moribus nefas semper habitum Sabbato, præter quam in majori hebdomada, jejunare; nec quidquam movent, quæ in suæ sententiæ præsidium afferunt, Athanasii verba: *In hebdomade post sacram Pentecostem populus completis jejuniis ad orandum ad Coemeterium abiit*. Qui enim Orientalium mores noverit, nullam hic Quatuor Temporum mentionem fieri statim intelliget; sed illius tantum jejunii, quod per integram hebdomadam, excepto Sabbato, post Pentecostem Græca Ecclesia celebrabat: *Itaque*, inquit Auctor Constitutionum vulgo Apostolicarum, *post celebratam Pentecosten celebrate hebdomadem unam, & post illam jejunate item unam*. Quod porro de Orientalibus, idem quoque de Latinis dicamus oportet, quorum plerasque Ecclesias paullo ante vidimus a jejunio in Sabbato abstinuisse. Pluribus præterea, iisque sane perspicuis, antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis constat Quatuor Temporum jejunium longe serius a Romana, in ceteras Occidentis Ecclesias dimanasse, de quo præ aliis consulat qui velit Cl. Muratorium, qui in hoc argumento summa cum laude versatus est. Solemnioribus, quæ hactenus recensuimus, Christianorum jejuniis alia deinceps accesserunt, quæ variis de causis ab Ecclesia indicta fuerunt, uti Rogationum, Adventus, & alia; de quibus hic minime differendum putamus.

12. Hoc solum præterea adnotabimus in Episcoporum arbitrio fuisse, justa id suadente causa, jejunia Fidelibus indicere: *Bene autem*, inquit Tertullianus, *quod & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent, non dico de industria stipium conferendarum, ut vestræ capturæ est, sed interdum, & ex aliqua sollicitudine Ecclesiasticæ causæ*. Confirmat Ambrosius, a quo & illud admonemur, indicta scilicet ab Episcopo Jejunia fidelibus esse omnino servanda: *Stolidior pecore est, qui indicto pro se a Sacerdote jejunio non jejunat*. Cum itaque habenda esset Chartagine Catholicorum cum Donatistis collatio iis post Pentecostem diebus, quibus fideles jejunio vacabant;

Jesu Chr. an. 63.

Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. 2. Diss. 4.

S. Athanas. Apolog. 2.

Constit. Apostol. lib. v. cap. ult.

Muratorius in Disquisitione de iv. Tempor. Jejuniis. To. 2. Anecdotor. Latin. p. 246.

Episcopi Jejunia indicere solebant.

Tertull. de Jejuniis.

Ambros. in Jonam ad cap. 3. & 4.

Jesu Chr. an. 63. Auguft. Serm. 37.

cabant; eos Auguftinus vehementer admonuit, ut, quod celebrandum erat jejunium, ea accedente caufa ferventius peragerent: *Pater nofter, qui es in Cælis: fimul habemus apud Patrem unam vocem, quare non fimul habemus unam pacem? Talia dicite ardenter, dicite leniter; dicite ardenter fervore charitatis, non timore diffenfionis, & deprecamini nobifcum Dominum folemnibus jejuniis. Quæ jam reddimus Deo, reddamus & pro caufa. Jam enim jejunamus poft Pentecoftem folemniter, & utique jejunaremus etiamfi ifta caufa non effet.*

De Epiftola ad Titum ejufque argumento.

13. Adhuc in Macedonia verfabatur Paulus, & Nicopoli hyemare conftituerat, cum ad Titum quoque Epiftolam fcripfit rogans, ut ad fe Nicopolim veniret. Ne vero Creta Infula Epifcopo careret, Tychicum, aut Artemam eo miffurum nunciat, qui Titi abfentis munere fungeretur, eumque fimul præmonuit, ne antea difcederet, quam in Infulam alterutur appulliffet: *Cum mifero ad te Artemam, aut Tychicum, feftina ad me venire Nicopolim: ibi enim ftatui hyemare*. Titum Cretæ reliquerat Apoftolus, ut ea, quæ oporteret, in illius Infulæ Ecclefiis corrigeret, perque civitates Epifcopos & Presbyteros conftitueret. Quapropter præcipuis illorum officiis recenfitis, quod antea Timotheo, hic Tito quoque inculcat, ut nempe optimos tantum eligendos curet: *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ defunt corrigas & conftituas per civitates Presbyteros... Si quis fine crimine eft, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accufatione luxuriæ, aut non fubditos, &c.* Dici vix poteft, quam confidenter Novatores his Apoftoli verbis adverfus Cleri continentiam abutantur; verum temere inepteque prorfus id fieri cum paffim Theologi, tum alii inter Catholicos Scriptores adeo plures oftenderunt, ut fupervacaneum putemus in his immorari, cum alio præfertim loco in hujufmodi Difputatione, quantum inftituti ratio patitur, verfati fimus. Pergit Paulus, & vaniloquos ac feductores, præfertim ex circumcifione, inter Cretenfes adeffe fignificat, mendaces prætera, voraces, pigros, & judaicis fabulis mandatifque hominum intendentes: Hos itaque acrioribus etiam verbis effe caftigandos, *ut fani fint in fide*. Poftremo fingulos hominum ftatus percurrit; Quid cuique magis pro fufcepta vitæ ratione incumbat diftincte explicat, utque omnes non monitis tantum, fed exemplo bonorum operum in officio contineat, atque inobedientes cum imperio arguat, Titum

ad Tit. III. 12.

ad Titum 1.

tum vehementer, etiam atque etiam hortatur: *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam: Senes ut sobrii sint.... In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis.... Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

Jesu Chr. an. 63. ad Titum II.

14. Prodit Josephus plurima Hierosolymis accidisse, quæ Urbis excidium non longe abesse portenderent, eaque distincte recenset. Præ omnibus tamen illud hoc loco memorandum videtur, quod quadriennio ante bellum exortum, hoc scilicet ipso Anno, evenisse meminit. Etenim cum Jesus quidam Anani filius vir plebejus & rusticus, sese propter festum Tabernaculorum Hierosolymam contulisset, juxta Templum repente exclamare cœpit: *Vox ab Oriente, vox ab occasu, vox a quatuor ventis, vox in Hierosolyma, & in Templum, vox in sponsos & in sponsas, vox in universum populum*: Idque nocte, & interdiu clamitans civitatem universam circuibat. A primoribus populi qui rem ægre ferebant pluries correptus, multisque verberibus affectus; at ille nec pro se quicquam loquutus, nec eos qui verberabant privatim deprecatus, eadem quæ prius inclamare non destitit: Quin etiam cum eum ad Romanum Præsidem adduxissent, & ad ossium usque denudationem laniandum curassent, nec preces, nec lacrymas ullas effudit, sed quantum maxime poterat flebili ac lugubri modo vocem inflectens, ad singula verbera clamabat: *Væ væ Hierosolymis*. Albino autem interroganti quis esset, & unde & cur ea diceret, nihil omnino respondit. Quapropter cum veluti furentem dimisissent, non prius urbem lamentari destitit, donec aliquos post annos obsidionis tempore perspectis reipsa auguriis quievit. Namque in mœnibus obambulans, ingeminansque *væ væ civitati, & Templo, & populo*, ubi ad extremum adjecit *væ etiam mihi*, lapide ex balista excusso ictus statim occubuit. Judæi interea signorum quædam pro sua libidine interpretantes, atque alia pro nihilo habentes, rebus omnibus in deterius quotidie ruentibus, ad exitium properabant. Jesu Damnæi filio e Pontificatu dejecto, Jesus Jamalielis filius ei, Agrippa Rege jubente, successit, hinc mutua inter eos dissensione exorta, cum hominum audacissimorum manum utrinque collegissent, sæpe a conviciis ad lapides deventum est. Ananias præterea, Costobarus,

Anani filius Hierosolymitanam cladem prædicit. Joseph. de Bello Jud. lib. 6. cap. 5.

Turbatæ res Judæorum, qui ab Albino vexantur.

JESU CHR. AN. 63. rus, & Saulus amplis facultatibus, Agrippæ cognatione, & populi gratia florentes, sceleratorum multitudine coacta, infirmiores quosque violenter adoriebantur, & rebus omnibus spoliabant. Albinus vero Præses, non modo seditiosos impune grassari pacto pretio patiebatur; sed quasi princeps latronum & tyrannus eminebat, suisque satellitibus ad moderatorum direptionem instanter utebatur, novis quotidie tributis gentem universam gravabat; noxios, atque ob latrocinia in vincula conjectos, accepta a cognatis eorum pecunia, liberabat; *neque ulla erat maleficentiæ species, quam præteriret*.

Joseph. lib. 20. Antiquit. cap. 9. & de Bell. Jud. l. 2. cap. 14.

De rebus a Nerone gestis. *Annal. lib. 15. cap. 23.*

15. Nero autem natam sibi ex Poppæa filiam ultra mortale gaudium, teste Tacito, accepit, eamque, & Poppæam simul matrem appellavit *Augustas*. Locus puerperii Antium fuit, ubi & ipse genitus fuerat. Sed quartum intra mensem defuncta infano gaudio brevi luctus successit. Poetum præterea a belli Parthici administratione revocavit; & Corbulonem rei gerendæ præfecit.

JESU CHRISTI AN. 64. PETRI APOST. 33.
ROM. PONT. AN. 21. NERONIS IMP. 11.
COSS. C. LECARIO BASSO, ET M. LICIONIO CRASSO.
OLYMP. 210. AN. 4. URBIS AN. 817.

De Lucæ Evangelio, & actis.

1. Quatuor esse Evangelia omnes Christiani norunt; at quo tempore, & ordine ea scripta sint, difficillimum est definire. Videntur tamen veteres existimasse Matthæum primum, postea Marcum, deinde Lucam, postremo Joannem Evangelium scripsisse. De Matthæi, & Marci Evangelio jam diximus; nunc agendum de Luca, a quo præter Evangelium, Acta quoque Apostolorum edita fuisse compertum est. Cum itaque Lucæ ipsius testimonio constet ipsum non ante elapsum annum, quo Paulus e vinculis evasit extremam actibus manum imposuisse; hinc Tillemontius, aliique censent his Lucam temporibus tum Evangelium, tum acta scripsisse. Atque his plane de Actorum Libro adsentiendum; quod tamen pertinet ad Evangelium, adducta quidem nihil impedire videntur, quominus dicatur aliquo ante illa tempore scriptum, & eo fortasse quo Lucas Romæ cum Paulo versatus est; vel circa annum 53. Paulo Corinthi degente; vel denique ante annum 57. cum alteram Paulus ipse ad Corinthios Epistolam dedit, in qua de

Act. cap. ult.

Tillem. Tom. 2. hist. pag. 135. & 538. Baylet. 18. Octob. Clerc. an. 64. Tillem. ut supra, & Baylett.

Luca

Luca ejusque Evangelio Apostolum loquutum esse iis verbis: *cujus laus est in Evangelio*: Patres aliqui tradiderunt: Quamquam non desuere, qui locum de Barnaba interpretati sunt, & etiamsi de Luca explices, nulla adest caussa, cur potius de Evangelii Libro, quam de Apostolico munere intelligamus, quo Lucas summa cum laude perfunctus fuerat. Neque pluris ad probandum acta, & Evangelium uno ferme eodemque tempore scripta fuisse, valet, quod ex eorumdem Actorum præfatione petitum proferunt, verba nimirum quibus Lucas profitetur se *primum quidem sermonem fecisse de omnibus, quæ cœpit Jesus facere, & docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est*. Namque ostendunt hæc sane Lucam nonnisi scripto Evangelio ad Actus edendos accessisse; verum præterea nihil. Ceterum hæc circiter tempora ipsum utrique operi scribendo operam navasse vero perquam simile judicamus.

Orig. hom. 1. in Lucam. Hieronym. in Epist. ad Philem. Chrysost. in Epist. ad Corinth.

Estius in 2. ad Corinth. 8. Basnag. an. 60. 31. 32.

De Luca Evangelista.

2. Irenæus, Eusebius, Hieronymus, aliique inficiantur Lucam e numero discipulorum Christi fuisse, atque Evangelium ex discipulorum relatione scripsisse affirmant; quod & ipse Lucas innuit his verbis: *Quoniam quidem multi conati sint ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi &c.* Addit Hieronymus, eum ex Gentilibus ortum, medicæ arti operam dedisse: *Veteres perhibent tractatores medicinæ artis eum fuisse scientissimum, & magis græcas litteras scisse, quam Hebræas, unde sermo ejus tam in Evangelio, quam in actibus Apostolorum, idest in utroque volumine comptior est, & sæcularem redolet eloquentiam*. Scribit præterea Antiochensem eum fuisse: *Lucas Medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant; de quo Apostolus: Salutat vos Lucas Medicus Charissimus*. Unde illa Paulini Nolani carmina:

Iren. lib. 3. 14. Euseb. lib. 3. 24. Hier. in Isai. 6.

Aug. de consens. Evang. lib. 1. cap. 1.

Luc. cap. 1. v. 1.

Hier. de Vir. Illustr. Tom. 2. edit. Veron. pag. 826.

Ad Coloss. cap. 4.

Paulin. carm. 24.

Hic medicus Lucas, prius arte, deinde loquela
Bis medicus Lucas, ut quondam corporis ægros
Terrena curabat ope, & nunc mentibus ægris
Composuit gemino vitæ medicamina libro.

Demum Lucam eumdem esse ac Lucium, de quo in Epistola ad Romanos: *Salutat vos Timotheus adjutor meus & Lucius*;

ad Rom. cap. 16.

Jesu Chr. an. 64.

Orig. homil. in Epist. ad Rom. 26.

Dialog. contr. Marc. lib. 1. inter Orig. oper.

Epiph. hær. 51.

cius; Quemadmodum idem est Silas, ac Silanus, Saulus, & Paulus; seu verius, prout adnotat Origenes: *pro eo quod soleant nomina interdum secundum græcam, aut Romanam loquelam proferri*; ita ut græco idiomate *Lucas*, Romano vero *Lucius* diceretur. Ipse tamen Origenes, vel quisquis est auctor dialogi sub Adamantis nomine adversus Marcionitas, Epiphanius, & Dorotheus in Synopsi Lucam inter Christi Discipulos numerant. Theophylum autem, cui Lucas Evangelium, & Apostolicam historiam inscripsit, Antiochenum fuisse, totiusque civitatis & divitiis, & nobilitate facile Principem, tradit auctor recognitionum, quæ Clementi vulgo inscribuntur, & sane cum genere, tum dignitate illum præstitisse, vel ex eo intelligitur, quod Lucas eodem *optimi* titulo ipsum exornat, quo Felicem Judææ Præsidem Paulus compellavit, dicens: *Optime Felix*. An autem Romanus, vel Judæus Theophilus fuerit, cum ignarissimis juxta scimus; sed præstat audire Eutychium in suis Ecclesiæ Alexandrinæ originibus, qui de Theophylo ita censet: *etiam tempore hujus Imperatoris* (Neronis) *scripsit Lucas Evangelium suum græce ad virum nobilem ex sapientibus ex Romanis, cui nomen Theophilus*.

De Urbis incendio a Nerone excitato

3. His breviter expediti ad majora nos convertamus oportet, scilicet ad Urbis incendium a Nerone excitatum, & ad Christianorum persequutionem exinde motam. Angustiis, & anfractibus viarum Urbis offensus Nero, novæque condendæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærens, immane eam incendendi consilium iniit; quamobrem ignis ipso tandem jubente Urbi adeo palam admotus est, *ut plerique Consulares Cubicularios ejus cum stupa, tædaque in prædiis suis deprehensos non attigerint, & quædam horrea circa Domum Auream, quorum spatium maxime desiderabat, vi bellicis machinis labefactata, atque inflammata sint, quod saxeo muro constructa erant*. Hæc Suetonius, Dio, aliique litteris prodiderunt. Sed Tacitum audiamus: *Sequitur*, inquit *clades, forte, an dolo Principis incertum; nam utrumque auctores prodidere: sed omnibus, quæ huic Urbi per violentiam ignium accidere, gravior atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino, Cælioque montibus contigua est*. Pergit deinde, & maxima urbis vastatione descripta, hæc de Nerone subjungit: *Eo in tempore Nero Antii agens, non ante in Urbem ingressus est, quam domui ejus, qua Palatium, & Mæce-*

Sueton. in Nerone: 38. Dio in Nerone. Tacit. lib. 15. 38.

Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin & Palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur. Sed solatium populo exturbato, & profugo, Campum Martis ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos patefecit. Et subitaria ædificia extruxit, quæ multitudinem inopem acciperent; Subvectaque utensilia ab Ostia, & propinquis municipiis; pretium frumenti minutum usque ad ternos nummos. Quæ quamquam popularia, in irritum cadebant; quia pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis Urbis, iniisse eum domesticam scenam, & cecinisse Trojanum excidium, præsentia mala vetustis cladibus assimilantem. Plusque infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigillini Æmilianis proruperat. Videbaturque Nero condendæ Urbis novæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere. Quantum poterat, contendit deinceps Nero, ut hujusmodi infamiam abs se depelleret. Namque ruinis usus immanem illam domum extruxit, de qua pluribus Tacitus & Svetonius. Præterea quæ perierant domus, restituendas curavit dimensis vicorum ordinibus, latis viarum spatiis, cohibitaque ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent. Eas porticus sua pecunia extructas, purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est; addiditque præmia pro cujusque ordine & rei familiaris copiis. Mox ipso jubente, petita a Diis piacula, aditique Sibyllini Libri, ex quibus supplicatum Vulcano, & Cereri, Proserpinæque. Lectisternia & pervigilia celebrata; ac propitiata Juno per Matronas primum in Capitolio, deinde apud proximum mare. His aliisque pluribus Nero sperabat fore, ut sibi offensos Romanorum animos conciliaret; sed nulla prorsus re potuit efficere, quin ab eo jussum incendium putaretur.

Christiani de incendio calumniam passi

4. Itaque vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones; quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum pellibus contecti laniatu canum interirent; multi crucibus affixi, aut flamma usti; plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. *Ergo*, inquit Tacitus *abolendo rumori, Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis supersti-*

tio

JESU CHR. AN. 64. *tio rursus erumpebat, non modo per Judæam originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis conjuncti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.* Ad quod sævitiæ genus spectavit certe Juvenalis:

Juvenal. satyr. 1. v. 155.

Pone Tigellinum: tæda lucebis in illa
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Ad quos versus Scholiastes hæc adnotat: *Tigellionem si lædis, vivus ardebis; quemadmodum in munere Neronis vivi arserant, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura.* Huc quoque fortasse spectat illa *Tunica molesta*, de qua idem Juvenalis Satyra octava:

V. 235.

Ausi quod liceat tunica punire molesta.

Ad quæ verba Scholiastes: *Tunica*, inquit, *vestis ex charta facta pice illita, in qua ignibus pœnæ addicti ardere solent.* Quo tempore in hortis Imperatoris innoxii crudeliter adeo interficiebantur, Nero habitu aurigæ circense ludicrum agebat. *Unde*, vel ipso Tacito teste, *quamquam adversus sontes, & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur.*

Tacitus loc. cit.

Persequutionum adversus Christianos prior Neroniana.

5. Christiani equidem tum Hierosolymis, tum alibi passim vexati antea fuerant Judæis potissimum id maxime laborantibus, ut quos possent nostrorum, interficerent; Quæ tamen Nerone imperante adversus eos concitata est, persequutionum prima a veteribus statuitur: *Consulite commentarios; illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse; Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.* Hoc in Apologetico Tertullianus, qui & alibi, *vitas*, inquit,

Tertull. in Apolog. cap. 5.

Tertull. in

inquit, *Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit*. Eorum autem, qui Neroniano gladio interempti sunt, octavo Kal. Julii in martyrologio Romano memoria recolitur, qui & martyrum qui Romæ passi sunt primitiæ merito dicuntur. Ipsorum quidem numerus ignoratur, quam plurimos tamen fuisse intelligimus ex Tacito, a quo illud de Christianis [1]proditum: *Eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis*. Neque hoc tantum anno grassata est in Christianos persequutio, sed & in sequentem prorogata, uti postea videbimus.

Neronis persequutio in Christianos generalis fuit.

6. Quousque hæc Neronis persequutio progressa sit, nostra præsertim memoria inter viros eruditos disputatum est vehementer. Contendit enim Dodwellus nullos vexatos fuisse Christianos, præter eos, qui Romæ versabantur; idque probandum suscepit in ea dissertatione, cui titulum fecit *de Paucitate Martyrum*: *indignissimum* quidem, ut Toinardi V.C. verbis utar, *homine utcumque Christiano, nedum auctore litterato*. Dodwello tamen præiverat Launojus in dissertatione, qua Sulpicii Severi locus de prima martyrum Galliæ Epocha vindicatur. Quæ fuerit Doctorum hominum de Dodwelli Dissertatione sententia ita explicat Ruinartius: *Nemo non obstupuit, cum primum inter dissertationes Cyprianicas una prodire visa est, de Martyrum paucitate inscripta, in qua auctor Tyrannorum Apologia facta, nullisque fidei accusatis, aut in alienum sensum detortis iis auctoribus, quos suæ sententiæ adversari putat, probare nititur paucos admodum Martyres in primævis persecutionibus passos fuisse; tantamque SS. Martyrum turbam, quam Ecclesia Catholica in Martyrologiis, aut in Officiis Ecclesiasticis celebrat, nulla alia, quam fabulatorum, aut monachorum, ut ait, otiosorum auctoritate fulciri, qui ejusmodi somnia, & nænias apud Fideles impudenter divulgarunt*. Ne quis autem Ruinartium Virum Catholicum exaggerasse forte suspicetur, præstat Bingamii de eadem Dissertatione judicium afferre: *Dissertatio*, inquit, *Henrici Dodwelli undecima de paucitate Martyrum, non alio facit, nisi ut ostendat quid vir alioquin magnus de mala quadam causa dicere possit, & argumentari plausibiliter in levibus, ac falso fundamento innixis rationibus*; Non defuere tamen, qui Dodwelli opinionem probabilem judicarent, in eamque pedibus irent. Ut autem in Provinciis vexatos Christianos negent, se veterum auctoritate adductos confidenter affirmant.

Dodwell. Dissertat. Cyprianica XI.

Toinardus in N. 1. ad lib. de M. P. cap. 3.

Launojus To. 2. oper. P. 1. p. 139. 140.

Ruinart. præf. general. in Acta Martyr. §. 2.

Bingam. in Præfat. To. x. Orig. Eccl. p. 55.

Cellarius Dissertat. Academ. p. 618.

Clericus Annal. An. 64.

Basnagius An. 65. 20.

Jesu Chr. an. 64. *Tertull. Apolog. cap. v.* maut. Et sane Tertullianus, inquiunt, aperte memorat, *Neronem in* Christianorum *sectam, tum maxime Romæ exorientem Cæsariano gladio ferocisse*. Tacitus vero prodit *abolendo* incendii *rumori Neronem subdidisse reos, & quæsitissimis pœnis affecisse*: Quod plane rem dirimit. Quæ enim, vel specie tenus, verisimilis ratio aderat, cur in eos, qui Roma aberant, urbis incendio intentaretur. His potissimum se tuentur Dodwellus, ejusque asseclæ; nam quæ præter ea adjiciunt longe minus ad probandum valent. Enimvero inania hæc adeo sunt, *Havercampus in Notis ad loc. Tertull.; Tacitus ubi supra.* ut mirari subeat viris ingenii & eruditionis laude præstantibus imponere potuisse. Nam, ut recte animadversum ab Havercampo, sensus verborum Tertulliani hic est: non alibi magis, quam Romæ Christianorum sectam tunc temporis, cum Nero imperaret, viguisse, idque Taciti testimonio facile confirmatur. Quare tantum abest, ut Romæ solum sævitum in Christianos ab eo Imperatore dicat, ut, cum ibidem eum inter Persequutores numeret, qui bellum, non parti alicui, sed universæ Ecclesiæ indixerunt, satis indicet Edicta fuisse ab eo publicata, quibus omnes, qui Christianam Religionem profiterentur, cruciari, morteque affici juberet. Nec gravius est, quod ex Tacito repetunt argumentum. Namque id veluti certum assumunt, quod plane a Taciti sensu alienissimum est, Christianos scilicet solo incendii crimine fuisse vexatos. Is quippe scribens Neronem *abolendo rumori subdidisse reos... quos per flagitia in viros vulgus Christianos appellabat*, aperte declarat aliam præter incendium adfuisse caussam ob quam venire Christiani, qui Roma longe abessent, in summum cruciatum deberent. Erat hæc odium generis humani; quod non iis tan- *Sveton. in Nerone.* tum, qui in urbe manebant, sed omnibus per summam injuriam ab inimicis objiciebatur. Quamobrem Suetonius a Nerone *afflictos suppliciis Christianos* commemorans, nullam Romani incendii mentionem facit; sed eos *genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ* appellat: Quæ cum referat Svetonius inter ea, quæ a Nerone *instituta* fuerunt; haud dubium est, quin Edictum adversus Christianos universos ab eo Tyranno scriptum fuerit. Merito itaque a Patribus Nero primus notæ in Christianam gentem persequutionis auctor censetur; eamque ad Provincias etiam permanasse post, veteres plerique e- *Sulp. Sev. lib. 2. Hist.* tiam recentium temporum Scriptores existimant. Et quidem Sulpicius Severus prodit in Christianos primum incendii occasione

sione sævitum, tum adversus eosdem postea etiam leges latas fuisse. *Post etiam*, inquit, *datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis Christianum esse non licebat. Tum Paulus &c.* Eadem, & multo quidem dissertius, tradit Orosius. *Nero Romæ Christianos suppliciis, ac mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persequutione excruciari imperavit.* Congruit Auctor Libri de Mortibus Persequutorum, qui postquam præmisit multos Romæ a Petro ad fidem adductos, subjungit: *Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret, non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad religionem novam damnata vetustate transire, prosilivit... ad excidendum cæleste templum, delendamque justitiam, & primus omnium persequutus Dei servos. Petrum cruci adfixit.* Ex quo etiam loco patet Neronianam persequutionem, cum ob urbis incendium excitatam fuisse, tum præterea quod magna multitudo a cultu Idolorum in dies deficeret.

Orosius lib. 7. — *Cap. 2.*

7. Interea cum ultimum sibi instare diem divina revelatione Petrus cognovisset, posteriorem Epistolam scripsit, quam non longe ante martyrium dedisse, indicat hisce verbis: *Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: Certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis.* Ea Epistola S. Petrus fideles admonuit, ut in accepta fide perseverarent, & per bona opera certam ipsorum vocationem, & electionem facerent, ut a pseudoprophetis, & seductoribus caverent, ut tandem immaculati, & inviolati adventum Domini expectarent, sicuti & *charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis*. Ut priorem, ita hanc etiam Judæis ad fidem conversis inscripsit; *Hanc ecce vobis secundam scribo Epistolam* ait; eosque ad Prophetarum oracula provocavit: *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes*; Quæ quidem Judæos præcipue spectant, quibus per Prophetas olim Deus loquutus fuerat, quique Prophetarum oraculis erant vehementer intenti.

De secunda Petri Epistola. — *2. Petr. 1.2.*

8. De auctoritate hujus Epistolæ veterum aliqui dubitarunt, Origenes scilicet, Eusebius, Hieronymus; ea potissimum caussa quod diversum ab altera stylum sibi in ea deprehendere viderentur. Ceterum hanc styli varietatem ex Inter-

Secunda Petri Epistola canonica demonstratur. — *Orig. in psalm. 1.*

JESU CHR. AN. 64. prete repetit alibi idem Hieronymus: *Duæ Epistolæ, quæ feruntur Petri, stylo inter se, & charactere discrepant, structuraque verborum; ex quo intelligimus pro necessitate rerum, diversis eum usum interpretibus*. Vix tamen, ac ne vix quidem stylo inter se differunt utræque Petri Epistolæ, easque Petro certe tribuendas, existimarunt plurimi inter Heterodoxos. Quod vero ad postremam attinet, eam sane veluti Petri genuinum opus habuerunt Athanasius, Cyrillus, Laodicena Synodus *canone* 60. Carthaginensis canone 47. Nazianzenus, Augustinus, Innocentius Papa, aliique innumeri, qui eam in suis operibus citarunt, uti videre est apud Tillemontium not. 37. in Petrum. An autem illam Romæ Apostolus scripserit in incerto est; labente tamen anno ad Urbem advenisse vero propius existimamus.

Euseb. lib. 3. cap. 3. 19. Hieronym. de Vir. Illustr.

Athanas. epist. & alibi Cyrill. Hierosolym. Cath. 4. August. de doctor. Christ. lib. 3. cap. 8. Innoc. ad Exuper. epist. 2.

Apostolus Paulus Romam redit.

9. Paulus quoque peragratis Orientis Provinciis Romam hoc eodem anno remigravit; ibique catenis iterum victus alteram ad Timotheum (uti nostra quidem, atque Eruditorum plurium fert opinio) Epistolam dedit, qua ad vitæ exitum se properare, testatur: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat; bonum certamen certavi, cursum consumavi &c.* His sane verbis, instantem sibi mortem præscisse indicat, quæ tempori, quo primum Romæ vinctus tenebatur convenire vix possunt. Tunc enim contra sperabat, se quamprimum vinculis solutum iri, ideoque Philemonem ut sibi hospitium pararet enixe petiit. Eadem ferme quæ in prima hic iterum Timotheo scribit Apostolus: Etenim quæ sint Episcopi officia, & qua ratione creditum sibi gregem regere, ac verbo enutrire oporteat perquam diligenter admonet: *prædica*, inquit, *verbum, insta opportune, importune; atque obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina &c. juvenilia desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, charitatem, & pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro*. Deinde, quæ obventura essent mala a falsis præcipue doctoribus, prænunciat. Timotheum semel, iterumque rogat, ut Romam quam citissime veniat, una cum Marco: *Festina ad me venire cito*; & paullo post: *Marcum assume, & adduc tecum*; & ad calcem: *festina ante hyemem venire*. Petit denique ut penulam, quam apud Carpum Troade reliquerat, sibi deferat, *& libros, maxime autem membranas*.

Athan. apolog. de Fuga tom. I. Tillem. n. 76. in Petr. Usser. an. 66. Pearf. annal. Paul. p. 25. Basnag. an. 64. 5. Baron. an. 59. Estius præf. in Epist. 2. ad Timoth. 2. ad Timoth. 4. De Epist. 2. ad Timoth. Cap. & 3.

Cap. 4.

Pauli penula quid sit.

10. Quid penulæ nomine veniat, in obscuro est. Existimat

mat Baronius sacrum hic volumen, vel sacram vestem designari; addit vero sibi magis placere: *Ut volumen sacræ legis intelligatur*. Neutrum tamen nobis arridet; namque apud veteres penula vestis erat, qua se in itinere, vel in urbe etiam a pluviis, & frigore protegebant. Quas in itinere adhibebant, Penuleæ scorteæ plerumque erant, earumque meminit Cicero ad Atticum, & Martialis: *Baron. 58. n. 68.* *Cicer. lib. 13. Ep. 33.*

Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Quæ vero in urbe usurpabantur ex Lana fiebant: *Penulis*, inquit Lampridius *intra Urbem frigoris causa, ut senes uterentur, permisit; cum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviæ fuisset*. Paulus itaque instante hyeme, ut suam sibi penulam deferret, Timotheum rogavit. Nec quidquam obstat, quod inverosimile sit, Apostolum sine penula sese itineri commisisse; Quid enim vetat Paulum præter Penulam, quam Troade reliquerat, aliam quoque quam secum deferret habuisse? *Lamprid. in Alex. Severo.*

11. Ubi Albinus cognovit Gestium Florum sibi in Judææ præfectura successorem esse constitutum, ut Judæis gratificaretur, productis vinctis, quotquot capitali crimine tenebantur, supplicio affecit, ceteros pecunia multatos dimisit, atque ita carceribus reclusis, Judæa repleta est latronibus. Cleopatram uxorem, cujus apud Poppæam opera Præfecturam obtinuerat, secum in Provinciam duxit Gestius Florus, qui Judæos eo usque vexavit, ut Albinum quasi beneficum desiderarent; ille enim quantum poterat clam tyrannidem exercebat; Florus contra, quasi ad ostendendam missus, rapinis, & latrociniis palam indulgens, omni injuriarum genere Judæos afficiebat. Porro cum Levitæ, qui Hymnos in Templo ex officio canebant, Agrippam exorassent, ut eis æque ac Sacerdotibus Stolæ lineæ usum permitteret; contra quam patria instituta ferrent, Hymnorum cantoribus id privilegii Rex indulsit, ut priori veste deposita, linea, quam petierant, uterentur. Præterea Jesu Gamalielis filio e Pontificatu dejecto, Matthiam filium Theophili in ejus locum subfecit, quo postea adhuc Pontifice bellum inter Romanos, & Judæos exarsit. *Gestius Florus Judææ præficitur.* *Joseph. lib. 20. cap. 9.* *De bello lib. 2. 14.* *Supra cap. 9.*

12. Antequam Urbem incenderet, Neapolim hoc eodem anno abierat Nero; ibique in maxima omnium ordinum, plebisque frequentia, Comædum, Aurigam, Citharædum egerat. Inde *De Neronis gestis.*

JESU CHR. AN. 64.

Inde cum Beneventum venisset, & gladiatoriis muneribus adfuisset; Romam repetens celeberrimas luxu, & infamia epulas edidit, præside Tigellino. Vastata postmodum incendio Urbe, domum uti innuimus paullo ante sibi ædificandam suscepit tanta amplitudine, & magnificentia, tantaque impensa, ut *Aurea* dicta fuerit, ejusque causa non Urbem solum, sed & provincias pene exhauserit. Severus & Celer immanis ædificii Magistri & Machinatores fuerunt, quibus, auctore Tacito, ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare, & viribus principis illudere.

Tacit. lib. 15. Suet. in Ner. Dio lib. 61.

JESU CHRISTI ANNUS 65. LINI PAPÆ AN. I.
NERONIS IMP. 12. COSS. A. LICINIO NERVA SILIANO, ET M. VESTINO ATTICO.
OLYMP. 211. AN. 1. URBIS AN. 818.

Noris. Ep. 108.

De anno, quo Petrus, & Paulus martyrio coronati sunt.

I. Neronis Persequutione in Christianos sæviente Petrus, & Paulus hoc anno & die 29. Junii martyrio coronati sunt. Non una quidem veterum, & recentiorum de anno, quo Apostoli martyrio vitam finierunt, opinio est. Alii enim, Eusebio, & Hieronymo ducibus, anno Neronis 14. Christi 67., aut 68. Contra alii anno 65. vel 66. Nonnulli denique 64. rem accidisse contendunt. Nobis tamen ea præ reliquis vero similior opinio visa est, utpote Chronologicis rationibus, ac veterum auctoritati magis consona, qua currente anno Petri & Pauli martyrium consignatur. Et quidem Epiphanius *Apostolorum Petri, Paulique necem, in annum Neronis duodecimum incurrisse* affirmat. At vero Imperium Nero iniit mense Octobri anni Christi LIV. ideoque duodecimus ejus Imperii annus incepit mense Octobri currentis anni, in quem Apostolorum necem conferimus. Prodit præterea Sulpicius Severus Petrum ac Paulum capite damnatos quo tempore Judæi adversus Romanos rebellare cœperunt: *Hoc initio in Christianos sæviri cœptum. Post etiam datis legibus Religio vetabatur, palamque edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tum Paulus ac Petrus capitis damnati.... Dum hæc Romæ geruntur, Judæi Præsidis sui Festi Flori injurias non ferentes rebellare cœperunt.* Quamobrem cum Romani sequenti tantum anno rebellibus Judæis bellum intulerint; profecto judaicæ defectionis initia, & Apostolorum Martyrium, præsente anno consigna-

Euseb. in Chron. Hier. de Vir. illustr. in Petro. Clerc. Annal. an. 68. Pearf. annal. Paul. p. 25. Baron. an. 69. 2. Petavius, Usserius an. 67. v. Boll. app. tom. 1. Basnag. an. 65. 9. Bianchinus tom. 1. Anast. Pagi an. 65. & 67. Epiph. Hær. 27. n. 6. Sulp. lib. 2.

signare necesse est. Quod Taciti etiam, & Orosii auctoritate rursus confirmatur. Etenim Tacitus referens ea, quæ Nerva & Vastino hujus anni consulibus gesta fuerunt, suam his verbis narrationem concludit: *Tot facinoribus fœdum annum etiam Dii tempestatibus & morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disjecit; pertalitque violentiam ad vicina urbi. In qua omne mortalium genus vis pestilentiæ depopulabatur, nulla cœli intemperie, quæ occurreret oculis.* Paulus vero Orosius hæc in Historia litteris prodidit: *Primus*, scilicet Nero, *Romæ Christianos suppliciis, & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persequutione excruciari imperavit; ipsumque nomen extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos Petrum Cruce, Paulum gladio occidit. Mox acervatim miseram civitatem obortæ undique clades oppressere. Nam subsequente Autumno tanta Urbi pestilentia incubuit, ut triginta millia funerum in rationem Libitinæ venirent.* Petrus itaque & Paulus, Orosio teste, eo anno morti traditi, quo urbem pestilentia afflixit; igitur anno Christianæ æræ sexagesimo quinto, quo Nerva, & Vestino Consulibus pestem Romæ grassatam fuisse a Tacito admonemur. Quod autem inter veteres Ecclesiæ scriptores aliqui Apostolos anno 36. post Passionem Domini trucidatos fuisse scribunt, id nostræ sententiæ pondus auget potius, quam vel minimum infirmet: Antiqui enim Christum anno 29. passum existimarunt, a quo ad Annum 65. triginta sex effluxere. Qui vero tradunt Petrum & Paulum triginta septem post Christi passionem annis martyrio coronatos esse, quemadmodum a Chrysostomo, Honorio, Isidoro, Beda, Rabano, Nicephoro aliisque scriptum non ignoramus; ii a reliquis in eo tantum differunt, quod utrumque extremum annum incompletum pro integro numerarunt.

Tac. Annal. lib. 6.

Orosius Hist. lib. 7. cap. 5.

v. *Baron. A. 69. 2.*

v. *Pagium ad Baronium.*

An eodem anno, & die occisi sint Apostoli.

2. Præterea Petrum & Paulum uno eodemque anno sanguinem fudisse, consentiunt plane veteres, quorum auctoritates in re jam satis explorata proferre supervacaneum existimamus. Quod enim Prudentius, Arator, Gregorius Turonensis, Auctor Sermonis apud Augustinum & si qui sunt alii affirmantes, uno post Petrum anno supervixisse Paulum, cum ceterorum omnium, qui contra sentiunt, unanimi testimonio, tum præsertim Romani LXX. Episcoporum Concilii sub Gelasio habiti auctoritate refellitur. Etenim sententia, qua SS. Apostoli Petrus, & Paulus diverso tempore mortem subiisse traduntur

v. *Acta SS. To. v. Junii p. 407.*
Carm. XII.
In act. lib. 2.
De Gl. Mart. lib. 1. cap. 29.
To. v. in app. parte 2. pag. 340.

JESU CHR. AN. 65. duntur, adeo a Majorum traditione abesse vel eo tempore visa est, ut in decreto de Apocryphis Scripturis, Hæreticis tributa fuerit: *Petro data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diversi, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore. uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in Urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est.* Atque hæc quidem quoad Annum; quod enim ad ejusdem martyrii diem adtinet, nullus certe unquam, quod sciamus, dubitavit quin illud Petrus & Paulus uno eodemque die tertio scilicet Kalendas Julias obierint: hinc Prudentius:

Ubi supra.

Festus Apostolici, nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore,
Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
Vidit superba morte laureatum.

In act. lib. 2. Arator vero.

Hæc etiam germanus amor quibus amplius actus,
Quam natura dedit; geminos quos addit astris
Non eadem, tamen una dies, annique voluto
Tempore, sacravit repetitam Passio lucem.

Idem multo antea scripserat Auctor Catalogi antiquissimi Romanorum Pontificum, quem Bucherianum appellant, sedente Liberio Papa sub annum 354. conscripti, aut potius ex antiquioribus aliis catalogis concinnati; qui cum Romæ scripserit, & minutissima etiam ad Romanam Urbem & Ecclesiam spectantia perspecta habuerit, uti adposite observatum a Balleriniis; Chronologiam præterea ex professo tractet, singulorumque Pontificum initia ac fines per Consules definiat, est sane plurimi æstimandus. Is vero sic habet: *Passus autem*, videlicet Petrus, *cum Paulo die tertia Kalendas Julias Consulibus* 55. *imperante Nerone*. Anonymus quoque auctor, quem Norisius Euthalium Diaconum appellat, quique anno 396. scripsisse intelligitur, Paulum die 29. Junii capite truncatum fuisse affirmat. Idatius autem Lemicensis Episcopus, & accuratus Chronologus, qui Seculo V. floruit in Chronico, quod perduxit ad A. C. 466. refert Petrum & Paulum passos fuisse III. Kalendas Julias. Chronologis addi merito potest S. Hieronymus ubi de Scri-

To. 2. oper. S. Leonis p. 405.

De Epoch. Syro Maced. pag. 19.

Scriptoribus Ecclesiasticis agit, præcipue intentus (quæ est Conradi Janningi animadversio) ut mortis cujusque tempus recte definiat. Hic porro in Paulo Apostolo sic loquitur: *Paulus decimoquarto Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus*. His uno ore consentiunt Scriptores reliqui, Martyrologia præterea, Liturgici Codices, & vetera quotquot Ecclesiastica monumenta in lucem hactenus prodiere. Quamobrem vere quidem scripsit Usserius tam Orientalis, quam Occidentalis Ecclesiæ tabulis confirmari, Petrum & Paulum die 29. Junii celebri martyrio vitam finiisse. Neque mirari satis possumus Pagium adfirmasse, *nihil certi statui posse de die, quo Princeps Apostolorum & Paulus Martyrium fecerunt*. Cui fortasse fucum fecit laterculus a Polemeo Silvio medio circiter quinto seculo elucubratus atque a Bollandistis editus, in quo sic habetur. *VIII. Kal. Mart. Depositio SS. Petri & Pauli*. Hoc enim testimonio fretus Pearsonius, & Caroli le Cointe vestigia forte premens, cum in Annalibus Cyprianicis, tum in Paulinis, censuit Natalem, sive Martyrium Apostolorum a die III.Kal.Julias ad VIII.Kal.Martias esse transferendum. *S.Paulus* inquit in annalibus *cum Petro ... Martyrium facit ... Februarii die 22. De Mense & die certis est Sylvius in Calendario*. Porro cum in Laterculo Bucheriano, qui *Depositio Martyrum* inscribitur, legatur: *III. Kal. Jul. Petri in Catacumbas, & Pauli Ostiense Tusco & Basso Conss.* vult præterea Pearsonius qua die vulgo creditur Apostolos passos esse, eorumque natalis festum agitur, eorumdem tantum translationem vetere memoria fuisse celebratam, neque ante Pseudo Isidori ætatem natalibus SS.Petri & Pauli aliam diem quam 22. Februarii assignatam fuisse. In magistri sententiam pedibus ivit Dodwellus, & errores erroribus cumulavit, quos recensere non vacat. Verum enim vero quam sint hæc absurda, ne quid dicam gravius, vel ex iis, quæ paullo ante adduximus facile est judicatu. Ut rem tamen propius attingamus, & potissimum novellæ opinionis momentum, quo tantopere triumphant, funditus evertamus, id unum animadvertimus, Auctorem depositionis martyrum, catalogi Romanorum Pontificum, & festorum Consularium, quos Bucherius in lucem prodidit, unum eumdemque fuisse, & non Pseudo Isidoro tantum, sed Polemeo Silvio, integro fere seculo anteriorem; Liberio enim, atque Constantio coævus agnoscitur: Præterea ipsum Romæ notitias didicisse,

Usserius in Annal. ad A. 67.
ad Bar. A. 69. n. 3.

Carolus le Cointe To. 2. annal. Franc. p. 73.
Pag. 62.
Pag. 25.

In annal. Cyprian.

Dissert. Cyprian. xi. §. 14. 15.

Jesu Chr. an. 65. ibidemque scripsisse ex eorumdem monumentorum observatione liquet. Cum itaque in Laterculo depositionis Martyrum mense Februario VIII. Kal. Martii legatur *Natale Petri de Cathedra*, & III. Jul. uti jam antea innuimus, *Petri in Catacumbas, & Pauli Ostiense Tusco & Basso Conss.* Constat utique, quidquid contra Pearsonius, & Dodwellus blaterent, non modo ante Pseudo-Isidori ætatem, sed integro ante Polemeum Silvium seculo, diem 22. Februarii Natali de Cathedra Petri; Junii vero 29. Depositioni, seu Natalibus Petri & Pauli adsignatam fuisse. Quam enim ex Tusci & Bassi consulatus notatione contendunt, scilicet alicujus translationis potius, quam mortis diem in laterculo designari, ex duobus aliis ejusdem Scriptoris Opuscculis inane prorsus evincitur; in quibus dies Martyrii SS. Apostolorum Petri & Pauli signatur *III. Kal. Julias*; nimirum in Catalogo Rom. Pontif. his verbis: *Passus est* (S. Petrus) *cum Paulo d. III. Kal. Jul.* in fastis vero Consularibus: *Nerone Cæsare, Vetere. Hoc Conss. passi sunt Petrus & Paulus III. KL. Jul.* verba *passus & passi sunt* diem profecto mortis expresse indicant. Itaque, uti rectissime pro more adnotant Ballerinii Fratres doctissimi, si uno Laterculo, uti vocari solet, Bucheriano separatim ab aliis opusculis considerato, ex Consulatus præsertim additione dubitari forte poterat, num ibidem translationis dies designaretur potius, quam mortis; certe ex collatione ejusdem Laterculi cum Catalogo & fastis dubium esse nequit, quin auctor in eo æque ac in istis indicare voluerit martyrii diem; cum quo fortasse etiam translatio, aut aliud factum nobis ignotum, & Consulatu Tusci ac Bassi denotatum concurrerit: obtinuit enim semper & usitatissimum fuit, ut Sanctorum translationes, majoris solemnitatis caussa, festo eorumdem die sæpe peragerentur. His accedit & antiqua omnia Ecclesiæ monumenta, & Auctorum omnium consensum Bucherianis opusculis suffragari; contra vero Silvii opinionem novellam prorsus esse, nulloque alterius cujusque scriptoris, vel antiquitatis præsidio munitam. Sed quid sibi vult *Depositio SS. Petri & Pauli notata* in Laterculo Silvii *VIII. Kal. Martii*? Conjecit Janningus, eique Ballerinos etiam adsensos fuisse intelligimus, Silvium per errorem eo loci notasse Depositionem SS. Petri & Pauli pro Natali S. Petri de Cathedra, quod huic diei in Bucheriano Laterculo adscribitur; quæ conjectura eo minus nobis displicet, quod

To. 2. oper. S. Leonis p. 497.

Act. SS. To. 7. Junii pag. 475.

quod a Bollandiftis relatum legimus in antiquiffimo Hieronymiani Martyrologii apographo feftum Romanæ Cathedræ Depofitionis vocabulo adnotari: *XV. Kal. Febr. Depofitio Cathedræ Petri Romæ.* Plura comminifcitur Dodwellus, ut perfuadeat verum Apoftolorum Natalem diem veteribus incompertum fuiffe; Sed fuam omnia perturbandi libidinem oftendit, præterea nihil. Potiora innuit, refelliturque Tillemontio.

Tillem. in S. Petro Not. 44.

3. Sed his tandem dimiffis, quæ Apoftolorum martyrium præcefferint, breviter adnotemus; pauca tamen referre contenti, quam multa ex incertis, & apocryphis fontibus derivare, ut Baronius admonet. Itaque cum ad fupplicium quæreretur Apoftolus Petrus, a Fidelibus rogatus, ut fe a Gentilium furore fubduceret, Roma egreffus aliorfum inftituerat iter, fed Domino admonente ad eam revertitur: *Petrus poftea, victo Simone*, ait Ambrofius, *cum præcepta Dei populo feminaffet, doceret caftimoniam, excitavit animos Gentilium. Quibus eum quærentibus, Chriftianæ animæ deprecatæ funt ut paulifper cederet. Et quamvis effet cupidus paffionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eft: rogabatur enim, ut ad inftituendum, & confirmandum populum fe refervaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit; & videns fibi in porta Chriftum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine, quo venis?* Refpondit Chriftus: *Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad fuam crucem divinum pertinere refponfum. Chriftus enim non poterat iterum crucifigi; qui carnem, paffione fufcepta mortis, exuerat; Quod enim mortuus eft, mortuus eft femel; quod autem vivit, Deo vivit. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Chriftus crucifigendus effet in fervulo. Itaque fponte remeavit: interrogantibus Chriftianis refponfum reddidit: ftatimque correptus, per crucem fuam honorificavit Dominum Jefum.* Similia ferme habet S. Gregorius, feu Auctor expofitionum in Pfalmos pœnitentiales, quæ Gregorio VII. etiam tribuuntur: *& Petro*, ait, *venio Romam iterum crucifigi. Qui enim in fe ipfo jam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterum crucifigendum dicebat.* Porro eadem de Paulo prodita fuiffe in Apocryphis ejufdem actis, teftis eft Origenes: *Quod fi cui placet admittere; quod in Actis Pauli fcriptum eft, tamquam a Salvatore dictum, denuo debeo crucifigi.* An autem Petrus fugam, antequam in vincula conjiceretur; an vero e carcere ipfo ad id rogatus a Proceffo, & Martiniano carcerum cuftodibus, quos baptifma-

Petrus Domino monente ad Urbem revertitur.

Ambrof. ferm. 68. in Auxentium.

S. Gregor. in Pfalm. 101. 4. 4. pœnit.

Orig. in Joan. 21.

JESU CHR. AN. 65.

te initiaverat, ut eorum Acta perhibent, nobis non constat, neque ex SS. Processi, & Martiniani Actis, utpote dubiæ fidei, erui quidquam potest.

Quo loco Apostoli martyrium obierint.

4. Apostolos Martyrium subituros extra portam Trigeminam ductos fuisse, ac verberibus primum mulctatos, tradit ex incerta traditione Baronius: Petro id fortasse contigerit, cum præsertim in usu esset, ut extremo supplicio plectendi virgis antea cæderentur. At de Paulo, utpote cive Romano, legibus Porcia, & Valeria vetantibus, vix credimus. Pergit deinde Baronius, iterumque declarans se isthæc conjectura potius, quam certa assertione affirmando proponere, subdit Apostolos ab illis, qui eos ducebant, mutato consilio, extra Portam Trigeminam divisos esse, & Paulum quidem via Ostiensi capite truncatum; Petrum vero in ea summitate Janiculi, seu Vaticani Montis, quæ est imminens Naumachiæ deorsum juxta Tiberim posita, Cruci affixum, sepultumque in ima Vaticani parte, ad quam Neronis horti essent, & Circus cum Obelisco. Haud sane probabile videtur, in potestate illorum, a quibus ad supplicium ducebantur, fuisse consilium mutare, & separare ab invicem reos, quos utique ex mandati & sententia judicis simul ducebant, ut extremo supplicio afficerent: Utut tamen de hoc sit, non sibi certe constat Baronius. Si enim rei extra Urbem percuti solebant, uti ipse contendit, qui fieri potuit ut Petrus in Janiculo crucifigeretur? Certe Janiculus jam inde ab Anco Martio quarto Romanorum Rege intra Pomœrium conclusus, urbi adjunctus fuerat, uti Livius Dionysius Halicarnassæus, aliique testantur. Ceterum non Baronio tantum, sed aliis quoque persuasum fuit, Petri martyrium in summo Janiculo contigisse, ubi nunc ejusdem B. Petri, vulgo dicta in Monte aureo, Ecclesia extat, & in medio Cœnobii claustro, Ædicula quædam elegantissima a Philippo II. Hispaniarum Rege constructa suspicitur, ubi crucem defixam fuisse perhibent. Quin tamen istorum sententiæ accedamus vehementer impediunt, quæ pridem animadvertit Aringhius, & post eum nuperus Monumentorum Romæ Subterraneæ illustrator Bottarius. Et sane, ut doctissimi Blanchinii verbis utar, nemo ex Antiquis dubitavit, quod sciamus, de loco martyrii B. Petri. Consensus omnium ætatum docet, in Circo Vaticano eum Cruci affixum inter utramque metam ejusdem Circi, prope quem locum Evaristus titulum superstruxit Sepulchro; atque toto postea terrarum

Lib. 1. cap. 33. Ant. Rom. lib. 3. cap. 45.

Roma Subter. lib. 2. cap. 5. Sculture e Pitture Sagre &c. T. 1. p. 23. seq.

In Notis ad Anastas. pag. 25.

rarum orbe celeberrima extructa fuit Basilica Vaticana. Primus omnium Maphæus Veggius conjecisse videtur, *inter utramque metam* quod in quibusdam actis martyrii legitur, ita exponi oportere, ut meta una fuerit Obeliscus Circi Neroniani ad radices Vaticani Collis, aut Sepulchrum Moli Adriani proximum, modo disjectum, quod Scipionis Africani, vel Romuli vulgus appellabat; altera vero Pyramis Sepulchri Cestiani, tota urbis diametro dissita a Circo Vaticano. Quod nemo non videt quam sit absurdum. Quis enim unquam vocaverit metam aut Sepulchrum Scipionis, aut Pyramidem Cestii. Quis *utramque metam Circi* non intelligat esse duo extrema ejusdem spinæ Circi Vaticani, inter quæ Petrus Cruci adfixus tropæum erexit Christianæ Religionis, a Tertulliano indicatum, & frequentatum per septemdecim secula, a Petri martyrio ad nostram ætatem piis peregrinationibus omnium nationum? Quamobrem Prudentius qui Romæ fuit sub finem Seculi IV; aut initio sequentis, ibidemque videtur edidisse hymnum VII. Libri περὶ Στεφάνων, prodit Petrum cruci affixum fuisse in *Tiberina Palude*, quod quam bene loco, quem diximus, congruat, doctissime ostendit V. C. Bottarius. *Ubi supra.*

Scit Tiberina palus, quæ flumine lambitur propinquo,
Binis dicatum cespitem trophæis,
Et Crucis & gladii testis: quibus irrigans, easdem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.

Præterea Anastasius, seu quisquis alius Libri Pontificalis auctor diserte affirmat, *Petrum sepultum fuisse via Aurelia in Templo Apollinis juxta locum, ubi crucifixus fuerat, juxta Palatium Neronianum in Vaticano.*

De modo, quo crucifixus est Petrus.

5. Porro Petrum cruci affixum fuisse, & quidem capite ad terram converso tradunt Patres, cum quibus consentiunt reliqui ferme omnes rerum nostrarum Scriptores. Neque id erat ea ætate novum; namque de Judæis a militibus Romanis cruci affixis, hæc habet Josephus: *Milites autem diversis modis suffigebant ira, & odio, & ludibrii caussa.* De Martyribus vero Ægypti inverso capite cruci affixis, Eusebius: *Pars atrocius capite deorsum verso clavis confixi*. Idem & de Calliopo martyre legitur; atque hujusmodi crucifixionis meminit Seneca ad Marciam: *Video istic cruces, non unius quidem generis,*

Joseph. de bello lib. 6. 12.

Euseb. lib. 8. 8.

Martyr. Rom. 7. Aprilis.

JESU CHR. AN. 65. *Euseb. lib. 3.*

neris, sed aliter ab aliis fabricatas; sunt qui capite in terram verso suspendant. Hoc itaque modo suspensum fuisse Petrum veteres testantur, & quidem ipso rogante: *Petrus ad extremum Romam veniens, cruci suffixus est, capite deorsum demisso*, ait Origenes. Similia habet pseudo-Hippolytus libro de duodecim Apostolis, Palladius, & Hieronymus, a quo de Petro hæc litteris prodita: *Petrus martyrio coronatus est, capite ad terram converso*: Prudentius vero:

Pallad. in Dialog. cap. 179. Hier. de Vir. illustr. in Petro. Prudent. carm. 12. in Peristheph.

Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis,
Pendere jussum præeminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam magistri;
Exigit ut pedibus mersum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.

Tertull. de præscript. cap. 36.

Tertullianus tamen Petri Crucifixionem memorat quidem; sed de modo silet omnino. Namque de Romana Ecclesia differens, ait: *statu felix, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni dominicæ æquatur*. Congruit Lactantius, seu Auctor libri de mortibus Persequutorum, Petrus Alexandrinus, aliique: Paulum autem Via Ostiensi capite truncatum fuisse, ibidemque a fidelibus sepulcum nemo ambigit. Multa de Pauli martyrio Baronius, aliique præterea memorant; ejus scilicet abscisso capite, e præcisis venis sanguinis, & lactis fluenta manasse. Excisum caput tribus se saltibus agitasse, totidemque fontes ex locis, quos tetigit, erupisse, unde postea Martyrii locus *ad tres fontes* dictus; quosdam ex militibus, qui ad supplicium ducebant, ad Christi fidem adduxisse; & alia hujusmodi, quæ utpote incertæ admodum & dubiæ fidei consulto præterimus.

Lactant. de mort. persecut. cap. 3. Petrus Alexan. can. 9. epist. canon. apud Balsami. Apud August. Tom. v. Serm. 19. in Append. Chrysost. tom. 6. Homil. 30. Tillem. in Paul. not. 80.

Apostolorum Petri, & Pauli Sepulcha illustria. *Euseb. lib. 2. 25.*

6. Porro notissima fuisse, & fidelium cultu illustria a primis usque temporibus Petri & Pauli sepulchra indubiis monumentis constat. Testatur diserte Cajus insignis seculi secundi Scriptor apud Eusebium: *Ego Apostolorum trophæa perspicue possum ostendere: Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt*. Confirmat Augustinus in Epistola ad Madaurenses: *Videtis & Imperii nobilissimi eminentissimum culmen* (Imperatores scilicet) *ad sepulchrum Piscatoris Petri*, *sub-*

August. Epist. 232.

submisso diademate supplicare. Chrysostomus vero, *Servorum Christi*, inquit, *splendida sunt sepulchra, quæ urbem maxime regiam occupaverunt... Nam & ipse ille purpura indutus, peregre proficiscitur, sepulchra illa complexurus; & fastu deposito contingit Sanctos, rogans, ut sibi apud Deum patrocinentur, & tabernaculorum opificem, & piscatorem patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema gestans*. Et alibi in eamdem sententiam: *Relictis omnibus ad sepulchra piscatoris, & pellionis currunt & Reges, & Præsides, & milites. Et Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum Ostiarii Reges*. De Pauli autem Sepulchro differens: *Quis mihi nunc dabit*, exclamat, *circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant implentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Evangelii ubique seminantis, pulverem, inquam, oris illius per quod Christus loquutus est?* Et paullo post: *Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, tunc vero, cum in hac vita essent, mortua*; & alibi: *Nullus ex Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto hic est. Ceterum Imperator foris alicubi jacet abjectus: hic autem velut vivens, & regnans tenet*. Denique de Petri sepulchro: *Quod*, ait, *Reges urbes everterunt, portus extruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt; nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio, & oblivioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosequutus, & civitatem maxime regiam occupavit, etiam post mortem resplendet Sole clarius*.

JESU CHR. AN. 65.

Chrysost. in 2. ad Cor. 1. Homil. 26.

Homil. quod Christus sit Deus.

In Epist. ad Rom. Hom. 32.

In 2. ad Timoth. hom. 4.

Hom. in Ps. 48.

7. Horum sepulchris Urbem esse munitam, idem alibi Chrysostomus tradit, cum ait: *Hoc corpus plebem hanc munit, quod quavis turri, innumerisque mœnibus ac vallis est tutius: & cum ipso corpus etiam Beati Petri &c.* Eadem & Christianus Poeta Venantius Fortunatus, & alii magno numero affirmant, quod longum esset enumerare. Quare nil mirum Orientales tentasse sacra Apostolorum corpora subripere, & in Orientem transferre, si fides habenda est Magno Gregorio, a quo hæc ex Romanæ Ecclesiæ traditione ad Constantinam Augustam scripta legimus: *Eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente venerunt, qui eorum corpora, sicut civium suorum repeterent: quæ ducta usque ad secundum Urbis milliarium, in loco, qui dici-*

Urbis munimen Corpora Apostolorum.

In Epist. ad Roman. hom. 32.

Orientales conantur ea eripere.

Greg. epist. lib. 3. 30. vel

JESU CHR. AN. 65.

dicitur ad Catacumbas collocata sunt: sed dum ea inde levare omnis multitudo eorum conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex pietate Domini meruerunt, levaverunt, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt.

Romana Ecclesia præ ceteris illustrior & prima.

Tertull. de præscript. cap. 32.

Idem in Scorpiaco.

Theod. in Epist. ad S. Leonem.

Chrysost. epist. ad Rom. hom. 32.

8. Sed quam Romana Ecclesia Apostolorum sanguine, & sepulchris fuerit illustrata non minus diserte, quam vere explicat Tertullianus: *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: ubi Paulus Joannis exitu coronatur: ubi Joannes Apostolus, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur*. Et alibi: *Orientem fidem primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci affigitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate*. Theodoretus etiam, aliique plures Romanam Ecclesiam exinde celebrant; audiendus tamen præ ceteris Chrysostomus: *Ego Romam*, inquit, *propterea diligo, tametsi & aliunde queam illam laudare, nempe a magnificentia, ab antiquitate, a pulchritudine, a multitudine, a potentia, a divitiis, & a rebus in bello fortiter gestis. Sed relictis omnibus istis, ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus, dum viveret, adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, coram disseruit, & postremo vitam apud eos finivit. Unde & civitas ista hinc facta est insignis plusquam reliquis omnibus: & quemadmodum corpus magnum, ac validum, duos habet oculos illustres, Sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cælum splendescit, quando radios suos Sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus: considerate, & horrete, quale spectaculum visura sit Roma; Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur Urbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc Urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ*. Hinc Prudentius Urbem Apostolorum sanguine ab idolorum cultu revocatam fuisse cecinit:

Prudent. hym. 2. de S. Laurentio.

Disce-

Jesu Chr. an. 65.

Discede adulter Jupiter
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebemque jam Christi, fuge:
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri.
Tibi id, quod ipse armaveras,
Factum Neronis officit.

Quod quam vere fuerit a Prudentio dictum, explicat Leo Magnus: *Non minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ cadunt, multiplicata nascuntur; unde duo ista præclara divini germina seminis in quantam sobolem germinaverint, beatorum millia Martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum, Urbem nostram purpuratis, & longe lateque triumphantibus populis ambierunt; & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.* S. Leo Serm. 1. in nat. Apostol.

9. Itaque Sepulchra, in quibus Petri & Pauli corpora quiescebant, magna semper apud fideles in veneratione fuerunt. Quin immo ea fuit erga Apostolorum Principes orbis Christiani pietas, ut vel ipsorum Imagines a primis usque temporibus, quo par erat, honore prosequeretur. Etenim testatur Eusebius, se *Apostolorum Petri & Pauli ... imagines ad suam usque memoriam servatas in tabulis vidisse*. Præterea Antiquissima sane vitreorum Vasculorum fragmenta e Romanis cœmeteriis effossa eorumdem Apostolorum Imagines passim exhibent, de quo consulendi potissimum Bonarotius, aliique Romæ subterraneæ illustratores, qui & alia plurima veterum Christianorum monumenta proferunt Petri & Pauli Imaginibus insignita.

Apostolorum Imagines in honore apud Fideles.

Eusebius Lib. 7. 18.

Buonarruoti Osservaz. pag. 75. Boldetti, Bottari.

10. Igitur ex ea, quam sequimur, temporum supputatione sedit Petrus Romæ Episcopus annos XXII. & menses aliquot; totidem enim ab anno Christi 43. Claudii Imperatoris 2. ad labentem Neronis 12. Christi vero 65. excurrunt. Alii contra annis viginti quatuor, mensibus quinque, & diebus aliquot sedisse judicant; ab anno scilicet Claudii secundo, Christi, juxta Baronium, 44. ad Neronis ultimum, Christi 69. Qui vero Petrum, imperante Nerone, Romam primum adve-

De annis Petri Sedis.

Baron. 69. 33.

Jesu Chr. an. 65.
Pag. not. in annum Christi 54. & 65.

nisse censent, inter quos eruditissimus Pagius, annos tantum duodecim Romano Petri Episcopatui assignant. Sed illa quæ de Sede a Petro in Urbe instituta, & de ejusdem Martyrii tempore, suis opportune locis antea disputavimus, nostro quidem judicio demonstrant ipsum Romanam sedem per annos XXIII. circiter tenuisse.

Quis Petri successor fuerit.
Henscb. to. 1. mens. Apr.
Papebroc. conat. Histor. Chronol. ad Catal. Rom. Pont.
Pagius ad an. Christi 67. not. 6. ad 28.
Pears. de Succ. Rom. Pontific. dissertat. duæ per plura capita.
Dodwell. ad Oper. postum. Pearsonii.
Blanchinii Franciscus, & Joseph. tom. 2. & 4. Anast.
Baratter. de Success. Rom. Pontif.
Petav. in Epiph. hæres. 28.
Baron. an. 69. 43.

11. Disputant quoque vehementer Scriptores de immediato Sancti Petri in Romana Cathedra successore, tum de subsequentibus prima illa ætate Pontificibus, eorumque successionis ordine; atque inter tot, tantasque difficultates, quæ in Ecclesiastica Historia passim occurrunt, vix alteram æque implicatam atque obscuram offendes; ad eam quidem illustrandam studium contulerunt viri ingenio doctrinaque præstantissimi, Henschenius potissimum, Papebrochius, Pagius, Blanchinii; & inter Protestantes Pearsonius, Dodwellus, Baratterius: multis tamen adhuc in tenebris versamur, atque in summa veterum monumentorum inopia, illud ferme nostra etiam ætate affirmari posse videtur, quod ajebat Bucherius, *Romanam* nimirum *Ecclesiam, licet continuam texat Pastorum suorum seriem, lucem tamen in eorum prioribus majorem requirere*: Affirmavit profecto Petavius, primorum Pontificum tempora singillatim perscrutari *plus molestiæ, quam utilitatis habere*; *Verum si in ordine, & tempore primorum Romanorum Pontificum quempiam errare contigerit, in multos alios errores ferri omnino* oportere verissime admonuit, & suo, quod pluris est, exemplo docuit Baronius: cui id quidem eo facilius indulgendum, quod primus ferme in hanc Provinciam ingressus est, atque iis præterea præsidiis destitutus, quæ posthæc in lucem prodiere.

De Catalogis Rom. Pontif. Euseb. & Bucher.
Vales. ad lib. 5. 12.
Pagius not. 10. an. 67.
Pear. ut supra disser. 1. pag. 7. 8. Dodwel. ibid.

12. Præcipuum in hac disputatione subsidium peti solet a Catalogis, quorum quidem nunc duos præsertim habemus antiquitate præstantes; sed uti origine diverso, ita in Episcoporum serie, & temporum supputatione ab invicem dissidentes. Unum exhibet Eusebius, quem Græcum ideo dixerimus; Latinum alterum edidit primum ex antiquo Codice Bucherius, a quo deinceps *Bucherianus* est appellatus, vel *Liberianus*, quod in Liberio Pontifice desinit. Eusebius igitur in Chronico, & in Historia præcipuarum sedium successionem enarrans, Romanorum quoque Pontificum seriem recenset; atque hæc omnia ex Archivis ab Eusebio prodita Valesius existimat. Secus tamen de Catalogi Eusebiani auctoritate plerique sentiunt; ejusque

que Romanorum Episcoporum Chronologiam incertam admodum, inque pluribus mendosam affirmant. Si enim Eusebio in ea contexenda Ecclesiarum Archivia præsto fuissent, quomodo fieri potuisset, ut alios in Chronico, alios in Historia iisdem Pontificibus annos interdum tribueret, & sæpe in iis etiam Pontificibus laberetur, qui ab ejus ætate non longe aberant? Ex quo colligi posse putant non ita facile hic Eusebio fidem esse adhibendam. Quod vero ad Latinum Bucherii Catalogum pertinet, etsi Dodwello non adeo antiquus videatur, magni tamen illum fecere, & antiquissimum judicavere reliqui ferme omnes, qui scriptum Liberio Pontifice A. pl. m.354. existimant: Verum suis & ipse, iisque non levibus mendis scatet. Atenim, cum fat us sit, uti vere admonet Pagius, aliquo antiquo auctore uti, quam arbitrariam & commentitiamChronologiam sequi, aut conjecturis inmixam sibi fingere, vel recentioribus temere adsentiri; hinc factum, ut, qui de serie Pontificum Romanorum suis temporum terminis rite digerenda scripserunt, vel Eusebium, vel Bucherianum Catalogum sequendum duxerint. Neuter tamen placuit Pearsonio, qui nimium profecto novitatis, quo ferme protestantes feruntur, studio indulgens, Eutychium Alexandrinum Episcopum, cujus Historiam ab Eduardo Pokokio editam habemus, in Romanorum Pontificum Chronologia explicanda sibi sequendum duxit; Decimi scilicet Seculi hominem, a Romana Ecclesia alienum, falsa passim scribentem, & vel in ipsa Decessorum suorum serie fœdissime errantem. Nec paullo meliora protulit Dodwellus, qui spreto Bucheriano, & Eusebiano Catalogo, nulla certa tempora asignanda censet Petro, Lino, Cleto, Clementi, & ab Evaristo Chronologiam Pontificum desumendam tradit, anteriora tempora commentitia confidenter appellans.

Jesu Chr. an. 65.

Pearsonius ut supra.

Dodwell. dissertat. singul. de Rom. Pont. Success. inter Pearsonii opera posthuma cap. 11. 12.

13. Verum enim vero, si Eusebium, vel Liberianum Catologum sequi præstat, utrum præteramus? Equidem inquam plurimis Romanorum Pontificum Catalogis ad hanc diem in lucem editis Bucherianum quam longe præstare; suasque in illorum successione statuenda utilitates habere, si potissimum conferatur cum reliquis ejusdem auctoris Opusculis, quarum unum *Depositio Episcoporum*, alterum *Depositio Martyrum* inscribitur. Sed multis, uti jam diximus, iisque non levibus mendis scatet, neque hujusmodi nobis esse videtur, cui fidere tuto possimus, præsertim in

De præstantia, & partibus Bucheriani Catalogi.

Jesu Chr. an. 65.

Antiquiorum Pontificum annis definiendis. Ut enim omittamus multas, magnique momenti varietates occurrere in iis, qui adhuc supersunt, Catalogi Codicibus, quippe cum a Cæsareo Codice sæpe differat Henschenianus; si quis eum attente consideraverit, facile intelliget breviorem illum in percensendis primis Pontificibus esse usque ad Pontianum, vel ad Callistum, uti Henrico Valesio placet, in reliquis vero longiorem, adeo, ut in partes duas dividi possit, & diversum fuisse utriusque autorem Henschenius conjecerit. Posterior pars est quidem altera longe accuratior, sed ita in Chronologicis interdum mendosa, ut frustra sæpe laborasse videantur, qui eam hac, vel illa ratione emendandam susceperunt. Cum enim exempli causa, ejusdem temporis duplicem Chronologicam notam proponat, sæpius eæ non concordant, imo nescio, an præter Cajum Pontificem alium invenias, in quo ab altera alia non discrepet, nec unius tantum diei differentia, sed plurium. Dionysius sedisse dicitur a die XI. Kal. Aug. 259. ad VII. Kal. Jan. A. 269; idest A. X. M. X. D. VI. cum tamen, si consulatus numerentur, ei tribuantur anni X. menses II. dies IV. *Dionysius an. VIII. m. II. d. IIII. Fuit temporibus Gallieni ex die XI. Kal. Aug. Emiliano & Basso Cons. usque in diem VII. Kal. Jan. Cons. Claudi & Paterni*. Eusebio adsignantur m. IIII. D. XVI.; at ex intervallo ibi descripto debentur vix M. IV. *Eusebius m. IIII. d. XVI. a XIV. Kal. majus usque in diem XVI. Kal. Sept.* In Miltiade vero error est anni unius, qui plus ei tribuitur. Verum longe majori Catalogi labes est in priore parte, qua nempe antiquissimorum Pontificum series continetur. Namque posterioris menda Librariis forte tribui, & salva Catalogi auctoritate, aliquatenus emendari; prioris tamen nullo malagmate sanari posse videntur.

V. Schelstratum T. 1. Ant. Eccl. Diss. 3. cap. 2. n. 2. Ad Euseb. lib. 7. cap. 28.

Apud Echard. tom. 1. hist. medii Ævi.

Eusebii Catalogus præferendus.

14. Quod itaque ad antiquiores Romanæ Sedis Episcopos adtinet, Ecclesiasticæ potius Eusebii Historiæ insistendum putamus; & tum maxime cum Latinis Catalogis concordat. Quamvis enim interdum non omnino accuratus forte videri posit in iis, quæ ab ipsius ætate propius aberant, diligentiorem certe in indagandis antiquis rebus fuisse, facile cuique patet ejus historiam sedulo perpendenti. Etenim cum plura priorum temporum, atque scriptorum monumenta adhuc extarent, quæ nunc frustra desideramus, ea curiose solerterque

que indagavit Eusebius, quæque ad rem facerent in suos Historiæ Libros exinde derivavit. Hinc ad illa passim provocat, ad fidem magis magisque conciliandam eorumdem, fragmenta quandoque recitat. Ubi vero contigit, ut veterum monumentorum præsidio destitueretur, id fatetur ingenue. Exemplo sint, quæ de Hierosolymitanæ Ecclesiæ successione litteris prodit. Namque Episcopos recensens, qui post Marcum Hierosolymis præfuerunt, se illorum seriem ex illius Archivis didicisse palam affirmat: *Post quem* (Marcum scilicet) *Episcopatu functum esse Cassianum, deinde Publium, postea Maximum, ac deinceps Julianum, Episcoporum series, quæ in Archivis illius Ecclesiæ servantur, ostendunt*. Alias contra, illorum tempora inquirens, qui a Christo usque ad obsessionem, quæ imperante Hadriano contigerat, eamdem obtinuerant, sincere profitetur se illa nusquam certo indagare potuisse: *Eorum autem Episcoporum tempora, qui Hierosolymis præfuerunt, nusquam reperire potui.... Illud tantum ex veterum scriptorum monumentis didici, ad illam usque obsessionem Judæorum, quæ imperante Hadriano contigit, quindecim Episcopos continua successione illi Ecclesiæ præfuisse*. Quamobrem hæc a doctissimo Valesio adnotata legimus: *nobiles Ecclesiæ, & præsertim quæ ab Apostolis institutæ fuerant, Episcoporum suorum Successionem in Archivis reconditam diligentissime servabant, eorum nomina & obitus diem in Diptychis perscribentes. Hujusmodi Libros accurate excusserat Eusebius noster.... qui præcipuarum sedium Episcopos, non aliunde quam ex hujusmodi tabulis digessit. Quamobrem successiones Episcoporum, quæ in Historia & in Chronico Eusebio recensentur, maximi faciendæ sunt, utpote omnium vetustissimæ ac certissimæ*. Hactenus Valesius, cui libenter sane quantum ad Eusebii Historiam pertinet, adsentimur; Quod tamen ad ejusdem Chronicon spectat, animadvertere necesse est, valde corruptum ad manus nostras pervenisse, neque ab ipso Hieronymo fuisse plane ab erroribus purgatum, aut veritati suæ ubique restitutum. Præterea non accuratiores modo Chronici Editiones, sed quotquot supersunt ejusdem Codices, in notandis passim temporibus, plurimum inter se differre; ex quo patet nihil certi ex iis haberi posse, idque solum in causa fuisse, cur plura occurrant in Eusebii Chronico, quæ pugnant, cum iis, quæ traduntur in ipsius historia. Qui autem Canonem illum statuunt, in occidentalibus rebus occiden-

JESU CHR. AN. 65.

Lib. v. cap. 12.

Lib. IV. cap. 5.

Ad Lib. v. cap. XII.

v. Schelestrat. Ant. Eccl. T. 1. Dissert. 3. cap. 1.

JESU CHR. AN. 65.

cidentalibus ſtandum eſſe monumentis, ii quidem perſuaderent, ſi latina, quæ afferunt, monumenta coæva eſſent, vel ſi Pontificum Romanorum ſucceſsio res non eſſet hujuſmodi, ut ad omnes pertineret, vellentque omnes omnino habere notam, ut ea adverſus hæreticos uterentur.

Linus post Petrum Pontifex an Petri Vicarius fuerit? *Euſeb. lib. 3. cap. 2. Iren. lib. 3. cap. 3. Aug. Ep. 53. Opt. lib. 2. In Proleg. ad To. 1. Anaſt. p. LXX. V. Blanch. To. 2. Anaſt. pag. LXXXVII. & p. 16. Hiſt. Lib. 3. cap. 13.*

15. Euſebius igitur affirmat poſt Pauli Petrique martyrium Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum primum ſuſcepiſſe Linum; idque non Irenæi modo, Auguſtini, & Optati teſtimonio, ſed Catalogorum omnium concordia comprobatur. Porro *Linum natione Italum Regionis Tuſciæ, ex Patre Herculano, ſediſſe Annos XV. Menſes III. dies XII.* tradit Anaſtaſius: Catalogus vero pictus in pariete Auſtrali Baſilicæ S. Pauli Innocentio I. Pontifice, quem primus edidit Blanchinius, deinde magis accurate Marangonius, Annos tantum XI. Menſes III. dies XII. cum Romæ præfuiſſe prodit; concordantque ferme omnes, qui adhuc ſuperſunt, Romanorum Pontificum Catalogi. Euſebius tamen, quem ſequimur, duodecim exactos Pontificatus annos Lino diſerte tribuit: *Linus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, cum eam duodecim annis adminiſtraſſet, Anacleto deinde regendam tradidit*. Conſonat Catalogorum antiquiſſimus Bucherianus: *Linus An. XII. M. IV. D. XII.* Enimvero cum idem Liberiani Catalogi auctor Lini Pontificatum concludat inter Saturnini & Scipionis anno Ch. LVI. & Capitonis ac Ruſſi Conſulatum A. LXVII. ex quo fieret Linum per plures annos, Petro adhuc vivente Pontificatu functum fuiſſe; Henſchenius, Papebrochius, aliique plures exiſtimarunt, Petro in diſſitas regiones abeunte, Linum vicariam ejus in urbe poteſtatem adminiſtraſſe, ipſoque vita functo, biennio tantum Cathedram tenuiſſe. Nituntur autem potiſſimum catalogorum auctoritati, & Ruffini teſtimonio, qui in Præfatione ad Petri recognitiones hæc habet: *Quidam requirunt, quomodo cum Linus, & Cletus in Urbe Roma, ante Clementem fuerint Epiſcopi, ipſe Clemens ad Jacobum ſcribens ſibi dicat a Petro docendi Cathedram traditam? Cujus rei hanc accepimus rationem, quod Linus, & Cletus fuerint quidem, ante Clementem Epiſcopi in Urbe Roma, ſed ſuperſtite Petro, ut illi Epiſcopatus curam gererent; ipſe vero Apoſtolatus impleret officium.* Ex quibus Venerabilis Beda in vita Abbatum Weremuthenſium, duos ſimul Abbates uni eidemque Monaſterio præſidere hac adductus ratione approbat: *Nam*, inquit *& Beatiſſimum Petrum Apoſtolum Romæ Pontifices ſub ſe*

Henſch. in app. ad Chron. Pont. Papebrochius in conat. Hiſt. Chronol. ad Catal. Rom. Pont.

Cotler. PP. Apoſt. T. 1. p. 92.

se duos, per ordinem ad regendam Ecclesiam constituisse, causa instante necessaria, tradunt Historiæ. Et rursus in historia: *Successit autem Augustino in Episcopatu Laurentius, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet: In quo, & exemplum sequebatur primi Pastoris Ecclesiæ, hoc est beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui fundata Romæ Ecclesia Christi, Clementem sibi adjutorem evangelizandi, simul, & successorem consecrasse perhibetur*. Pagius tamen invectos ab Henschenio Vicariatus omni antiquitati incognitos, falsis fundamentis innixos, & suppositi tios prorsus appellat; ideoque per tria priora Ecclesiæ Secula, si Linum & forte Cletum, & Clementem excipias, nullos Romanorum Pontificum vicarios institutos esse affirmat. Sed neque Linum Cletum, Clementem Vicariatu functos fuisse existimat Emmanuel a Schelstrate; cui potius ideo adsentiendum arbitramur, quod nulla nobis adesse caussa videtur, cur hujusmodi Vicarios inducamus, neque probatæ fidei scriptores ipsorum ullibi meminerunt.

Beda hist. Angl. lib. 2. 40.

Ad A. 67. n. xxi.

Ant. Eccl. To. 1. Diss. 2. cap. 2.

16. Gravissima in Neronem conjuratio hoc anno inita, capite ejus C. Pisone, in quam certatim nomina dederunt Senatores, Equites, Milites, feminæ etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Cumque diu mira prorsus inter diversi generis, ordinis, ætatis, sexus, divites, pauperes, taciturnitate cohibita fuisset; tandem pridie insidiarum, Milicho Scevini Liberto deferente, patefacta. Itaque quamplurimi interfecti; interque eos Annæus Seneca, qui morte a Centurione indicta, sibi ipse brachiorum, crurum quoque, & poplitum venas abrupit.

Conjuratio in Neronem detegitur.

Tacit. lib. 15. Sueton. in Neron.

Senecæ obitus

17. In Christianorum numero habendum esse Senecam a nonnullis traditum est; ejusque nomine inscriptæ circumferuntur quædam ad Paulum Epistolæ, quæ ab ipso vere scriptas fuisse quidam contenderunt. Etenim Hieronymus hæc de Seneca in Libro de Viris Illustribus litteris prodit: *L. Annæus Seneca Cordubensis &c.... contentissimæ vitæ fuit, quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me illæ Epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum*. Augustinus quoque in Epistola ad Macedonium, ita de eodem Philosopho scribit: *Merito, ait Seneca, qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam quædam ad Paulum Apostolum*

Senecæ Epistolæ ad Paulum Apocriphæ.

Hier. de Vir. illust. cap. 12. pag. 835. tom. 2.

Aug. Epist. 153. n. 14. ad Macedon.

JESU CHR. AN. 65.

stolum leguntur Epistolæ : omnes odit, qui malos odit. Sed Hieronymum aliorum potius, quam suam de Senecæ sententiam retulisse, declarant loci adducti verba : *quæ leguntur a pluribus*. Eodem quoque sensu loquutum Augustinum vel ex allatis constare videtur; & ea rursus manifeste declarant, quæ alibi affirmat; Senecam nempe *Christianos jam tunc Judæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausum esse, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem*: Ex his enim patet Senecam Augustini quidem sententia, nunquam ad Paulum scripsisse; alioquin & Christianos commemorasset, & laudasset plurimum. Non itaque audiendi qui putant veras Senecæ Epistolas jamdiu periisse; rati nimirum Hieronymum, & Augustinum illas veluti genuinas approbasse. Hi enim longe aliter existimarunt; nec quisquam præterea veterum ante ipsos illarum meminisse legitur. Quæ autem hodienum supersunt, & ex actis Passionis Lini confictas esse Baronius ostendit; eique ceteri ferme omnes uno ore consentiunt.

August. de Civit. Dei Lib. 6. cap. 11.

Sixtus Senen. Bibl. Sacr. lib. 2. Natal. Alex. Sec. 1. cap. 12. art. 5. Bar. an. 66. 11. 12. 13. Du-Pin. diss. sur. la Bible to. 3. pag. 411. Bellarm. Cave, Oudin.

Poppææ mors *Tacitus lib. 16.*

18. Poppæa Augusta mortem obiit effræni Neronis mariti iracundia, qui gravidam ictu calcis occidit. Veneno sublatam quidam Scriptores tradiderunt; sed id odio magis, quam ex fide scriptum asserit Tacitus, quippe Nero *Liberorum cupiens, & amori uxoris obnoxius erat*. Confirmat Svetonius, a quo proditum Neronem unice Poppæam dilexisse; ipsamque ab eo calce percussam, quod se ex aurigatione sero reversum gravida, & ægra convitiis incessisset.

Svetonius. In Nerone.

JESU CHRISTI AN. 66. LINI PAPÆ 2.
NERONIS IMP. 13. ET 14.
COSS. C. LUCIO TELESINO, ET C. SUETONIO
OLYMP. 211. AN. 2. URBIS AN. 819.

De Epistola Judæ Apostoli.

1. Judæ Jacobi fratris Epistolam, Apostolis præter Joannem vita functis, scriptam fuisse hæc ejusdem verba declarant : *Vos autem Christiani, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis; quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus*. Namque id fere Petrus præsertim secunda Epistola prænunciaverat. Quo tamen potissimum tempore Judas scripserit in incerto est; quamo-

mobrem hoc anno recensemus, quo nihil de rebus in Ecclesia gestis referendum occurrit. An inter Canonicas Scripturas habenda esset dubitarunt aliqui, testibus Eusebio, & Hieronymo, qui & dubitandi caussam commemorat: *& quia de Libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur; tamen auctoritatem vetustate jam & usu meruit, & inter sacras scripturas computatur*. Ceterum id minime impedimento fuit, quominus Judæ Epistolam veluti Catholicam Ecclesia susciperet, uti produnt Clemens Alexandrinus apud Eusebium, Tertullianus, Origenes, Athanasius, Nazianzenus, & quotquot Scripturarum Catalogum ediderunt; scilicet Laodicena Synodus, Carthaginensis III. Innocentius I. Gelasius, Augustinus. Immerito itaque hanc e canonicarum Epistolarum albo Grotius expunxit, & Judæ Hierosolymorum Episcopo, qui Hadriani temporibus floruit, adscripsit. Fuit porro Judas, qui Thaddæus quoque ac Lebbeus ab Evangelistis dicitur, Jacobi minoris frater; quin etiam frater Domini dici potest, sicuti Matthæi 13. & Marci 6. legitur. De ejus vita, rebusque gestis vix quidquam a veteribus traditum. S. Paulinus in Lybia Evangelium prædicasse affirmat. Eusebius autem ex Hegesippo refert, in Domitiani persecutione Judæ Nepotes in mortis periculum incidisse, quod ex Davidis genere ortum ducerent; Ex quo sane patet Judam filios, aut filias, ex quibus nepotes habuit, procreasse, antequam in Apostolorum Collegium cooptaretur.

Jesu Chr. an. 66.
Eusеb. lib. 3. 25.
Hier. de vir. illustr. in Juda. cap. 4.
Eusеb. lib. 6. 14.
Clem. Alex. Strom. lib. 3. & Pedag. lib. 3. 8.
Tertull. de habit. mul.
Orig. hom. 7. in Jesue, & alibi.
Athan. Epist. Pasch.
Innoc. ad Exup.
Gelas. decret.
Aug. lib. 2. de doctr. Christ.
Crit. sac. tom. 5. pag. 1861.
Paulin carm. 26.

2. Eadem ferme Judas in hac Epistola persequitur, quæ Petrus in secunda antea docuerat. Fideles namque ad fidei perseverantiam, bonorumque operum studium excitat, monetque, ut ab illis caverent, qui fidem tantum ad salutem sufficere docentes, impuris moribus vivebant, quales ea ætate Simonianos, & Nicolaitas fuisse compertum est. Hinc quos Petrus *iis rationabilia pecora* dixerat, *oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti*; Judas hisce characteribus designat: *Dei gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes*. Et iterum: *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ abeuntes post carnem alteram factæ sunt in exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant*. Quæ quidem

De argumento Epistolæ
2. Petri.
Epist. Judæ vers. 4.

JESU CHR. AN. 66.

Apocal. 2. Iren. lib. 1. 27. Philastr. de hær. cap. 33. Epiph. hær. 25. August. de Hær.

mire congruunt Simonianis, & Nicolaitis præsertim, quos veluti fornicarios Joannes in Apocalypsi vehementer increpat; atque *indiscrete vixisse* meminit Irenæus. Plura Dogmatum Nicolaitarum portenta barbaris vocibus involuta, variisque visionibus & somniis innixa Philastrius, & Epiphanius recensent; Ea vero ita Augustinus in Libello de Hæresibus perstringit: *Nicolaitæ a Nicolao nominati sunt uno, ut perhibetur, ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinaverant... Ejus factum in sectam turpissimam versum est, in qua placet usus indifferens feminarum. Hi nec ab iis, quæ Idolis immolantur, cibos suos separant, & alios ritus gentilium superstitionum non aversantur. Narrant etiam quædam fabulosa de Mundo, nescio quæ barbara Principum nomina miscentes disputationibus suis. Intelliguntur autem etiam isti non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam Potestatibus, quos mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.*

De Nicolao Diacono. An fuerit Auctor Nicolaitarum.

Lib. 1. cap. 23.

Cap. 46.

Can. 25. in Matth. De hær. cap. 33. In Dial. Adv. Luciferianos & alibi. Hær. 33.

3. A Nicolao, uno ex septem Diaconis, quos Apostoli primum Hierosolymis ordinaverant, Nicolaitas cognominatos fuisse, uti Augustinus prodit, inter omnes convenit. Utrum vero Nicolaus ille vere hæreseos hujus auctor extiterit, Veteres vehementer dissentiunt. Affirmat Irenæus: *Nicolaitæ autem Magistrum quidem habent Nicolaum, unum ex septem, qui primi ad Diaconatum ab Apostolis ordinati sunt*: Irenæo concordant Auctor appendicis ad Tertullianum de Præscriptionibus, Hilarius, Philastrius, Hieronymus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, & alii plerique. Cur vero recta fide Nicolaus defecisset illud in caussa fuisse perhibent, quod paullo ante ab Augustino relatum legimus, & fusius memorat Epiphanius: Nicolaum scilicet, cum uxorem haberet eleganti forma mulierem, ab ea sibi aliquamdiu temperavisse, ut eos imitaretur, quos Deo penitus addictos viderat. Postea vero continentiæ votum transgressum, variasque facti excusationes prætexisse, donec eo usque insaniæ tandem processit, ut impie jactaret nisi qui singulis diebus luxuriæ vacet, sempiternam salutem neminem posse consequi. Contra Clemens Alexandrinus hujusmodi infamiam a Nicolao depellit, affirmatque nefarios illos, qui se Nicolaitas appellarunt, ipsius sententiam, qua docebat, oportere carne uti, corpus nimirum assiduis exercitationibus domare, ita interpretatos impie fuisse, quasi quemlibet carne sua ad quamvis luxuriam abuti necesse esset:

Lib. 2. Strom.

esset: Deinde Nicolai ejusdem factum, cujus Augustinus meminit, idem Clemens, prout sua ætate ferebatur, memorat, & pessime ab iis acceptum contendit, qui vagas suas libidines Nicolai nomine atque auctoritate defendere non erubuerunt. Eadem ex Clemente repetunt Eusebius, Theodoretus, Victorinus Petabionensis Episcopus, aliique: Auctor vero Constitutionum Apostolicarum, cui congruit vetus Ignatii Epistolarum Interpolator in Epistola ad Trallianos, & Philadelphienses, diserte profitetur Nicolaitas falso sibi nomen a Nicolao Diacono sumpsisse. *Quidam vero impudenter fornicantur; quales, qui nunc falso nomine dicti Nicolaitæ*. In eadem quoque opinione fuisse videtur Augustinus, quem facile quisque intelligit, ex aliorum tantum sententia de Nicolao loquutum. Itaque veteribus inter se adeo dissentientibus, rem in medio relinquere satius arbitrati, illud tantummodo adnotamus, fieri fortasse posse, ut minus vera sint, quæ de Nicolao Epiphanius prodit; sed non ea certe de caussa quam Gomarus jactat, & pro suo in Cœlibatum odio tantopere commendat Ittigius: *Quis credat*, inquit Gomarus, *Apostolico ævo votum continentiæ usque adeo viguisse, ut uxorati etiam qui juris sui amplius non essent ejusmodi voto se obstrinxerint? Aut quis credet, Nicolaum ad uxoris suæ consuetudinem reversum Ecclesiæ reprehensionem metuisse & varias excusationes fingendi necessitatem habuisse?* Etenim quis Gomaro potius, quam Epiphanio credat diserte affirmanti castitatis & continentiæ votum Apostolorum ætate in usu fuisse?

Lib. 3. Strom.

Hist. lib. 3. cap. 29.

Lib. 3. Haret. fab. cap. 1.

Comment. in Apocalyps.

Lib. 6. cap. 8.

Ittig de Hæresiarchis ævi Apost. pag. 91.

Ad cap. 8. Apocal part. 2. oper. p. 512.

4. Belli Judaici initium, Scaliger, Petaviusque in annum superiorem contulere; sed hoc consignandum omnino esse clamat Josephus, qui cœptum fuisse prodit duodecimo anno Imperii Neronis, decimo septimo Regni Agrippæ, Mense Artemisio, nempe Majo, secundo autem postquam Florus Procurator in Provinciam advenerat: quæ omnia currentem annum diserte designant. Nero enim Imperium suscepit anno LIV mense Octobri, ideoque mense Majo currentis anni duodecimus ejus Imperii annus adhuc in cursu erat; Florus vero anno præcedenti tantum Albino successerat. Quæ bellum præcesserint, quasve rebellandi adversus Romanos causas Judæi habuerint, pluribus prosequitur Josephus testis, & coævus, & oculatus. Sed ne integros de bello Judaico libros excribamus, hæc ex eodem compendio subjicimus. Itaque cum jam biennio Judæi Gessi Flori tyrannidem sustinerent, omni injuriarum genere

Initium belli Judaici.

Scalig de emen. temp lib. 5 p. 468

Petav de doctr. temp. & in rationar. lib. 5. cap 4.

Joseph. antiq. lib. 20. cap 11. & de bello lib. 2. 24.

Bar. an. 68.

Pagi n. 2. ibid.

Basn. g an 66.

User. an. 66.

Clerc. an 66.

JESU CHR. AN. 66.

ab eo vexari, & Cestius Gallus Syriæ Præses instante Azymorum festo Hierosolymam venisset, eum circumstetit multitudo ad tricies centena hominum millia, & Florum Regionis pestem esse clamitans, efflagitavit, ut gentis calamitatem misereretur. Tantum absfuit autem, ut Florum præsentem, & Cestio adstantem quidquam hæc moverent, ut potius clamantium voces risu audacissime, & impudentet exciperet.

Florus durius cum Judæis agit.

5. Cestius tamen Populi impetum continere, sedareque diligenter curavit, pollicitusque Florum placatiorem eis inposterum futurum Antiochiam reversus est. Eumdem usque ad Cæsaream Florus deduxit; qui nihil reliquum deinceps fecit, ut Judæos ad rebellandum adduceret: Nam dum pax esset, se apud Cæsarem accusaturum esse intelligebat; Quamobrem ut eos ad defectionem adigeret, majoribus in dies calamitatibus opprimebat. Tot igitur tantasque Procuratoris injurias pertesi tandem Judæi, indignatique præterea Cæsarienses Græcos principatum urbis a Nerone in judicio consequutos, aperte rebellare cœperunt.

Judæorum tumultus, & strages tum Cæsareæ, tum Hierosolymis *Joseph. lib. 2. de bel. Jud. cap. 14. 15.*

6. Qui Cæsareæ degebant Judæi pluries id egerant, ut locum quemdam ipsorum Synagogæ proximum adquirerent pretio longe majori, quam mereretur, oblato; sed Græcus fundi dominus spretis eorum precibus, & quasi contumeliam facturus officinas ibi ædificare aggressus est, quæ augustum Judæis ad Synagogam aditum prorsusque difficilem relinquebant. Itaque ferventiores ex ipsis Juvenes primum prosilire, & ædificantes interpellare ausi sunt; quorum vim cum Florus inhibuisset, Judæi potentiores argenti talentis octo Procuratori persuadere conantur, ut Græcos ab opere cessare juberet. Id se facturum recepit; sed pecunia accepta, Sebasten continuo profectus est, relicta seditiosis quodlibet agendi potestate, quasi Judæis pugnandi licentiam vendidisset. Hinc die sequenti cum Cæsariensis quidam novis Judæos contumeliis irritasset, ad manus ventum est. Jucundus ad tumultum prohibendum constitutus equitum magister, ad seditiosos comprimendos accessit; at cum ipse superatus esset Cæsariensium violentia, Judæi correptis legum Mosaycarum Libris in Nabata seccesserunt; Joannes autem cum duodecim primoribus Sebasten ad Florum profecti, de iis, quæ acciderant graviter conquerebantur, a suisque opem implorantes octo talentorum verecunde admonebant. Verum ille omnes comprehendi, & in vincula conjici jussit. Postea

JESU CHR. AN. 66.

ftea Hierofolymam mifit, qui ex Ærario facro feptendecim talenta in ufum Cæfaris auferrent; quo vehementer civitate commota, factoque ad Templum concurfu, de Flori tyrannide plebs maximis clamoribus querebatur, nonnullique convitia fœdiffima in eum jaciebant. Denique quum Cæfaream ipfum reverti, feditiofofque in officio continere oporteret, quem in finem etiam mercedem acceperat, illa contra cum equitum peditumque exercitu Hierofolymam contendit. Itaque Capitone Centurione, quem cum equitibus præmiferat, ad urbem accedente, effufa eft portis multitudo parata Florum fauftis adclamationibus, plenioribufque obfequiis excipere. Sed a militibus in eam irruentibus & convicia in abfeutem jacta exprobantibus abire juffa. Florus vero, Regiam ingreffus, fequenti die pro Tribunali ante eam pofito fedit; Cui cum Sacerdotes, Procerefque adftitiffent, omnes adduci jufsit, qui contumeliis conviciifque ipfum affecerant. Illis autem adfirmantibus populum quietum effe pacique ftudere, & enixe rogantibus ut paucis, qui fcelus admiferant, ignofceret, neque improborum cauffa tantam bonorum multitudinem perturbaret; Ipfe magis irritatus, forum, quod Superius dicebatur, a militibus extemplo diripi, & obvios quofque obtruncari mandavit. Itaque non Forum tantum milites expilarunt, fed in domos univerfas irruentes incolis trucidatis, nullum direptionis genus prætermittebant. Multos præterea ad Florum adduxerunt, quos ante verberibus cæfos in crucem fuftulit: Quod autem nemo unquam antea, tunc aufus eft Florus, ut viros fcilicet origine quidem Judæos, fed dignitate Romanos, & Equeftri Ordini adfcriptos pro Tribunali flagellis cœderet, & cruci affigeret. In feminas etiam, & infantes fæviit; quique ea die perempti fuerunt, connumerati funt ad tria hominum millia, & fexcentos. Quæ tunc Hierofolymis agebat Agrippæ Regis Soror Berenice, ut vota Deo folveret; & fuos pluries mifit, qui Florum rogarent, ut a cæde definerет, & ipfa nudipes pro Tribunali fupplicavit; fed nulla ejus habita ratio eft, & milites ob oculos ejus non folum obvios quofque verberibus cruciabant perimebantque; fed ipfam etiam occidiffent nifi in Regiam confugiffet. Atque ifta quidem decimo fexto die Menfis Artemifii, ideft maii, accidiffe Jofephus memorat.

Judæi iterum ab Equitibus occifi.

7. Poftridie in Forum fuperius Judæorum multitudo confluxit, quæ tanta fuorum cæde vehementer commota, gentem univer-

Jesu Chr. an. 66.

universam adversus Florum magnis clamoribus concitabat, sed Procerum, & Pontificum precibus placata tandem quievit. Id ægre tulit Florus, qui belli occasionem captabat, accersitosque Pontifices, & nobiliores quosque admonuit, omnem popularis erga se odii suspicionem abjecturum, si progressi ex urbe inermes obviam irent militibus, qui Cæsarea Jerosolymam veniebant, obviosque salutarent. Quod cum illi ægre a plebe irata impetrassent, Florus certis quibusquam præmissis cohortibus mandavit ne Jerosolymitanis eas salutantibus quidquam responderent. Egressi itaque Judæi, cum a salutatis militibus Romanis nihil responderetur, in convicia eruperunt; quibus auditis, cohortes in eos impetum fecerunt, fugientesque insequutæ fustibus ceciderunt. Fugientium multi ab equitibus conculcati, & plures etiam ad urbis portas, dum omnes simul ingredi festinant, suffocati sunt, & aliorum pedibus protriti. Instabant a tergo milites, multitudinem impellentes, nitentesque Templum & Antoniam occupare; quorum etiam desiderio Florus eos, qui secum erant, e Regia eduxit, & in Castellum pervenire summopere contendebat. Verum populus e vestigio in eos conversus, impetum illorum cohibuit; qui vero domi sese continuerant, lapides e tectis in Romanos milites jaciebant. Ex quo factum, ut se ad reliquum exercitum, qui in Regia erat, re infecta, Cohortes adjungerent. Judæi autem veriti, ne Florus per Antoniam Turrim Templum occuparet, Porticus Templo contiguas versus Antoniam succiderunt. Id ubi comperit Florus, aditumque sibi ad Sacrum Ærarium diripiendum ea ratione præclusum omnino cognovit, ab impetu conquievit, & una tantum cohorte in Turri Antonia relicta, cum reliqua militum manu Cæsaream reversus est.

Judæi aperta vi Romanis resistunt.
Joseph. lib. 2. cap. 16. 17. 18.

8. Verum novas in dies belli adversus Judæos movendi vias comminiscens Florus, datis ad Cestium litteris tentatæ defectionis reos accusabat: Contra Judæorum Primores, & ipsa Regis Agrippæ Soror Berenice de iis, quæ Florus inique egerat, Cestium distincte celeriterque admonendum curarunt. Quapropter Neapolitanum quemdam Centurionem Hierosolymam misit, qui res diligenter exploraret, & quo animo essent Judæi quam primum referret. Itaque Neapolitanus officiose peramanterque ab Hierosolymitanis exceptus, cum omnia in urbe pacata & Populi indolem mitem quietamque invenisset, multitudine in Templum convocata, Judæorum erga Romanos

nos fidem laudavit, & plurimis eos verbis ad pacem conservandam hortatus, ad Cestium reversus est. Per idem tempus ex Alexandria Hierosolymam redierat Agrippa Rex, qui licet Flori immanitatem indigne ferret, suorumque misereretur; callide tamen se subiratum Judæis ostendit, atque ut elatos eorum animos deprimeret, averteretque a studio vindictæ, quo vehementer flagrabant, populo in Xystum convocato, constitutaque in loco conspicuo Sorore Berenice, longa oratione ad pacem adducere curavit, persuasitque, ut tributa, & potissimum quadraginta talenta, quæ adhuc debebant, Cæsari persolverent. Quare optimatibus & Decurionibus in vicos distributis, qui tributo colligendo operam darent, brevi quadraginta talenta congesta erant. Verum cum Rex populo persuadere deinde tentasset, ut Floro parerent, donec a Cæsare mitteretur, qui ei succederet; exasperata iterum multitudo, contumeliis ipsum affecit, & ex urbe, quam primum egredi jussit. Interea seditiosorum aliqui, Duce Manahemo quodam in Castellum, quod Masada vocabatur, impetum fecerunt, cumque illud fraude occupassent, Romanis militibus occisis, alios de suis custodes constituerunt. In Templo quoque Eleazarus quidam, Ananiæ Pont. F. præfectus Templi Sacerdotibus persuasit, ne cujus alienigenæ munus, aut hostiam acciperent, Cæsaris quoque repudiarent. Quod cum prudentiores improbarent, nec tamen apud cives ea auctoritate valerent, ut ne quid ea in re novaretur impedirent; Regem Agrippam, & Florum per legatos continuo postularunt, ut iis ad se quam celerrime missis, seditionem primum erumpentem comprimerent. Florus qui bello initium fieri gaudebat, nihil Legatis respondit, Agrippa tamen qui Judæorum res salvas optabat, misit illico mille equites, qui superiorem civitatem cum optimatibus & Pontificibus, ceterisque civibus quieti deditis occuparunt & tenuerunt adversus seditiosos, qui Templum, & inferiorem Urbis partem invaserant, per septem continuos dies invicem confligentes. Sed die festo Xylophoriæ Sicarii multi in Templum recepti sunt, qui seditiosis adjuncti cum inferiori plebe vim regiis militibus fecerunt, & e Civitate superiori pellentes, eos in Herodis Regiam abire coegerunt, incenso Archivo, Hasmonæorum Palatio, & Ananiæ Pontificis domo. Postridie Augusti XV., Antoniam per biduum obsessam oppugnarunt, interfectisque omnibus

JESU CHR. AN. 66.

Jesu Chr. an. 66.

nibus Romanis militibus, incenderunt; nec multo post occupata etiam Herodis Regia, & Anania Pont. Max. ejusque fratre Ezekia, qui eo confugerant, interfectis, Manahemus tyrannidem occupavit; sed mox Eleazarus, Templi præfectus, Manahemum in ipso Templo Deum adorantem occidit; quo interfecto, ejus stipatores disjecti sese Massadam receperunt. Supererant Romani, qui Regia capta in Turres Hippicon Phasælum, & Mariamnen confugerant: Hos itaque seditiosi obsederunt, & cum sese dedissent, ipso die Sabbati contra fidem datam omnes inermes occiderunt.

Judæi in Syria a Gentilibus interfecti.

9. Eadem die Judæi omnes, qui Cæsareæ degebant, ab Ethnicis Cæsariensibus, instigante Floro, interfecti sunt numero plus quam viginti millia. Hac suorum laniena exacerbati per universam Regionem Judæi Syrorum vicos & Civitates finitimas depopulati sunt, Philadelphiam, Gerasam, Pellam, Scythopolim, Gadaram, Hipponem, Gaulanitidem, Ptolemaidem, Sebasten, Ascalona, Anthedona, & Gazam. Vicim per universam Syriam Judæi ab Incolis promiscue occisi, tum veteri odio, & rapinarum amore, tum vindictæ cupiditate. Soli Antiocheni, Apameni, & Sydonii Judæis incolis suis pepercerunt. Alexandriæ etiam exorta seditione, quinquaginta millia Judæorum uno die perierunt, immissis in eos duabus legionibus Romanis.

Cestius cum Judæis bellum aggreditur. *Joseph. lib. 2. de bell. Jud. c. 19.*

10. Interea Cestius, homo ceteroquin iners, nulliusque consilii his motibus excitatus, quiescendum ultra non censuit. Sed contracto exercitu, in quo erant duodecima Legio, bina hominum millia ex aliis selecta, Peditum aliorum sex Cohortes, & quatuor alæ Equitum, præter auxilia Regum Agrippæ, & Antiochi, Ptolemaidem contendit; Hinc Zabulonem Urbem Galilææ divitiis affluentem oppugnatum ivit, ab incolis desertam incendit, vicinisque locis omni cladis genere vastatis, Ptolemaidem reversus est. Deinde missa parte exercitus Joppen, Urbem imparatam facile oppressit, deletisque ad internecionem Incolis diripuit, & incendit. Cæsennius autem Gallus, quem in Galilæam Cestius miserat, Sephori receptus, brevi placavit: Qui postquam Cæsaream redit, Cestius cum exercitu progressus est Antipatridem, tum Lyddam, quam viris vacuam, quod Hierosolymam ad Tabernaculorum festum profecti essent, offendit; pauculisque, qui remanserant, occisis, incendit; & castra in loco, qui quinquaginta stadiis Hiero-

Hierosolyma aberat, posuit. Itaque Judæi cum jam ad Metropolim appropinquare bellum viderent, ad arma properarunt; tantoque impetu Romanum exercitum adorti sunt, ut ejus acie perrupta, magnam initio stragem ederent: Sed in fugam postea versi quamvis edita collium augustiasque viarum occupassent, Romani ad locum, qui Scopus dicebatur, septemque stadiis ab urbe aberat, castrametati sunt. Ibi triduo quievit Cestius, sperans Hierosolymitas territos de deditione acturos. Sed cum frustra expectasset, die quarta, Octobris tricesima, exercitum in Urbem intromisit; cujus magna parte occupata, mœnibus est potitus, seditiosis in muniiiora quædam loca, & Templum compulsis. Si vim illico adhibuisset, omnia teste Josepho invadere, finemque adeo Bello imponere potuisset. Sed Turanius Priscus Castrorum Præfectus, & plerique equitum ductores pecunia corrupti a Floro, qui gentem cupiebat diuturniori bello implicari, eique majus exinde a Romanis odium conciliari, Cestio auctores fuerunt, ne rem adgrederetur. Erant inter primarios cives, qui invitis rebellibus de Romanis in Urbem ultro excipiendis cogitabant; sed eorum consilio a seditiosis cognito, & Cestio cunctante, pulsi sunt. Deinde Cestius, cum munitiones, quibus se tuebantur, per sex dies oppugnasset, videreturque in Templum brevi irrupturus, subito, nulla clade accepta obsessisque sibi summopere timentibus, ab oppugnatione destitit, atque Urbe egressus, castraque ad Scopum, ubi antea consederat, transtulit. Postridie illinc profectus novissimum agmen Judæis insequentibus carpendum, & cædendum exposuit, nec usquam nisi Gabaunte constitit; unde iterum noctu eductis copiis, Antipatridem usque a Judæis male mulctatus est, & impedimentis, armis, machinisque, quas advexerat, nec sat tuto evehere poterat spoliatus. Ceciderunt in ea fuga e Romanis auxiliaribusque quinque millia, & trecenti pedites, equites nongenti, & octoginta; e Judæis vero perpauci sunt desiderati. Contigerunt hæc a die 8. Novembris, duodecimo, ut ait Josephus, Neronis anno; sed decimo tertio a die 13. superioris Octobris jam inchoato.

Judæorum decem millia Damasci occiduntur. Cap. 20. Joseph. vita tom. 2. & de bello lib. 3. cap 8. & 14.

11. Hac victoria elati Judæi de belli administratione agere cœperunt, & Josephum Gorionis filium, & Ananum Pontificem Hierosolymis præfecerunt, aliosque duces in varias provincias miserunt, inter quos Josephus; (cui de Bello Judai-

JESU CHR. AN. 66. co historiam debemus) Galileæ præfectus est, ut in vita sua pluribus meminit. Quo tempore Damasceni, audita Romanorum clade, decem millia Judæorum in Gymnasio, seu Amphytheatro jam inclusa una hora jugularunt. Interea Nero ex Italia Achajam profectus, ut musicis Græciæ ludis adesset, ibi ad proximam usque hyemem moratus est, ut ex Dione refert Xiphilinus. Illic eum convenerunt Costobarus, Saulus, aliique nobiles Judæi a Cestio missi, ut ei Judææ statum nunciarent, monerentque non Cestio belli causam esse tribuendam, sed Floro, quem paullo post occisum fuisse prodit quidem Josephus in vita sua, omittit tamen in Libris de Bello Judaico; quamquam nihil magis ad eam historiam pertineret, quam mors illius, qui sævitia sua Judæos ad defectionem adegerat. Non multo post Cestius Gallus fato, aut tædio occidit, ut loquitur Tacitus Hist. lib. 5. cap. 10. Nero, ea morte audita, P. Licinium Mucianum Syriæ, T. Flavium Vespasianum Judææ præfecit; *qui*, ut idem historicus affirmat, *ex Achaja, ubi tunc cum Nerone erant, Titum filium suum misit Alexandriam, ut inde quintam, & decimam legionem moveret; ipse vero trajecto Helesponto, pedibus in Syriam pervenit, ibique Romanas copias, & multa vicinorum Regum auxilia congregabat*. Sed de gestis a Tito, & Vespasiano sequentibus annis.

Joseph. lib. 3. 1. de bello.

Christiani Hierosolyma excedunt. *Joseph. lib. 2. cap. 20.* *Euseb. lib. 3. cap. 5.*

12. Cum hæc Hierosolymis agerentur, *Judæorum multi*, ait Josephus, *quasi in eo esset navis ut mergeretur, e civitate veluti natando, egressi sunt*. Cum his etiam Christianos, qui Hierosolymis erant, Pellam digressos fuisse, prodit Eusebius: *Cum universa plebs Fidelium Ecclesiæ Hierosolymitanæ ex oraculo, quod viris quibusdam sanctissimis editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrare, & oppidum trans Jordanem Pellam nomine incolere jussa fuisset, jamque omnes, qui in Christum crediderant, relictis Hierosolymis sedes suas Pellam transtulissent; demum divina ultio totam illam impiorum sobolem funditus delevit*. Porro Hierosolymitanam cladem, ab Apostolis Petro, & Paulo ante obitum Romæ publice nunciatam fuisse diserte testatur Lactantius: *Et ea prædicatio in memoriam scripta permansit. In qua cum multa mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breve tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Judæos, & Civitates eorum solo adæquaret, ipsos autem fame, sitique confectos obsideret; tum fore, ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se invicem*.

Lactant. lib. 4. divin. instit. c. 21.

cem. Advenerat quippe tempus a Chrifto Domino prædictum, cum in futuram Judæorum cladem intendens, inquit: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*. Quid autem per abominationem desolationis Dominus intellexerit, Lucas explicat: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*. Uti enim interpretantur Auguftinus, & Origenes: quemadmodum per Romanum exercitum videtur abominatio defignata, ita per locum fanctum tota Palæftina poteft intelligi; quam tefte Philone in libro de legatione ad Cajum, terram fanctam dixerunt. Cur tamen Romanum exercitum abominationem Dominus appellaverit, paullo eft diligentius inquirendum.

JESU CHR. AN. 66.

Luc. 2.

August. ad Hesichium Epist. 199.

Orig. in Mat. tract. 24.

De abominatione desolationis.

13. Abominationis nomine fæpe Idolum in divinis fcripturis intelligi, multis patet teftimoniis; hinc videri fortaffe pofset, ideo Romanorum exercitum abominationis nomine appellatum fuifse, quod ex Ethnicis Idolorum cultui deditis conftaret, quin tamen ita exiftimemus illud præfertim impedit, quod perpetuo Judæis, quocumque in loco degerent, hujufmodi abominatio ob oculos verfaretur: etenim Romani milites dierum feftorum tempore armati præ foribus Templi adftabant ad eos comprimendos tumultus, qui occafione ingruentis multitudinis exoriri facile poterant. Aliunde itaque appellationis ratio nobis deducenda videtur, fcilicet ex militaribus Romanorum fignis Imaginibus effigiatis. Quantum porro hujufmodi Imagines abominarentur Judæi, vel ex hoc, quod Jofephus refert, exemplo plene intelligitur: *Vitellius Syriæ Præses ad bellum paratus Arabicum, assumptis duabus legionibus, & levis armaturæ, atque equitum auxiliis missis a sociis Regibus, properans versus Petram, pervenit Ptolemaidem. Cumque vellet per Judæam exercitum ducere, occurrerunt ejus regionis Principes, deprecantes transitum, neque enim patrios ritus permittere, ut inferantur ullæ imagines, quales Romana signa habebant pleraque. Quorum precibus flexus, mutavit sententiam de itinere proposito*. Hæc Jofephus; quibus quidem aperte declaratur, Romanos milites, qui Hierofolymis verfabantur, nequaquam uti folitos infignibus hujufmodi imaginibus exornatis, atque illos præfertim, qui diebus feftis apud templum ex-

Joseph. antiq. lib. 20. 7.

Idem lib. 16. cap. 7.

JESU CHR. AN. 66. cubias agerent: qui enim Judæi passuri essent ea a militibus Hierosolymis ostentari, qui nec per regiones transire suas passi sunt? Huc quoque spectare videtur, quod scribit Svetonius in Tiberio, solas Syriacas legiones nullam Sejani imaginem inter signa coluisse; quod in causa fuit ut idem in Judæos esset animo infensissimus. At vero cum Romani Hierosolymam oppugnantes mœnibus inhæsissent; vix ac ne vix dubitandum, quin signa imaginibus effigiata prætulerint ostentarintque; quamobrem illud jam tempus advenisse videbatur, quo Christus prænunciaverat fore, ut viderent abominationem desolationis stantem in loco sancto, monueratque ut sibi tunc fuga consulerent: quæ non tantum abominatio, sed & abominatio desolationis idcirco dicta, quod ab eodem exercitu urbs erat funditus depopulanda & evertenda. Atenim cum abominatio desolationis, de qua apud Matthæum, eadem sit prorsus ac illa, quam Daniel Propheta futuram jamdiu prædixerat, non in Judæa solum, sed & in Templo: *& erit in Templo abominatio desolationis*, hinc præter militaria insignia a Cestio Hierosolymam illata, & aliud signum instantis cladis adfuit, abominatio scilicet, quæ visebatur in templo, quod seditiosi novo prorsus prophanationis exemplo, castrorum more, muniverant, ut inde adversus contribules Judæos ferocius dimicarent. Non enim exteriorem tantum Templi partem ab eis occupatam fuisse, sed Cestio civitatem obsidente, seditiosos in interiorem quoque Templi partem sese recepisse prodit Josephus; idque Augusto mense, & Octobri. Sic igitur eodem plane tempore utrumque signum prædictum videtur, nempe abominatio illa facta in Templo, & civitas ab exercitu obsessa. Sed omnium maxima ea abominatio videri poterat, cum sceleſtissimi æque, ac perditissimi homines, sanguine civium conspersi, interiorem Templi partem occuparunt. Quibus signis, juxta id, quod in Psalmo legitur: *dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur electi tui*, Christiani admoniti una cum ipsorum Episcopo Simeone trans Jordanem aufugerunt.

Neronis crudelitas in Viros illustres. 14. Quo liberalius divitias effundebat Nero, eo magis earum cupiditate flagrabat; hinc ut illustrium virorum spoliis ditari posset, prætextu potissimum conjurationis, quam supra innuimus, quam plurimos morti destinavit hoc anno. Inter eos Annæum Mellam Senecæ Fratrem, Cajum Petronium, Petrum Tra-

Traseam, & Beream Sorarum, aliosque; quibus trucidatis, virtutem ipsam abscindere visus est, uti pluribus memorat Tacitus. Serviliam Bereæ filiam una cum Patre Christianæ religionis caussa Nerone damnatam fuisse suspicatur Baronius; suspicandi autem hanc rationem adducit, quod scilicet in Senatu, teste Tacito, accusata fuerit, se ornatu muliebri distracto, pretium ejus Magis donasse, quo nomine Christianos a Tacito designatos fuisse vero perquam videtur simile: Christianas autem virgines, vel matronas sæpe ob alendos pauperes muliebrem ornatum vendidisse pluribi legimus.

JESU CHR. AN. 66. *Tacit. lib. 16. 14. Baron. 68. 27. 28.*

15. Tiridates una cum uxore, filiis, aliisque conjunctis Romam venit, ut Armeniæ coronam a Nerone acciperet, eique Neronis jussu, nec sine maximo Provinciarum dispendio, cuncta in itinere necessaria regio apparatu, & ad luxum usque publice exhibita sunt. Ubi vero Romam ingressus est, adeo magnifice eum Nero publicis conviviis, spectaculisque excepit, ut nullum ferme modum impensis, & largitionibus fecerit.

Tiridates Romam venit. *Dio lib. 63. Plinius lib. 30. 2. Sueton. lib. 6. 30.*

16. Deinde anno jam labente in Græciam perrexit Augustus, ut ludis Olympicis adesset, quos biennio dilatos voluit, tanta autem multitudine comitatus ivit, quanta si Parthos oppugnaturus perrexisset: citharas præterea, plectra, omniaque ludricorum instrumenta secum asportari jussit; & in omni Ludorum certamine, victor ubique fuit, coronaque donatus: Nec mirum, quis enim in cantu, in sonitu, equorum agitatione, aliisque ludis, cum Nerone de Palma contendere ausus unquam fuisset? Et sane cum imprudens in ludis Isthmicis Neronem vincere cantando tentasset, vocem, & vitam amisit, tota spectante Græcia, in Theatro suffocatus.

Nero in Græciam proficiscitur. *Dio lib 63. Suet. in Nerone*

Lucian. in Nerone.

JESU CHRISTI AN. 67. S. LINI PAPÆ 3.
NERONIS IMP. 14. COSS. L. FONTEJO CAPITONE,
ET C. JULIO RUFO.
OLYMPIAD. 211. AN. 3. URBIS 820.

1. Cum adhuc in Græcia Olympicos ludos celebraturus Nero versaretur, Corbulonem ex Senatoribus illustrem, simulata amicitia evocavit; qui cum Cenchras appulisset, priusquam in ejus conspectum veniret, occidi jussus est; aliique in Græcia genere, atque opibus præstantiores ejusdem jussu interfecti sunt. Romæ quoque, & in aliis Italiæ Urbibus Helius Liber-

Nero in Italiam redit, plurimos morti addicit.

JESU CHR. AN. 67.

Libertus; cui Imperii administrationem Nero commiserat, Nobilium plurimos neci destinavit. Tandem extremo anno in Urbem rediit Imperator, qui e Græcia solvens, cum Neapolim appulisset, albis equis Heroum more, disjecta muri parte ingreditur; eodemque apparatu Antium, Albanum, inde Romam ovans, & triumphans, curru eodem vectus, quo Augustus olim triumphaverat, purpurea veste indutus, coronamque gestans, ingreditur, ut pluribus Romani historici prosequuntur.

Dio lib. 53. Sueton.

Vespasianus Galilæam, & Judæam excurrit, & vastat.

2. Cum belli Judaici curam suscepisset Titus, ex Achaja Alexandriam anno superiore transierat; quo solvens citius, quam per hiemem fieri posse videbatur, mature Ptolemaidem pervenit, ubi Vespasianus peditum, equitumque circiter sexaginta millium exercitum coegerat. Ceterum Vespasianus antequam Hierosolymam aggrederetur, hostile nil a tergo relinquendum ratus, Galilæam recuperare ante omnia statuit, eamque ingressus Gadaram ad Occasum Jordanis defensoribus vacuam primo impetu invasit, Gadarenses omnes nulla ætatis, aut sexus ratione habita, ut Cestii cladem ulcisceretur, occidit. Inde a die 21. Maii Jotapatam, cui præerat Josephus, qui hujus belli historiam scripsit, obsidione cinxit, & post quadraginta dierum oppugnationem cæpit, ipsumque Josephum in spelunca deprehensum, & vita donatum, in vincula conjecit, Jotapata excisa, die 4. Julii Ptolemaidem rediit, indeque Cæsaream ad ejusdem Maris oram progressus, duas illic Legiones reliquit, aliam Schythopolin misit, ut se ab obsidionis labore reficerent. Deinde cum ceteris copiis Cæsaream alteram ad Jordanis fontes, quæ Philippi vocabatur, perrexit; ubi per viginti dies cum toto exercitu a Rege Agrippa lautissime exceptus, omnia comparavit ad Tiberiadis, & Tarichæarum obsidionem. Sed Tiberias, invitis seditiosis, sponte se dedit, atque Agrippæ precibus excidio erepta est. Tarichææ, quæ obsidionem expectarunt, vi captæ, atque excisæ sunt. Hisce gestis pacata est Galilæa, & omnia Romani subjugarunt; præter Itabyrium montem, Gamalam in Gaulanitide, & Giscalam. Sed mox mons quoque Itabyrius subactus, Gamala post mensis unius obsidionem a die 23. Octobris capta, & eversa est. Titus vero Giscalam obsedit, quæ a Joanne Giscalensi cum seditiosis tenebatur. Oblata est eis, si se dederent, incolumitas; quam accipere velle visus Joannes,

Joseph. de bell. lib. 3. per plura capita.

nes, nocte sequente cum suis aufugit, Hierosolymamque se recepit. Titus patefactis a populo, qui a Joanne dissentiebat, portis, oppido potitus est, cui præsidium imposuit. Jesu Chr. an. 67.

3. Post hæc Titus discessit Cæsarea, quo Vespasianus Jamnia, & Azoto in potestatem redactis rediit. Summis interea dissensionibus Judæa universa laborabat; alii enim bellum cum Romanis gerendum contendebant; prudentiores alii in fide standum judicabant. Itaque tumultuantes veriti ne Proceres, & qui cum ipsis sentiebant Romanos in Urbem intromitterent, Antipam, nobilissimosque, & ditissimos cives in vincula conjecerunt, indictaque causa, quasi proditores necarunt. Deinde, ne plebs a Proceribus concitata arma forte caperet, sesque a tyrannide vindicaret, Templum occuparunt; ut eo, arcis instar, ad coercendam plebem uterentur, Planniam, aut Phanazum quemdam hominem ab Aaronis prosapia non quidem alienum, sed obscurum, & juris divini, legisque Mosaicæ prorsus imperitum Pontificem maximum forte crearunt. Belli Judaici progressus.

4. Hæc iniquissime plebs ferebat, & capitali adversus factiosos odio flagrabat; Cives prætcrea, Pontifices, & potissimum Ananus Anani frater eam quotidie ad improborum scelera ulciscenda concitabant. Itaque seditiosos tandem magno impetu aggressa, in Templum interius abire compulit; omnesque inde quoque, Anani ductu, brevi ejecisset, nisi Joannes Giscalensis Civium, populique consilia Zelotis (quo nomine sese scelerati homines appellabant) per summam perfidiam revelasset. Ubi enim summum, in quo versabantur periculum cognoverunt, datis clam litteris ad Idumæorum Præfectos, Ananum Proditionis insimularunt, nunciaruntque se pro patria libertate pugnantes in Templo a proditoribus obsideri. Quod cum sibi facile Præfecti persuasissent, continuo viginti millia Judæorum Hierosolymæ mœnibus adfuerunt. Hos primum ab Urbis ingressu prohibuit Ananus, deque rerum statu postea admonitos rogavit, ne factiosorum fraudibus decepti perniciem potius urbi, quam opem afferrent. Atenim nihil ad hæc respondentes intempesta nocte a Zelotis e templo erumpentibus in urbem, deinde in Templum admissi sunt; eademque nocte octo millia virorum occisa sunt; sequentibus vero diebus præter Ananum & ingentem plebis multitudinem, duodecim Nobilium millia perierunt. Interea vero cum Idumæi cognovissent Hierosolymis cives inter se divisi præliantur.

JESU CHR. AN. 67. sent injuria populum proditionis insimulari, & incredibilem Zelotarum sævitiam detestarentur, duobus hominum millibus, quos in vinculis hactenus detinuerant, dimissis, in Idumæam reversi sunt. Neque tamen Zelotæ a cædibus abstinuerunt, quamvis enim inter se dissiderent; in eo tamen consentiebant, ut populum occiderent, expoliarentque. Dum hæc gererentur, mutuis se se cladibus Judæos atteri Vespasianus gaudebat; sperabatque fore, ut vel sponte Romanis in posterum obedirent, vel facilius in potestatem redigerentur. Multorum tamen vocibus excitatus, de oppugnanda Hierosolyma cogitare cœpit; sed nequid a tergo hostile superesset, universam Petræam, excepto Macherunte Castello subegit; quibus gestis, militem ad hiberna dimisit; ipse Cæsareæ hiemavit.

JESU CHRISTI AN. 68. LINI PAPÆ 4.
GALBÆ IMP. I. COSS. SILIO ITALICO,
EB M. GALERIO TRACHALA
OLYMP. 211. AN. 4. URBIS AN. 821.

De Silio Italico Consule. *Plin. epist. lib. 3. epist. 7.*

1. Silii Italici hujus anni Consulis meminit Plinius in Epistola ad Canininm Rufum: Inter cetera *famam læserat sub Nerone: credebatur sponte accusasse. Sed in Vitelli amicitia sapienter se, & comiter gesserat; ex Proconsulatu Asiæ gloriam reportaverat, maculam veteris industriæ laudabili otio abluerat. Fuit inter Principes civitatis sine potentia, sine invidia, doctissimis sermonibus diebus transigebat, cum a scribendo vacaret. Scribebat carmina majore cura, quam ingenio. Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, sed etiam venerabatur; Virgilii ante omnes; cujus natalem religiosius, quam suum celebrabat. Utque novissimus a Nerone factus est Consul, ita postremus ex omnibus, quos Nero Consules fecerat, decessit; quo Consule Nero periit.* Auctor est Italicus poematis de bello Punico, quod celebravit Martialis.

Martial. epigr. lib. 4. 14. lib. 7. 72.

Conjuratio in Neronem, ejusque interitus.

2. Cum perpetuam sibi fortasse felicitatem polliceretur Nero, rediens ex Achaja amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitavit inter suos dicere, pisces eas sibi relaturos, inani gloria semper insaniens, Circenses etiam hoc anno ludos celebravit, sacrasque coronas, quas ex Græcia attulerat, Dione teste, Obelisco Ægyptio imposuit. Refert quidem

dem Suetonius eas a Nerone in *cubili circa lectos positas fuisse*; sed Dioni potius standum existimamus: Etenim cum Nero coronas ostentare cuperet, vero similius videtur eas loco omnibus conspicuo reponendas curasse. Verum Julii Vindicis Galliæ Gelticæ Proprætoris conjuratione, adversante jam fortuna, ad interitum adductus est; atque Vindex non sibi quidem Principatum usurpavit, sed Servio Sulpicio Galbæ detulit. Conjuratione detecta die 19. Martii, cum esset Neapoli, Romam Aprile ineunte rediit; cognitaque præterea Hispaniarum defectione, *prope intermortuus jacuit*. Sed ubi Vindicis interitum postea intellexit, qui ob cladem acceptam ab exercitu Rufi Germaniæ Præfecti, prope Vesontionem, sibi manus intulerat, aliquatenus respiravit, *& expeditionem necessariam credens, Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit Consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a Consule, & susceptis fasciis*, uti Suetonius prodit. Eodemque tempore Romani Senatus, Gallorumque omnium necem meditabatur. Interea vero cum, annonæ caritate, urbs ipsa in seditionem erupisset, nunciatumque eidem esset Romanos exercitus ubique defecisse, in Servilianos hortos primum aufugit; postea admonitus Galbam a militibus, & plebe universa Imperatorem fuisse renunciatum latebras quærens, in suburbanum liberti Phaontis sese recepit, quatuor tantum servis ipsum comitantibus. Ibi perlatis a cursore Phaontis codicillis intellexit se hostem a Senatu judicatum immissisque militibus cum Centurione, ad supplicium queri: quare in desperationem adductus Epaphrodito liberto adjuvante, ferrum jugulo infixit, periitque, die nona Junii, trigesimo secundo ætatis suæ anno, postquam imperasset annos 13. menses 7. dies 28. uti habent Clemens Alexandrinus, & Eusebius in Chronico; a die scilicet 13. Octobris anni 54. ad diem nonam Junii labentis anni.

JESU CHR. AN. 68. — *Dio lib. 63. Suet. lib. 6. 25.* — *Dio lib. 63.* — *Suet. in Neri 40.*

3. Veterum quidam in ea opinione fuerunt, ut Neronem Antichristum crederent, quem in sæculorum fine venturum Evangelistæ testantur; & Sulpicius Severus hæc de S. Martino litteris prodidit: *Ceterum cum ab eo de fine sæculi quæreremus, ait, nobis Neronem, & Antichristum prius venturos; Neronem in Occidentali plaga, regibus subactis, persequutionem ab eo hactenus exercendam, ut idola Gentium coli cogat; ab Antichristo vero Orientale Imperium esse capiendum,*

Neronis fabula, quod Antichristus futurus sit. — *Sulp. dial. lib. 2. in fin.*

JESU CHR. AN. 68.

dum, & *ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum*, *atque sub illius potestate universum Orbem*, *cunctasque gentes esse redigendas*. Hæc Sulpicius, qui eadem & in Historia confirmat: *Unde creditur*, *etiamsi gladio ipse se transfixerit*, *curato vulnere ejus*, *servatus*, *secundum illud quod de eo scriptum est*, & *plaga mortis ejus curata est*, *sub seculi fine mittendus*, *ut misterium iniquitatis exerceat*. Sulpicio adjungendus Lactantius, a quo similia ferme in libro de mortibus Persequutorum ex aliorum quidem sententia relata legimus: *Dejectus itaque fastigio imperii*, *ac devolutus a summo tyrannus impotens*, *nusquam repente comparuit*, *ut ne sepulturæ quidem locus in terra*, *tam malæ bestiæ appareret*. *Unde illum quidam deliri credunt esse translatum*, *ac vivum reservatum*, *Sibylla dicente*, *matricidam profugum a finibus esse venturum*, *ut quia primus persequutus est*, *idem etiam novissimus persequatur*, & *Antichristi præcedat adventum*. Atque sane deliros Lactantius appellavit, qui hæc de Nerone jactabant; quod tamen addit ejusdem sepulcrum in terris non apparuisse, falsum omnino esse ex Suetonio colligitur. Augustinus quoque memorat *Nonnullos Neronem resurrecturum*, & *futurum Antichristum* suspicatos fuisse. *Alios vero nec eum occisum putasse*, *sed subtractum potius*, *ut putaretur occisus*, & *vivum occultatum in vigore ipsius ætatis*, *in qua fuit*, *cum crederetur extinctus*, *donec suo tempore reveletur*, & *restituatur in Regnum*. Hæc tamen pro delirantium figmentis omnino habenda ipse Augustinus in hæc verba diserte profitetur: *Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio*. Atque hinc potissimum fortasse factum, ut Gelasius Sulpicii Libros ac Dialogos præsertim inter Apochrypa recenseret: *Opuscula Posthumiani*, & *Galli Apocrypha*.

Sulpic. histor. lib. 2. tom. 2. pag. 162. edit. Veron.

Lact. de Mort. Persecut. cap. 2.

August. de Civit. lib. 20. c. 19.

Gelas. decret. tom. 4. Lab. Concil. pag. 1265.

Neronem adhuc vivere, & inter Gentiles jactatum *Suet. in Ner.*

4. Ceterum vel ipsos inter Gentiles, teste Svetonio, ferebatur Neronem adhuc inter mortales esse: *Nec defuerunt*, *qui per longum tempus vernis*, *æstivisque floribus*, *tumulum ejus ornarent*, *ac modo imagines prætextatas in Rostris proferrent*; *modo edicta quasi viventis*, & *brevi magno inimicorum malo reversuri*; *quin etiam Vologeses Parthorum Rex missis ad Senatum Legatis de instauranda societate hoc magnopere oravit*, *ut Neronis memoria coleretur*. *Denique*, *cum post viginti annos*, *adolescente me*, *extitisset conditionis incertæ*, *qui se Neronem esse jactaret*, *tam favorabiliter nomen ejus apud Parthos fuit*,

fuit, ut vehementer adjutus, & vix redditus sit.

5. Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum, sed haud dubie nobilissimus magnaque & vetere prosapia. Hic Imperium tenuit menses septem totidemque dies; & summa ingenii, ac bellicæ virtutis laude in Germania Hispaniaque floruerat. Ejus res gestas ante, & post susceptum Imperium Suetonius, Plutarchus, Dio, Tacitus pluribus persequuntur.

Galbi Imperium arripit. *Suetonius in Galba. Joseph. de bello Jud. lib. 5. cap. 6. & 8.*

6. Inter hæc Vespasianus, cum Cæsareæ Vindicis rebellionem audisset, ad bellum Judaicum celeriter conficiendum excitatus vere instante, exercitu Cæsarea educto, Judææ, & Idumææ oppida excurrens quædam vastavit, alia præsidiis firmavit. Tum in Judæam rediens mense Junio Jerichuntem ab Incolis dissertam ingressus, Castellis excitatis Hierosolymam quotidie magis urgebat; sed cognita Neronis morte, & Galbæ ad Imperium inauguratione, ab obsidione desistendum putavit, donec litteras ab eo accepisset. Interim Titum Vespasianum filium misit, qui Imperium ei gratularetur, & mandata acciperet; atque una cum Tito, instante hyeme, Rex Agrippa ad Galbam profectus est.

De gestis a Vespasiano in Judæa. *Joseph. de bello lib. 4. cap. 8. 9.*

7. Sub hæc ferme tempora mortuo Evodio Antiocheno Episcopo, in ejus locum successit Ignatius, uti refert Eusebius in Chronico: *Antiochiæ secundus Episcopus* (post Petrum) *ordinatur Ignatius*. Similia quoque in ejus Historia legimus, & Eusebio congruunt Hieronymus, aliique; Latini, & Græci Evodium inter Martyres numerant; inque ipsa Antiochiæ urbe martyrium subiisse creditur: die sexta Maii ejus memoria recolitur. Itaque cum teste Josepho Antiocheni, conspiratione adversus Judæos facta, quotquot Idolis sacra facere noluerunt, vario mortis genere affecissent; non immerito forte suspicabimur Christianos quoque, qui cum Judæis eo tempore ab Ethnicis sæpe confundebantur, ab Antiochenis fuisse vexatos, atque in eo Populi tumultu Evodium Episcopum Martyrio coronatum.

Ignatius Evodio succedit in Antioch. Ecclesia. *Euseb. Chron. hist. lib. 3. 22. Hier. de Vir. illustr. in Ignat. cap. 16. Menolog. die 7. Septem. Martyr. Rom. die 6. Maii, & apud Boll. ead. die.*

Jesu Chr. an. 69.

JESU CHRISTI AN. 69. LINI PAPÆ 5.
OTHO, VITELLIUS, VESPASIANUS IMPERATORES.
COSS. SERVIO SULPICIO GALBA AUG. ET T. VINIO RUFINO
OLYMP. 212. AN. 1. URBIS AN. 822.

De Othone & Galba Imp.

Tacit. lib. 1. hist. 3. Joseph. de bello lib. 5. 6.

Suet. in Galba.

Plutarch. in Galba. Sueton. Joseph. ut supra lib. 4. 9.

1. Tres, quin etiam quatuor, habuit hic annus Romanorum Imperatores. Etenim usque ad diem XV. Januarii imperio præfuit Galba, qui & Pisonem adoptaverat, Cæsaremque die Januarii nona, aut decima, dixerat, sed postquam imperasset menses septem, totidemque dies, una cum filio adoptivo Pisone sexta adoptionis die, Otthonis conjuratione, medio foro interfectus fuit. Eo perempto, M. Silvius Otho Imperium invasit, quod tamen nec ipse diu retinuit. Nam Germaniæ exercitus, die secunda Januarii, vivente adhuc Galba, Vitellium Imperatorem inauguraverat; qui, assumpto Imperio, exercitum adversus Othonem eduxit, ducibus Valente, Cecinna. His autem cum Otho occurrisset Cremonam usque, seu Bebriacum prope Cremonam, suorum clade audita, spontanea morte, Imperio, & vita cessit, cum vix annorum esset triginta octo, postquam imperasset menses tres, dies duos; scilicet a 15. Januarii ad 10. Aprilis.

Vitellii Imperium, & obitus.

Joseph. lib. 4. 11.

2. Sed non diu rerum potitus, qui Othoni successit A. Vitellius; cum enim octavo Imperii mense descivissent ab eo exercitus Mœsiarum, atque Pannoniæ; item ex transmarinis Judaicus & Syriacus, ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba jurassent, tandem Romæ captus apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, & inde unco tractus in Tiberim, anno ætatis suæ septimo & quinquagesimo. Qui ejus Imperii initia ducunt a die, qua ab exercitu Imperator salutatus est, Suetonius & Dio, eum imperasse scribunt annum unum diebus decem exceptis. Alii contra Vitellii Regnum ab Othonis obitu auspicantes, octo tantum menses, & dies aliquot imperasse memorant, atque inter hos Josephus potissimum recensendus.

Vespasianus ab exercitu, & Senatu Imperator creatus.

Joseph. ibid.

3. Interea Vespasianus, quem Exercitus in Oriente Imperatorem salutaverant, & ad induendam Purpuram vel invitum gladiis districtis coegerant: *Mucianum miserat in Italiam, cum multis Equitum, Peditumque copiis; qui tamen propter hyemis asperitatem veritus navigare, per Cappadociam, & Phrygiam*

giam ducit Exercitum. Sed antequam Mucianus ad urbem accederet, Vitellii Legiones, ipso Cecinna Duce, sollicitante, ad Vespasiani partes transierant, Cremonam expugnaverant, & Roma tandem occupata, ac Vitellio, ejus fratre, & filio interfectis, Vespasianus a Senatu & militibus communi suffragio Imperator fuerat renunciatus. Inter hæc versabatur adhuc in Judæa Vespasianus, qui Josephum, quem in vinculis hactenus retinebat, liberum abire jussit; atque ut delatum sibi Imperium firmaret, Alexandriam profectus est. Jesu Chr. an. 69.

4. Judaico bello quotidie ingravescente, Romanorum exercitus, Castellis aliquot occupatis, Hierosolymis jamjam instabat: sed Vespasianus, & Titus, qui cognita Galbæ morte, statim ad Patrem redierat Cæsaream, suspensi, & quasi nutante Imperio Romano Patriæ metuentes, Hierosolymitanæ urbis obsidionem differendam existimarunt. Interim tamen Joanne, & Simone Zelatorum ducibus acriter inter se dissentientibus, tanta Judæorum strages exinde sequuta est, ut, Josepho teste, Templum ipsum sanguine redundaret.

De gestis in Judæa hoc anno.

Hierosolyma a seditiosis vastatur. *Joseph. lib. 4. cap. 9.*

JESU CHRISTI an. 70. Lini Papæ 6.
Vespasiani Imp. 2. Coss. Flav.
Vespasiano Aug. II. et Tito Cæsare I.
Olymp. 212. an. 2. Urbis an. 823.

1. Feliciorem quidem Orbi Romano ingredimur annum, sed Judæis infaustum fatalemque ob Hierosolymitanæ Urbis, Templique excidium. Consules autem habuit Vespasianum Aug. iterum, & Titum Cæsarem I. Vespasianus enim sub Claudio primum Consul suffectus processerat, quod cum minime animadvertisset Baronius, sequentes Vespasiani Consulatus idcirco pervertit. Itaque Imperator audita suorum victoria, *firmato Imperio, rebusque Populi Romani præter spem conservatis Romam proficisci cogitabat, postquam Alexandrinas res composuisset. Titum vero filium, ut Hierosolymam expugnatum iret, cum delectis copiis dimisit*: cum legionibus scilicet quatuor, & Syrorum ac vicinorum regum auxiliis. Eo exercitu Titus in Judæam adveniens, Hierosolymam accessit, & castra posuit ad vicum quemdam, quem Gabat Saulum Judæi vocabant, idest ut Josephus exponit, *Spinarum vallem*, triginta stadiis a Hierosolymis distitum. Hinc cum sexcentis delectis equitibus eum,

De gestis Vespasiani.

Pagi ad hunc an.

Suet. in Vespas. cap. 4.

Joseph. lib. 5. cap. 4.

Josep. lib. 6. 1.

JESU CHR. AN. 70. eum, ad Urbis moenia, & Judæorum animos explorandos profectum, tanta animi audacia plurimi obviam facti exceperunt, ut vix salvus redierit. Sed reliquis deinde copiis advenientibus, propius ad Urbem castra posuit, septimo scilicet ab mœnibus stadio; & cum omnes jam urbis aditus præclusisset, die festo Azymorum, idest Aprilis 14. *quo die Judæi ab Ægyptiis liberati creduntur*, uti prodit Josephus, idest Paschatis die, accidit, ut Templi Portis Sacrorum caussa ab Eleazaro apertis, Joannes zelotarum Dux, homines sub veste gladios gerentes cum turba immitteret, eorumque opera interius Templum occuparet. Hunc Josephi locum, quo diem 14. Aprilis cum festo Azymorum die, seu Paschatis conjungit, corruptum credidit Baronius, legendumque censuit die 22. Aprilis eo quod nullo Astronomico calculo, neque Judæo, neque Christiano convenire poterat Paschatis festum cum die 14. Aprilis; At non Josephi, sed Baronianæ Chronologiæ erroris est, qua anno non suo Hierosolymitanum excidium alligatur, anno scilicet 72., quo certe non 14. sed 22. Aprilis Azymorum dies fuit; At si labenti res alligetur, omne de Josephi textu dubium evanescit, quippe cum Martii Plenilunium hoc anno cum die 14. Aprilis fuerit.

Judæorum bellum intestinum.

Hierosolyma strictius obsidetur.

2. Inter hæc Titus cum inter Castra, & Urbem cuncta explanari jussisset, ut equitatus laborantibus suis suppetias ferre posset, fraude Judæorum, pacem se optare simulantium, aliquot milites amisit. Dein castigatis militibus, cum parte exercitus ad secundum ab urbe stadium accessit, atque e regione Turris Psephinæ, quæ erat in ea parte muri, qua ab Aquilone in Occidentem flectebat, castra posuit. Alteram vero partem ad oppositam turrim Hippicam, quæ erat in Orientali muro austrum versus, ut distineret Judæos, castrametari jussit. Legionem præterea in Oliveti monte reliquit, quæ poterat, & eruptiones e Templo coercere, & tendentibus ad Hippicam turrim auxilium ferre. Urbs erat triplici muro, eoque firmissimo cincta, nisi qua profundioribus vallibus circumdabatur, ubi unicus erat murus. Totius munitionis rationem, urbisque, & templi structuram pluribus describit Josephus, quæ nos ad exitum festinantes prætermittimus, etiam obsessorum inter se diffidia, & plurimas oppugnationis circumstantias apud eundem legendas. Aggere deinde extructo ad Turrim Psephinam, urbis murum ariete quati jussit Titus, quo dejecto V. nonas

Joseph. lib. 6. c. 2. 6. & seq.

nonas majas in urbem irrupit, & tota feptemtrionalis urbis parte potitus eft. Tum alterum murum adgreffus, turrim quamdam dejecit, & urbe nova inferiore potitus eft, e qua tamen paullo poft Judæi excedere coegerunt. Sed ea, quarto poft die, recuperata, tertium murum dejiciendum aggreffus eft. Igitur XII. Maji die, duos aggeres extrui juffit ad Antoniam turrim, qua Templum; totidemque ad Joannis Pontificis monumentum, qua fuperiorem urbem capere fe poffe putabat, 29. menfis ejufdem abfolutis; cum tertius murus jam quateretur, Joannes quidem, acto ex Antonia cuniculo, alterum aggerem disjecit, & fuccendit; Simon vero, eruptione ex Urbe facta, duos alios aggeres cum arietibus, & machinis pariter combuffit, Romanorumque caftra adgredi aufus, a Tito acriter repulfus eft. Dum materia aggeribus reficiendis conquirebatur, Titus urbem vallo cingere ftatuit, ne quid jam gravi fame laborantibus clam fuppeditari poffet. Triduo id opus perfecit, quod 39. ftadia complectebatur, & 13. per intervalla Caftellis munivit.

Urgente fame innumeri Hierofolymis pereunt.

3. Interim ufque adeo fames in Urbe invaluit, ut a 14. die Aprilis, quo cœperat obfidio, ad Kalendas Julias elata fuerint per unam portam centies, quindecies millies, & octingenta cadavera pauperum, quæ fumtu publico fepulta, aut potius in profundiores valles infepulta jacta funt; præter ea, quæ a propinquis humata fuerunt, uti a transfuga, qui rei præfuerat, nunciatum eft. Paulo poft alii fexcenta millia funerum portis elata dixere, cetera funera innumerabilia effe; cumque pauperes efferri amplius non poffent, congefta in magnis ædibus vacuis cadavera, atque in iis claufis relicta; Vix autem credibile videtur, quot quantaque Judæi pertulerint, antequam fame, aut ferro interirent; quæve fcelera a feditiofis perpetrata, ut cibaria latentia invenirent. Omnia copiofe litteris prodidit Jofephus, qui oppugnationi patriæ adfuit, nec quidquam prætermifit, ut cives fuos ad faniorem mentem adduceret; Et nifi a tantæ auctoritatis viro fcripta fuiffent, vix fane crederemus: Quamquam ea jam Chriftus diferte prædixerat, ubi Hierofolymorum interitum deflens: *Venient*, inquit *dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguftabunt te undique, & ad terram profternent te, & filios tuos, qui in te funt.* *Lucæ 19.*

Judæorum plurimi ventre efecti.

4. Neque filentio prætereundum, quod cum Judæorum pluri-

Jesu Chr. an. 70.

plurimi, premente fame, Urbe clam aufugerent; in interitum sponte ibant; nam alii avido stomacho cibum sumentes disrumpebantur; alii vero, qui ciborum desiderium cohibentes, paulatim alimenta desueto corpori offerebant, in extremum aliud infortunium inciderunt. Etenim cum quidam deglutito auro aufugissent, eosque inter corporis excrementa aurum quærere forte milites observassent, accidit ut rumore inter Romanos statim oborto Judæos transfugas aurum in ventre habere, quotquot poterant occiderent, & ventre exciso scrutabantur, an in visceribus aurum haberent; qua clade nulla atrocior, Josepho teste, Judæis contigit; transfugarum enim plurimi ita perierunt, & *una nocte ad duo hominum millia discissi sunt*; ac prohibiti sunt ceteri, ne apud Romanos ultra salutem quærerent. Sed tantum facinus ut mox audivit Titus, compressit, comminatus supplicium his, qui id postmodum tentassent.

Hierosolymis crudelitas cum fame certat.

5. Interea nullus erat crudelitatis factiosorum modus, aut finis; in Urbe, in Templo, cædes, rapinæ, sacrilegia ubique grassabantur, ita ut hæc considerans Josephus exclamaverit: *Equidem arbitror, si Romani scelestis istis exitium inferre cessassent, futurum fuisse, ut Urbs aut terræ hiatu obsorberetur, aut eluvione deleretur, aut soli Sodomitici fulmina experiretur, multo enim magis impiam progeniem edidit, quam erant, qui hæc perpessi sunt*. Ingravescente vero fame, herbis consumptis, calceamentis, cingulis, coriisque, quibus scuta tegebantur, veterisque fœni laceramentis magno pretio in cibum venditis, eo necessitatis adducti sunt, ut & inusitatis, fœdisque cibis uterentur, fimo scilicet, & stercore in stabulis collecto. Sed præ ceteris horrendum fuit, quod nec ab humanis carnibus, improba impellente fame, temperarunt; nam mulier quædam Maria nomine, Eleazaro prognata, genere, & opibus illustris, cum omnia consumpsisset, desperatione acta, infantulum suum lactentem ubera *jugulavit, coctum deinde, ipsa quidem dimidium ejus comedit, adopertum vero reliquum servabat*. Seditiosi, qui sibi victum, quacumque possent, raptu quærebant, ex odore suspicati carnem in

Mulier Filii carne vescitur

Mariæ domo servari, adoriuntur, mortemque minantur, nisi repositum cibum proderet; Itaque filii reliquias obtulit; quo viso facinus detestantes, pavidi, ac trementes recessere. Moxque tanti sceleris fama per universam urbem perlata incredi-

bili

bili omnes horrore perculsi sunt: Eo procul dubio respexit Christus, cum ad Crucis supplicium ductus, *Filiæ*, inquit, *Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros; quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.*

JESU CHR. AN. 70.

6. Titus, collata undequaque materia, novos aggeres magno labore uno die construxerat, ac circum Antoniam Turrim erexerat, in quam quinto post die Romani, resistentibus frustra Judæis, irruperunt. Præterea 17. die Julii, qua quotidianum sacrificium defecit, Judæos iterum ad deditionem frustra per Josephum hortatus est. Tum Julii die 27. Judæi ignem subjecere occidentali porticui, & Romanorum multos, qui, Judæis de industria fugientibus, in eam ingressi fuerant, flammis oppresserunt. Postero vero die Romani septentrionalem ad Orientalem usque pariter in cineres redegerunt; ita ut ea parte nullum amplius munimentum esset, quo se tuerentur Judæi, præter ipsum Templi interioris murum. Tandem 8. Augusti die, cum Romani neque interiorem murum ariete labefactare, neque portarum fundamenta suffodere, propter magnitudinem lapidum, quibus constabant, arctissime inter se conjunctorum; neque admotis scalis, ob repugnantes fortiter Judæos, in porticus adscendere potuissent; Titus, quamquam invitus, interioris septi portis ignem injici jussit, quibus incensis adjunctæ porticus simul conflagrarunt, spectantibus, ac stupentibus Judæis; qui facile sibi & Templo facta deditione consulere potuissent. Statuerat quidem Titus Templum integrum servare; sed cum Romani a Judæis decimo die Augusti lacessiti, eos in interius usque Templum repulissent, Romanus miles rapto ex incendio interioris septi titione a socio sublatus in humerum per fenestram in cellas circa Templum constructas jecit, quas corripiens statim flamma, Templum ipsum illis junctum simul incendit.

Titus Hierosolymam occupat.

Joseph. lib. 6. cap. 4. 5. 6. & seq.

7. Titus expilato incensoque Templo, signa in Orientali porta constituit, sacra more patrio fecit, & Imperator ab exercitu salutatus est. Tum seditiosos, qui in superiorem urbis partem aufugerant, eamque adhuc tenebant, ad deditionem per interpretem facta spe vitæ hortatus est; Illi vero post tantas clades, & si omni cibariorum genere carerent, a Romano petierunt duce, ut sibi cum uxoribus, & liberis in so-

Titus urbem vastari, & subverti jubet.

JESU CHR. AN. 70. litudinem exire liceret. Quamobrem hæc Titus vehementer indignatus, & extrema omnia pervicacibus latronibus minatus, inferiore Urbe, & superioris parte incensa, die 20. Augusti aggeres jaci jussit ad seditiosorum munitiones, iisque 7. Septembris absolutis, arietes muris admovit; quibus perruptis, Romani, diffugientibus seditiosis, reliquam urbis partem ingressi sunt 8. Septembris, qui erat Sabbathi dies, & omnia ferro, atque igne vastarunt. Urbem deinde totam funditus everti, ejusque ruderibus, de more, aratrum induci jussit Titus, excepta duntaxat Occidentalis muri parte, tribusque turribus, Hippica nimirum, Phasælis, & Mariamnes; quas ob elegantiam, & insignem firmitatem, veluti urbis eversæ monumenta posteris etiam spectanda manere voluit. Multos exinde in urbis cloacis deprehenderunt Romani, & inter ceteros quidem Joannem, qui fame adactus eis se dedidit, & in perpetua vincula, leve sane tantorum scelerum supplicium, conjectus est. Simon etiam paulo serius in occultiore cloaca, e qua perfossa terra, evadere se posse speraverat, captus est, & triumpho servatus. Reliqua apud historicum Judæum legi possunt. *Ita quidem Hierosolyma capta est secundo anno Vespasiani, Septembris mensis die octavo*, ait Josephus. Eadem tradit & Dio: *Sic Hierosolyma die Saturni, quam in primis Judæi colunt, usque ad hæc tempora nostra conciderunt*. Eusebius vero hactenus enarrata ita perstringit: *Titus, Judæa capta, & Hierosolymis subversis, sexcenta millia virorum interfecit. Josephus vero scribit undecies centena millia fame, & gladio periisse, & alia centum millia captivorum publice venundata. Ut autem tanta multitudo Jerosolymis reperiretur, Azymorum festivitas effecit, ob quam ex omni gente Judææ ad Templum confluentes, Urbe quasi carcere sunt reclusi. Oportuit enim iisdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerant. Colligitur omne tempus in secundum Vespasiani annum, & novissimam eversionem Hierosolymorum a quinto decimo Tiberii Cæsaris anno, & ab exordio evangelicæ prædicationis* 42. (seu a Christi passione, ut apud Clementem, & Origenem legitur) *a Captivitate, quam ab Antiocho perpessi sunt anni* 239. *Porro a Darii secundo anno, sub quo rursum Templum ædificatum est anni* 590. *a prima autem ædificatione Templi sub Salomone, usque ad novissimam ejus ruinam, quæ sub Vespasiano facta est anni* 1102.

Ever-

8. Eversa Urbe, relictoque ibidem militari præsidio, cui Terentius Rufus præfectus est, Titus Cæsaream proficiscitur, ubi die 24. Octobris natalem fratris Domitiani celebravit; eaque occasione Judæorum plurimi spectaculorum causa interfecti sunt; Alii enim ad bestias damnati, alii incendio, alii denique mutuis vulneribus, gladiatorum more, inter se pugnantes periere. Quibus suppliciis, quamvis mille ducenti viri absumpti sint, mitiora tamen Romanis videbantur, & infra consceleratorum hominum merita. Deinde cum se Berytum contulisset Titus, magnificentissima & illic spectacula die 17. Novembris, qui Vespasiani Patris natalis erat, edidit, quibus iterum Judæorum plurimi cecidere. Tum Antiochiam, aliasque Syriæ Urbes invisit. Sic non Hierosolyma tantum excisa fuit, sed & maxima Judaicæ Gentis pars periit calamitatibus, & suppliciis ejusmodi, qualia nullam unquam Gentem passam fuisse legimus; atque ita impleta sunt Christi de excidio Templi, Urbis, & populi Judaici vaticinia, quæ Matth. cap. 24. habentur. Has pœnas Justitiæ Divinæ dedere, non tantum rejecti Christi, quem ad eos Deus miserat, sed & vexatorum Christianorum, omnisque generis impietatis, sævitiæ, ac intemperantiæ, quibus se religione omni, ac virtute carere, immo & ipsam humanitatem plane exuisse etiam Gentilibus palam fecerunt, uti pluribus narrat Josephus. Sed & Scriptores Ethnici, utpote de re omni ævo memorabili, plura de ejusdem Urbis oppugnatione habent, Tacitus scilicet, Dio, Suetonius, Plutarchus.

JESU CHR. AN. 70.

Judæorum plurimi inter spectacula interfecti.

Joseph. lib. 7. cap. 1. 2. 3.

9. Tot calamitatibus, cladibusque affecta Judæorum gens, exciso Templo, & Hierosolyma subversa, per diversas Orbis partes, veluti Cain, inter gentes diffusa est, ubique tamen semper invisa, ubique spreta; unde Rutilius Clementianus:

Judæi ubique vagi, & odio habiti.

Rutil. Clem. in Itinerario.

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeji bellis, imperioque Titi
Latius excisæ pestis contagia serpunt
Victoresque suos, natio victa premit.

Quæ sane de Judæis dicta, non vero de Christianis, quos a Gentilibus sæpius Judæos dictos fuisse scimus, quisque facile intelligit: Rutilio plane congruit Christianus Poeta Prudentius:

JESU CHR. AN. 70.

Prudent. in Apoth. contra Jud.

.... *extirpata per omnes*
Terrarum, pelagique plagas, tua membra feruntur.
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, postquam patria de sede revulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine resperfus commissa piacula solvit.
En quo priscorum vitium defluxit avorum.

Psal. 58.

August. in Psal. 58.

Judæi relicti in signum patrati sceleris.

Atque ita tandem futurum jamdiu quidem prænunciaverat Regius Psaltes: *Ne occides eos, ne quando obliviscantur populi mei; sed disperge illos in virtute tua, & depone eos.* Divino enim consilio statutum ne Judæi penitus delerentur, ut scilicet essent perpetuo in opprobrium Gentibus, & in derisum omnibus nationibus. Hinc factum, ut Romani qui victos populos ita sibi adjungebant, ut eos veluti Romanos deinceps haberent, & dicerent, id nunquam Judæis tribuerent, quod ita eleganter more suo explicat Augustinus. *Omnes Romani facti sunt, & omnes Romani dicuntur; Judæi tamen manent cum signo, nec sic dicti sunt, ut a victoribus absorberentur. Non sine causa Cain ille est, qui cum fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, quod habent Judæi.* Eadem confirmat Josephus suorum cetera amantissimus: *Romanorum clementia cunctis non parvulum donum appellationis suæ concessit, non solum viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi. Hispani denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini Romani vocantur.* Judæi vero ubicumque locorum sint, Judæi semper nominati habentur, nec unquam Romano dignati nomine.

Judæi in servitutem acti, tributum Romanis solvere jubentur.

Joseph. de bel. Jud. lib. 7. 26.

De Judæorum luctu anniversario.

10. In perpetuam quodammodo servitutem redacti, nunquam servire desierunt, nec usque in finem desinent; nam juxta Danielis prophetiam, usque in finem perseverabit desolatio, qua nec ab Apostata Imperatore Juliano, qui Templum restaurare tentavit, liberari potuerint. Præterea tributum Judæis Titus imposuit *ubique degentibus, & quot annis binas quemque drachmas in Capitolium inferre jussit, quemadmodum in Templum Hierosolymitanum prius conferebant.* Neque silentio prætereundum eo usque infelicitatis adductos fuisse Judæos, ut ne locum ipsum, ubi Templum fuerat, ipsis adire, aut ejus ruinam plangere licuit, nisi tributo

buto persoluto; unde Hieronymus: *usque ad præsentem diem perfidi coloni, post interfectionem servorum, & ad extremum Filii Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem: & ut ruinam suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt: ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas. Videas in die quo capta est a Romanis, & diruta Hierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisque obsitos; & in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes: congregatur turba miserorum; & patibulo Domini coruscante, ac radiante, de Oliveti monte quoque Crucis fulgente vexillo, plangere ruinas Templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. Et dubitat aliquis, cum hæc videat, de die tribulationis, & angustiæ, de die calamitatis, & miseriæ, de die tenebrarum, & caliginis, de die nebulæ, & turbinis, de die tubæ, & clangoris? Habent enim, & in luctu tubas; & juxta prophetiam, vox solemnitatis versa est in planctum. Ululant super cineres Sanctuarii, & super civitates quondam munitas, & super excelsos quondam angulos templi; de quibus quondam Jacobum Fratrem Domini præcipitaverunt. Hæc de captivitate dicta sint Judæorum.*

Jesu Chr. an. 70.

Vespasianus Imperat. Civilis defectio sedatur.

11. His tam feliciter gestis, Titus Romam triumphaturus perrexit. Vespasianus autem, cui omnia prospere in urbe cesserant, solus imperare cæpit: Etenim Civilis, qui, Vitellio adhuc imperante, apud Batavos rebellaverat, audita Vitellii morte, Vespasiani mandatis aliquantulum quidem restitit; sed a Cereali Vespasiani duce pluries victus, sese tandem impetrata venia subjecit; & morte Valentini Treverorum Ducis, omnis prorsus adversus Vespasianum dissensio sublata est.

Tacit.lib.4.5.

Vespasianus pro Messia habitus.

12. Hac tanta Vespasiani felicitate factum, ut eum Orbis Liberatorem, seu Messiam nonnulli crederent; cumque divinis litteris constaret, ea ætate Ducem futurum, qui populum a captivitate liberaret, (quæ de Christo futuro prædicta erant, jamque completa) ea ad Vespasianum referenda esse existimabant: *Pluribus*, inquit Tacitus, *persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur, quæ ambages Vespasianum, ac Titum prædixerant.* Suetonius vero: *Per-*

Tacit. hist.lib. 5.

Suet. in Vespas. cap.4.

JESU CHR. AN. 70. *Joseph. de bell. Jud. lib. 7. cap. 12.*

Percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Similia memorat Josephus: *Quod maxime eos ad bellum excitaverat responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus Orbis Terræ imperium habiturus. Id quidem illi quasi proprium acceperunt; multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem plane responso Vespasiani designabatur Imperium, qui apud Judæam creatus est Imperator.* Hæc Josephus, qui impietatis caligine effusus, ea esse de Messia intelligenda, vel non novit, vel dissimulans quod sciebat, temporique indulgens, ea ferme ratione Vespasiano est adulatus, qua olim Judæi majori Herodi, affirmantes illum esse, quem Deus pollicitus fuerat per Prophetas, unde Herodiani sunt dicti.

Josephus Vespasiano Imperium prædixerat. *Joseph. de bell. lib. 6. cap. 15. Suet. in Vespas. Isai. 85.*

13. Josephum autem Vespasiano imperium prænunciasse diserte Suetonius affirmat: *Apud Judæam Carmeli Dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret, volveretque animo, quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur. Et unus ex nobilibus captivis Josephus cum conjiceretur in vincula, constantissime asseveravit fore, ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore &c.* Quoniam vero prædictum noverant cælitus promissum hujusmodi Ducem miracula patraturum; quædam quoque Vespasiani miracula, dum adhuc Alexandriæ versaretur, in vulgus sparsere, quæ Suetonius, & Tacitus meminerunt: *Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstivis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quibus cælestis favor, & quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidem, oculorum tabe notus, ad genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturque Principem, ut genas, & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, ut pede, ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari, atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci: postremo æstimari a medicis jubet, an talis cæcitas, & debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disserere: huic non exesum vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pra-*

Falsa Vespasiani miracula.

pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Deis, & divino ministero Principem electum: denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipse vultu erecta, quæ adstabat, multitudine jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. Hactenus Tacitus, cui, uti jam diximus, Suetonius congruit. Quæ tamen hisce portentis, aliisque hujusmodi, quæ ab Ethnicis venditantur, sit fides adhibenda, nemo non videt. Ea sane fabularum numero habenda admonet vel inter Ethnicos Polybius: *Fama est, & creditur apud Vagelietas, quod statua Dianæ Cindyadis, quamvis sub dio sit, neque nebulam, neque pluviam patiatur; sicut & statuæ Vestæ apud Jassæos. Et ista etiam historiographi nonnulli dixerunt. Ego vero nescio quomodo, ejusmodi historiographorum sententiis toto hoc tractatu constanter repugno, & succenseo. Videntur autem mihi talia prorsus puerilem sensum recipere, qui citra considerationem, non modo absurda, sed & impossibilia complectitur. Etenim si quis corpora quædam sic illuminari posse diceret, ut umbram non constituant, id animi prorsus esset insensati: quod Theopompus fecit, dicens, eos, qui Jovis templum, quod in Arcadia est, ingrediuntur, haud adumbrari. Huic autem conforme est, quod jam dicitur. Itaque omnibus quidem illis, quæ plebis pietatem erga numen conservant, condonandum est nonnullis Historiographis, qui de talibus monstruosa loquuntur: in eo vero quod modum hunc excedit, ignoscendum non est.* Hæc Polybius, quibus nihil sane, nostra sententia præstantius afferri posse videtur ad eorum falsitatem ostendendam, quæ ab Ethnicis scriptoribus multis chartis de portentis, & miraculis memorantur.

De miraculis Apollonio Thianeo adscriptis.

14. Neque secus de iis est judicandum, quæ Apollonio Thianeo Orbis illusori a Philostrato adscribuntur. Horum præstigiatorum, seu fabulatorum opera, opus Dei, scilicet Evangelii propagationem, intervertere conatus est Diabolus; cum enim ubique Christi Domini, & discipulorum ejus miracula inclarescerent, ob oculosque adhuc essent; sicuti Ægypti Magos olim adversus Moysem excitaverat, ut ejusdem portenta simularent; ita hoc quoque tempore Simo-

Simonem primum, Apollonium deinde in scenam eduxit; ut præstigiis, & incantationibus signa simularent, iisque artibus miseros homines fallerent, aut saltem miraculis Jesu Christi, Apostolorum, & Christianorum fidem detraherent. Nec irritus omnino conatus fuit; namque Apollonii mendaciis, multoque magis Philostratis Apollonii Encomiastis, factum est, ut nonnulli, aut Apollonii prodigiis magis crederent, quam Jesu Christi, & Apostolorum; aut de Apollonii impostura conscii, neutris fidem haberent. Hinc Hierocles Philosophus gentilis Apollonium Christo æquare non dubitavit; cujus deliria Eusebius, & Lactantius ostenderunt: *Alius* (id est Hierocles) inquit Lactantius; *eamdem materiam mordacius scripsit, qui erat ex numero Judicum, qui auctor in primis persequutionis faciendæ fuit, quo scelere non contentus, scriptis eos, quos afflixerat, insequutus est*; & post multa: *Item cum facta ejus mirabilia destrueret, nec tamen negaret* (Christi scilicet) *voluit ostendere Apollonium, vel paria, vel etiam majora fecisse, mirum, quod Apulejum prætermisit*.

Apollonius Christo a Hierocle comparatus. Lactan. lib. 5. c. 3.

De Apollonii morte, & cultu.

15. Ad Nervæ usque Imperium vixit Apollonius, ad quem, si fides Philostrato habenda, cum Nerva scripsisset, sperare se Rempublicam felicius administraturum, si eum Consiliarium haberet, respondit: *Nos quidem, o Rex, & certe diu simul erimus, ubi neque nos aliis, neque nobis alii imperabunt*. De Impostoris Apollonii obitu varia fuit fama; ex hominum conspectu miris modis evanuisse narrat Philostratus, *atque eo Templum Dianæ in Creta intranti ultro fores patuisse, ultroque deinde clausa fuisse*; *deinde vocem quasi cantantium virginum auditam: veni de terra, veni, in Cælum ascende*. At hæc Philostrati deliria sunt; si enim, vel ipso teste, nemo scire potuit, quo loco, aut quo mortis genere obierit, quis virgines ad Cælum cantu suo eum invitantes audivit? Ceterum impia quorumdam erga Sycophantam veneratio eo usque processit, ut eum pro Deo habuerit, eique Templa, & imagines dicaverit, teste Lactantio; a quo & illud memoriæ proditum, Ephesios sub Herculis Alexiaci nomine Apollonium coluisse. De Imperatore autem Caracalla refert Dio ipsum Apollonium Cappadocem laude, & honoribus affecisse, eique monumentum heroicum faciendum curasse. Constat præterea ex Lampridio Alexandrum Severum in Larario suo Impostoris

Philostr. ut supra cap. 12.

postoris Imaginem inter Deorum reliquas habuisse. At sicuti in Sapientiæ libro legitur: *Spuria vitulamina non dabunt altas radices, nec stabile fundamentum collocabunt*; ita etsi Simoni Mago, & Apollonio, statuas veluti Diis Gentes erexerint, eosque per summam impietatem Christo æquaverint; illorum tamen præstigiæ illico evanuerunt, Nomina quoque, ac Sectæ defecerunt: dum contra Ecclesia supra solidam firmamque Petram fundata, licet innumeris pene turbinibus agitata universos invicta sustinuit, & perpetuo sustinebit. *Sap. 4. 3:*

JESU CHRISTI an. 71. Lint Papæ 7.
Vespasiani Imp. 3. Coss. Vespasiano
Aug. III. et M. Coccejo Nerva
Olymp. 212. an. 3. Urbis an. 824.

1. Vespasiani, ac Titi triumpho de subjugata Judæa insignis hic annus. Titus enim, instante vere Alexandria solvens, in Italiam festinavit, cumque Romam Aprili mense advenisset, non multos post dies una cum patre magnificentissimum triumphum egit. Senatus quidem proprium utrique triumphum decreverat; sed unum & communem agere statuerunt. Itaque Vespasianus & Titus lauro coronati purpuraque amicti constituta die in Octaviæ Porticu, ubi Senatus, & reliqui Civitatis ordines adventum illorum expectabant, lætas militum, populique adclamationes acceperunt. Inde vero ad triumphalem Portam regressi, cibo prægustato, & triumphalibus vestibus indutis, Diisque ad Portam collocatis, cæsa hostia, sollemni pompa ad Capitolium usque processerunt ad Sacra Jovi pro more facienda. Universum Triumphi apparatum distincte memorat Josephus, & omnium certe magnificentissimum fuisse constat. Nos tantum commemorabimus inter victorum spolia, quæ ferebantur ea eminuisse, quæ in Templo Hierosolymitano reperta fuerant, Mensa nimirum aurea, quæ pondere plura talenta æquabat, Candelabrum aureum, & lex Judæorum, quæ spoliorum ultimum portabatur. Præstantissimum rei gestæ monumentum exstat adhuc Romæ ad Palatini radices Arcus Tito positus, atque elegantissimis ex marmore Anaglyphis insignis, in quibus & Titi triumphantis quadriga visitur, & Candelabrum, Arca fœderis, aliaque Judæorum spolia ad vivum expressa conspiciuntur.

Imperat. Vespasiani, & Titi de Judæis triumphus.

De Bell. Jud. lib. 7. cap. 5.

V. Nardin. Rom. vet. lib. 3. cap. 13.

Jesu Chr. an. 71.

Antiq. Rom. lib.2. cap. 19.
Annal. T. 1. ad A.71.n.2.

Sunt qui dubitent vivo ne, an mortuo Tito Arcus ille fuerit a Senatu erectus; ut vero dubitent facit sequens Inscriptio, quam ab eodem arcu non procul repertam Faunus tradit, & falso Basnagius affirmat se scribente ad Palatini radices adhuc extitisse:

S. P. Q. R
IMP. TITO. CAES. DIVI. VESPASIANI. FILIO
VESPASIANO. AUG. PONT. MAX. TR. POT. X
IMP. XVII. XIIII. P. P. PRINCIPI. SUO. QUI
PRAECEPTIS. PATRIAE. CONSILIISQ. ET
AUSPICIIS. GENTEM. IUDAEORUM. DOMUIT
ET. URBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBUS. ANTE
SE. DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUS. AUT. FRUSTRA
PETITAM. AUT. INTENTATAM. DELEVIT

Sed hæc Inscriptio ad eundem arcum spectare, ut Faunus putat, nullo quidem pacto potuit. Namque arcum Tito defuncto positum, vel saltem absolutum dedicatumque fuisse manifeste declarat Aquila, consecrationis symbolum, quæ Titi animam ad cælum deferens in medio ipsius arcus fornice insculpta visitur: Confirmat præterea *Divi* titulus, qui in Epigraphe, arcui etiamnum inscripta, Tito tributus legitur:

SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AUGUSTO

Quæ, & quanta Hierosolymis abstulerit Titus.

Joseph. antiq. lib.14. 7.

2. Quantam auri vim Titus Hierosolyma in Urbem asportaverit, conjectari facile licet ex iis, quæ Josephus meminit de direptione Templi a Crasso facta, qui duo millia talentorum in pecunia abstulit, & octo millia auri, præter trabem ex auro solidam, trecentas minas pendentem; *Nec cui*, inquit auctor, *mirum sit, quod tantæ divitiæ in Templum congestæ essent, cum omnes ubique terrarum Judæi, quique Deum colunt tam ex Europa, quam ex Asia per multa retro secula ea munera contulerint*. Si itaque tot tantasque opes inde abstulit Crassus, multo plures abstulisse Titum patet; nam Templo destructo nihil ibidem remansit. *Post triumphos vero, & firmam Romani Imperii constitutionem*, inquit idem Josephus, Vespasianus statuit *Paci Templum ædificare... quo po-*

Templum Pacis a Vespasiano ædificatum.

suit

fuit e Judæorum Templo vasa, & instrumenta aurea, de istis se efferens; legem vero eorum, & vela tabernaculi purpurea in Palatio posita servari præcepit. Templum præterea Jani clausit; & *jure* quidem, ut Orosii verbis utamur, *idem bonos ultioni Passionis Domini impensus est, qui etiam nativitati fuerat attributus*.

JESU CHR. AN. 71. *Joseph. de bell. lib. 7. 5. Oros. hist. lib. 7. 6.*

3. Judæa subacta, obtinuit, ut Judæi *fœtentes* dicerentur; hinc illud Martialis:

Cur Judæi fœtentes dicti.

Quod jejunia Sabbatorum
Mœstorum quod anhelitus reorum
Mallem quam quod oles, olere Bassum.

Martial. lib. 4. epigr. 4. Marcell. hist. lib. 22. 9.

Neque hoc Poetarum tantum, sed & Historicorum testimonio comprobatur: *Marcus Aurelius*, inquit Ammianus Marcellinus, *cum Palæstinam transiret, Ægyptum petens, fœtentium Judæorum, & tumultuantium sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse, o Marcomanni, o Quadi, o Sarmatæ tandem alios vobis inquietiores inveni*. Stephanus Le Moyne tetrum hunc odorem ex Judæorum jejuniis repetit: *Etenim ventre inani, & minus agitato, excrementisque pituitosis, immobilitate sua putrescentibus inficitur halitus, & animus acer, & gravis, novis cibis non temperatus marcet, fœtet, & putet: hinc parœmia.... olet jejunium, de eo cujus alitus fœtet*. Commodius tamen teterrimi odoris caussam quis forte retulerit, in sordidas artes, quæ a Judæis exercebantur: Hinc Rutilius in *Itinerario lib. 1.*

Reddimus obscœnæ convitia debita genti,
Quæ genitale caput propudiosa metit.

Et Juvenalis Satyra 3.

Judæi quorum cophinus, fœnumque supellex.

4. Tradunt passim Historici Titum non modo Triumphi societate ornatum a Patre fuisse, sed in Imperii Collegam adscitum, & Proconsulari dignitate auctum; quare ab hoc anno Imperatoris titulo insignitur; *Triumphavit cum patre*, ait Suetonius *censuramque gessit una, eidem collega &* in

Titus Imperii collega.

Suet. in Vesp. 6.

JESU CHR. AN. 71.

Plin. in praef. ad hist. nat.

Josep. lib. 7. 5. Pag. n. 5. in an. 73. Baron.

in Tribunitia potestate, & in septem consulatibus fuit: Plinius vero, Philostratus, Josephus Titum simul ac Vespasianum Imperatores appellant, contenditque Pagius Titum ad Imperii societatem evectum fuisse quinto Kal Aprilis. At enim cum nemo ex Augustae Historiae Scriptoribus annos Imperii Titi ex Proconsulari dignitate ipsi hoc anno collata numeraverint; dubitant nonnulli, an Titus praeter Proconsularem dignitatem Imperii societatem simul fuerit assequutus, quod aliis deliberandum relinquimus.

Judaea venditur. Aliae Judaeorum strages.

Joseph. de bello lib. 7. cap. 6. & 8.

Joseph. lib. 7. 8.

5. Cum in Judaea superessent adhuc Castella aliquot nondum expugnata, Herodion, scilicet Macheras, & Massada; ea hoc, & sequenti anno, non sine magna Judaeorum strage, excisa sunt a Lucilio Basso, & Flavio Silva ejus Successore. Praeterea Josepho teste: *Caesar ad Bassum, & Liberium Maximum scripsit, (Is enim procurator erat) jubens, ut omnem Judaeorum terram venderent; non enim civitatem in ea condidit, proprium servans sibi eorum agrum, sed octingentis dumtaxat emeritis locum incolendum dedit, qui vocatur quidem Ammaus; distat autem ab Hierosolymis 60. stadiis*; & mutato deinceps nomine *Nicopolis* est appellatus. Ad Templi autem ruinas: *Senes infelices Templi cineribus assidebant, & paucae mulieres ad turpissimam pudoris injuriam ab hostibus reservatae.*

Caesarea Colonia Romana evadit.

L. ult. digest. de Censibus.

6. In maritima vero urbe Caesarea, olim Turris Stratonis dicta, incolae Ethnici, Judaeis omnibus interfectis, summa rerum potiebantur; & ob egregiam navatam operam adversus Judaeos, obtinuerunt ut Coloni Romani fierent, atque a capitis & soli tributo absolverentur, uti proditum est a Paulo J. C. in haec verba: *Divus Vespasianus Caesarienses Colonos fecit, non adjecto, ut & Juris Italici essent, sed tributum his remisit capitis. Sed divus Titus solum etiam immune factum interpretatus est.*

Judaei ubique occisi.

Joseph. lib. 7. 10. 29.

7. Deinde in Judaeos, qui varias Romanorum Provincias incolebant saevitum est; nam & Alexandriae Judaeorum plurimi, ait Josephus, qui tumultuari non cessabant, interfecti sunt; quin tamen vel ipsorum unus neque tormentis adigi potuisset, ut Caesarem voce tantum Dominum appellaret: *Omni genere tormentorum, & corporis vexatione in eos excogitata ob hoc solummodo, ut Caesarem Dominum agnoscerent, nemo cessit, neque id dicere velle visus est, sed omnes animos necessitate*

sitate superiores conservarunt, ut qui corporibus sensu carentibus, animabus tantum lætitia gestientibus, cruciatus, ignemque susciperent. Maxime autem puerorum ætas spectatores obstupefecit; namne ab illorum quidem ullo exprimi potuit, ut Cæsarem Dominum appellarent; usque adeo corporum infirmitati prævalebat audaciæ vis. Porro Vespasianus de hujusmodi Judæorum tumultibus a Lupo Ægypto Præfecto certior factus, ipsorum in Ægypto Templum *Onion* dictum solo æquari mandavit: Illud Onias Pontifex, a quo & nomen fortitum fuerat, exstruendum curaverat apud Eliopolim regnante Antiocho, facta sibi potestate a Ptolomæo, ad quem confugerat. Sed & plurimi Judæorum in reliquis Provinciis eodem tempore occisi sunt; atque Tertullus triamillia apud Cirenem trucidavit. Præterea Catullus Judæorum plures absentes, qui Alexandriam, aut Romam incolebant, calumniis impetiit, interque eos etiam Josephum historicum; sed calumnia detecta, Jonathas, qui a Catullo instigatus Josephum accusaverat, pœnas calumniæ dedit, nam verberibus primo mulctatus, flammis deinde exustus periit. Toto autem septennio, quo bellum Judaicum perduravit, ex Judæis interierunt terdecim centena millia, triginta septem, quatercentum, & nonaginta, uti ex Josephi historia collegit Justus Lipsius *lib. 2. de constantia cap.* 21.

JESU CHR. AN. 71.

Joseph. ubi supra cap. 30.

Joseph. lib. 7. 11.

8. Itaque Hierosolyma excisa, Templo diruto, Judæis ubique vexatis, desit tandem Judaicum Regnum. Nam Rex Agrippa, cum vivente adhuc Galba, Romam navigasset, in Judæam ultra non rediit, nec quisquam postea Judæorum Rex constitutus. Cum Rege Agrippa Romam venerat & Berenices ejus soror, quam cum vehementissime Titus adamaret, nuptias etiam pollicebatur. Verum Populo Romano id ægre ferente, se ipsum generosa animi virtute cohibens, *invitus licet*, ut ait Suetonius, *ab Urbe dimisit invitam*. Eam tamen Sextus Aurelius Titi uxorem dicit, quod eam fortasse sine nuptiis conjugali affectu, & usu tractaverat.

Judæorum regnum cessat.

Joseph. l. 4. 9.

Suet. in Tito.

9. Hoc tempore Josephus Belli Judaici historiam conscripsit, cum Romæ otiosus ageret, Imperatoribus Vespasiano, & Tito acceptus, ac etiam Domitiano Successori, uti pluribus in vita sua commemorat, & prodit etiam in opere contra Appionem: *Deinde Romæ otium nactus opere omni jam præparato, & quibusdam propter græcam linguam in auxilium voca-*

Josephus quando historiam scripserit.

Joseph. in vit. Tom. 2. *Contra Appionem lib.* 1. 9.

JESU CHR. AN. 71. *vocatis, res prout gestæ erant, litteris mandabam; adeoque veritati confidebam, ut omnium primos Vespasianum, & Titum in eo bello Imperatores mihi testes facere voluerim. Primum namque illis obtuli libros, & post illos multis quidem Romanorum, qui bello interfuere. Plurimis etiam nostratum eos vendidi viris græce eruditionis non ignaris, in quibus erat Julius Archelaus Herodes, morum gravitate spectatissimus; idemque Rex Agrippa admiratione dignissimus. Isti Jane universi testimonium perhibuerunt, quod veritatem accuratam præ me ferebam, non dissimulaturi, aut tacituri, si quid factorum per gratiam, aut ignorantiam commutassem, aut præteriissem.* Sed de his hactenus.

JESU CHRISTI AN. 72. LINI PAPÆ 8.
VESPASIANI IMP. 4. COSS. VESP. AUG. IV.
ET TITO CÆSARE II.
OLYMP. 212. AN. 4. URBIS AN. 825.

Vespasianus in Davidis progenitos inquirit.

I. *Fama est*, inquit Eusebius, *Vespasianum, post expugnatam Hierosolymorum civitatem, eos, qui a Davide genus ducerent, perquiri jussisse, ne quisquam apud Judæos ex Regia stirpe superesset; eaque ex caussa gravissimam rursus persequutionem Judæis illatam fuisse*. Pacatis tamen in Judæa rebus, illuc Christianos rediisse una cum Simeone Episcopo Eusebius ipse innuere videtur eo loco, quo Hierosolymitanos Episcopos usque ad Hadriani tempora recenset, quindecim numero omnesque origine Hebræos, & ad fidem Christi sincere, atque ex animo conversos. Ibi enim testatur Eusebius: *Tunc temporis universam Hierosolymorum Ecclesiam constatam fuisse ex Judæis fidelibus, qui jam inde ab Apostolorum ætate, ad illam usque obsidionem sub Adriano Imperatore permanserant; qua Judæi iterum a Romanis deficientes, maximis præliis domiti, atque expugnati sunt; ex quo tempore Hierosolymorum Episcopi ex Gentilibus ad fidem conversi fuerunt, quorum primus Marcus fuit*. Bis itaque, Eusebio auctore, Hierosolyma eversa fuit; sub Tito primum; deinde sub Adriano: Quare dicendum domunculas excidio superfuisse, vel e ruderibus illico refectas ad habitandum idoneas; eaque de causa Titum illic præsidium imposuisse: *Decimæ autem Legioni Hierosolymorum custodiam concessit, neque ad Euphratem, ubi pridem fue-*

Eusebius lib. 3. 13.

Christiani Hierosolymam redeunt

Euseb. lib. 4. cap.

Euseb. lib. 5. 6. Demonstr. Evang. lib. 6. 18.

Joseph. lib. 7. 1.

fuerat, *eam remisit*, inquit Josephus; *sed & senes infelices*, *& paucæ mulieres ab hostibus reservatæ cineribus Templi insidebant*. Hinc & Epiphanius de Hierosolymitano excidio disserens; licet eversam a Tito Urbem fateatur, Ædiculas tamen quasdam memorat, & parvam Christianorum *Ecclesiam*, *quæ in eo loco constituta fuerat*, *ubi Discipuli post Christi Ascensionem convenerant in Monte Sion constructam*, *quæ civitati superfuerat cum aliquot Ædificiis*, *ac septem Synagogis*, *quæ in eodem Monte solæ velut tuguria perstiterant*. Quæ quidem etsi Basnagio inverosimilia videantur, vero tamen proxima Josephi, & Epiphanii testimonio redduntur. His addit Epiphanius, Christianos ex Pella Hierosolymam reversos miraculis claruisse, ex quo magis magisque Ecclesia illa Fidelium fide, & numero floruit. JESU CHR. AN. 72.

2. Interea succrescente Hierosolymis fidelium numero, inimicus homo, uti in Evangelio legitur, superseminavit zizania; namque hac ætate orti sunt Nazaræi, qui in eo tantum a Christianis dissidebant, quod Legis Mosaycæ ritus una cum Evangelio observandos esse putabant: De his audiendus Epiphanius: *Est autem hæc Nazaræorum hæresis in Berrhæorum regione circa Cavam Syriam*, *& in Decapoli circa Pellæ partes*, *& in Basanitide*, *quæ Cocaba Hebraice dicitur*. *Illinc enim initium factum est*, *post discessum ab Hierosolymis*, *omnibus Discipulis in Pella habitantibus*, *cum Christus jussisset relinquere Hierosolymam*, *ac secedere*, *quoniam passura esset obsidionem*. *Et hæc de caussa Berrhæam habitantes*, *illic* (*ut dixi*) *vitam degebant*. *Hinc Nazaræorum hæresis initium habuit*. *Erraverunt autem & hi*, *circumcisionem jactantes*, *& adhuc sub maledictione sunt*. Primi ergo Nazaræi Judæi fuerunt, qui Christianam religionem eatenus admiserant, quatenus cum Judaica consistere poterat; atque eos sæpe Apostolus Paulus increpat, & potissimum in Epistola ad Galatas. Plures hujusmodi Sectæ homines sua adhuc ætate extitisse admonet Hieronymus: In Judæorum synagogis latebant; vel seorsim etiam sacra faciebant. Dicti sunt Nazaræi, quo nomine constat Christianos etiam a Judæis fuisse appellatos. Præterea quod pauperes essent, dicti sunt *Ebionitæ*; & communi hæreticorum penes Hebræos appellatione *Minei*. De his ita Hieronymus ad Augustinum. *Si hoc verum est*, *in Cerinthi*, *& Ebionis hæresim prolabimur*, *qui credentes*

De Nazaræorum secta.

Epiph. hær. 29.

JESU CHR. AN. 72. *dentes in Christum propter hoc solum a Patribus anathematizati sunt, quod legis cæremonias Christi Evangelio miscuerunt, & sic nova confessi sunt, ut vetera non amitterent. Quid dicam de Ebionitis, qui Christianos esse se simulant? usque hodie per totas Orientis synagogas inter Judæos hæresis est, quæ dicitur Mineorum, & a Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaræos nuncupant; qui credunt in Christum filium Dei, natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus; sed dum volunt, & Judæi esse, & Christiani, nec Judæi sunt, nec Christiani.* Hactenus Hieronymus, qui & alibi hæc sæpe confirmat, & Commentario in Matthæum prodit: *Ebionitas, cum ceteros Apostolos reciperent, Paulum quasi transgressorem legis repudiasse.* Similia de Nazaræis, Ebionitis, Mineis tradit Eusebius; quo etiam constat variis hisce nominibus eosdem Hæreticos designatos fuisse, qui cum Evangelio Judæorum legem, & ritus retinebant; ideoque cum Ebionitis ab Ebione hæretico dictis non esse confundendos, veluti Epiphanio accidisse videtur, ubi a Nazareis Ebionitas prodiisse scribit; quos tamen ab Irenæo, Origene, Augustino, Philastrio, Theodoreto, aliisque Ebionem auctorem habuisse perspicue admonemur.

Hier. in cap. 2. & 15. Isai. & in epist. ad Galat.

In Math. cap. 12.

Euseb. lib. 3. 17.

Epiph. hær.

De Menandro Simonis discipulo.

3. Per eadem fere tempora Ecclesiam quoque infamavit Menander Samarites, & Simonis discipulus, qui teste Eusebio; *Ad summam magicarum artium peritiam perinde ac magister progressus, pluribus adhuc, & absurdioribus figmentis exuberavit. Nam se ipsum quidem Servatorem esse asserebat ad hominum salutem ab alto destinatum. Neminem vero ajebat, ipsos Mundi conditores Angelos posse superare, nisi qui prius magica disciplina a se institutus, & baptismo, quem ipse tradebat, initiatus fuisset. Quem baptismum quicumque suscipere meruissent, eos perpetuam in hoc sæculo immortalitatem adepturos affirmabat: non amplius morti obnoxios; sed hic in ævum permansuros, juvenes semper, atque immortales futuros. Atque hæc quidem, ex Irenæi libris licet cognoscere. Sed & Justinus similiter, postquam de Simone retulit, de Menandro quoque subjungit hæc verba: Menandrum item quemdam Samaritanum, ex vico Caparattæa oriundum, discipulum Simonis, Dæmonum stimulis agitatum, Antiochiam venisse, atque ibi plurimos arte magica delusisse novimus. Qui etiam sectatori-*

toribus suis persuaserat ipsos numquam esse morituros. Et ex illius disciplina adhuc supersunt nonnulli, qui idem profitentur. Hæc ex Justino, atque Irenæo Eusebius de Menandro, de quo similia ferme apud Tertullianum legimus: *Post Simonem magum, Menander discipulus ipsius similiter magus, eadem dicens, quæ Simon ipse: quicquid se esse Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset*. Jactabat enim mortem ad suos non modo non pertinere, sed nec pervenire. Quod salse irridens Tertullianus: *Quod* inquit, *hoc Menandri balneum? comicum credo: Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lavant? suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi sacramenti*. Qui plura de Menandro ejusque deliriis desiderat, Irenæum, Epiphanium, Augustinum, aliosque Hæreseologos consulat. Id tantum adjungimus, Menandri discipulos fuisse Basilidem & Saturninum, de quibus paullo infra dicemus.

Tertull. lib. de anim. cap. 10.

Euseb. lib. 4. 7.

4. Antiochus Commagenorum Rex in maximam hoc anno calamitatem incidit; jure, vel injuria liquido non constitit, teste Josepho. Cum enim Cæsennius Poetus Syriæ Præfectus datis ad Vespasianum Epistolis eum, & filium Epiphanem defectionis accusasset, monuissetque oportere illos custodiæ tradere, ne novas res adorti totum Romanorum Imperium bello perturbarent; Vespasianus fide habita potestatem ipsi fecit agendi quod magis expedire videretur. Itaque Poetus Commagenem repente invasit, & Antiochum, qui re cognita quidquid potius patiendum ratus, quam adversus Romanos bellicum aliquid gerere, in Ciliciam fugerat, Tarsi misso Centurione comprehendit, & vinctum Romam mittendum curavit. Vespasianus vero ægre ferens ita Regem ad se deduci, jussit ei iter agenti auferri vincula, & apud Lacedemonem interea degere. Magnos etiam ei pecuniæ reditus præbuit, ut non large modo, sed regie & magnifice viveret. Demum facta potestate, ut Romam cum Epiphane, & Callinico filiis navigaret, multo cum honore in Urbe retinuit, & reconciliatum Regno restituit. Ab hoc eventu, qui cum quarto Vespasiani anno concurrit, uti habet Josephus, Commagenorum æra deducitur: *Comageni, & Samosateni ab hoc anno chronologiam suam inchoant*, inquit Chronicon Alexandrinum, seu Paschale, de quibus plura videri possunt apud Nori-

Antiochus Comagenæ Rex ejicitur, dein restituitur.

Joseph. de bell. Jud. lib. 7. cap. 7.

JESU CHR. AN. 72. *Joseph. eod. cap. in fin.* Norisium de Epochis Syro-Macedonum, Alani quoque, eodem Josepho teste, in Mediam irrumpentes, eam longe lateque vastarunt, fugiente Pacoro Rege; atque in Armeniam transgressi, Tiridatem Regem ipsis occurrentem fugarunt, vixque ab eorum manibus evasit.

Vespasiani egregii mores. 5. Inter hæc optimis Vespasiani moribus factum, ut Romæ res in melius mutarentur. Etenim nobilium civiumque animos a luxu, libidine, ab inferendis injuriis revocavit; & exemplo magis, quam legibus subditos ad castam, sobriamque vitam adduxit. Namque veluti privatus fere vivebat; senatui statis diebus aderat, & inito cum Senatoribus consilio de omnibus Imperii negotiis deliberabat. In Cæsarum Palatio raro versabatur, sed in Hortis Sallustianis, ibique semper cuique ad eum patebat aditus Januis semper apertis, & omni custodia destitutis; animo ad clementiam & mansuetudinem composito irasci, vel ulcisci nesciebat: Quod ex Vologesis præsertim facto maxime intelligitur: Cum enim Parthorum Rex Vologeses ipsi litteras dedisset hac tantum Inscriptione præmissa arrogantiæ plena: *Arsaces Rex Regum Flavio Vespasiano*; *Dio lib. 66.* Vespasianus tamen non modo Epistolam non recusavit, sed responso eidem sollicite facto, singulari sane moderationis exemplo hunc Epistolæ suæ titulum præfigi jussit: *Arsaci Regi Regum Flavius Vespasianus*.

JESU CHRISTI AN. 73. LINI PAPÆ 9.
VESPASIANI IMP. 5. COSS. DOMITIANO
CÆS II. ET M. VALERIO MESSALINO.
AN. URBIS 826. OLYMP. 213. AN. I.

Philosophi Stoici urbe ejecti. 1. Helvidius Priscus Thraseæ gener stoicis disciplinis ab ineunte ætate imbutus, pluries Vespasianum procaciter lacesserat; namque reversum ex Syria, solus, privato nomine Vespasianum salutaverat, & in Prætura omnibus Edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat; non antea tamen, inquit Suetonius, ei Imperator *succensuit, quam altercationibus insolentissimis pene in ordinem redactus*. Tum itaque relegatum primo, deinde interfici hoc anno jussit. Verum servandum postea quoquomodo curavit, missis qui percussores revocarent; servassetque, nisi jam periisse falso nunciatum esset. *Dio lib. 66.* Præterea *Cum alii multi excitati ex Stoica disciplina*, Dione

Jesu Chr. an. 73.

Dione teste, *in quorum numero fuit Demetrius Cynicus, multa inutilia his, qui audiebant, publice differerent occasione philosophiæ, atque ita multos occulte in varias sententias traherent; Mucianus Vespasiano persuasit, ut omnes qui essent ejus sectæ ex urbe expelleret; dixitque in eos multa ira magis incitatus, quam studio disciplinæ. Itaque Vespasianus statim Philosophos præter Musonium Roma expulit*. Atque id quidem non Philosophiæ odio fecit Vespasianus, quem etiam ex Philostrato cognoscimus illius amantissimum fuisse, sed necessitate compulsus, ut scilicet hujusmodi Philosophorum garrulitatem, petulantemque potius quam ingenuam libertatem comprimeret, qua passim Imperatorum gesta apud abjectum vulgus redarguebant. Hanc Philosophorum in quoscumque, ac potissimum in Principes dicendi licentiam vehementer improbat Seneca: *Errare mihi videntur, qui existimant Philosophiæ fideliter deditos, contumaces esse, ac refractarios, & contemptores magistratuum, aut Regum, eorumve per quos publica administrantur*. Damnat & Dio in suis Ægyptiacis Philosophorum Cynicorum in eo genere dicendi procaciam. Ex quo sane facile intelligitur quantum omnibus præstet Christiana modestia, quæ levissimam quampiam contumeliam in privatum etiam hominem dictam perpetuo gehennæ igne dignam existimat, quæque parendum esse Principibus etiam improbis, & honorem iis habendum divina lege præscribit. Numquam certe in tot acerbissimis adversus Christianos persequutionibus, quempiam illorum ob dicacitatem conventum esse judicio, quis poterit invenire. Quamobrem philosophorum complures, qui veræ sapientiæ studebant, Divinam prorsus Christianæ Philosophiæ excellentiam intuentes, considerantes, admirantesque non paucos tantum, sed omnes ferme Christianos veræ perfectionis culmen attingere; pedestri, quam sectati fuerant, philosophiæ nuntium remittentes, discipuli in schola piscatorum esse maluerunt, quam Athenis magistros profiteri.

Seneca lib. 10. ad Lucil.

Christianæ philosophiæ excellentia.

2. Quo tempore Apostoli, virique Apostolici ad imbuendos Christiana religione populos totum pene orbem terrarum peragrarunt; complures etiam Gentium philosophi perinde ac si eamdem instituti rationem iniissent, plurimas circumeundo provincias pervagati urbes nobilissimas adiere, summumque labefactatos ubique mores corrigendi studium præseferentes, de his publice palamque cum populis sæpe disserebant. Eos tamen

De Philosophis orbem circumeuntibus.

JESU CHR. AN. 73. men ita ad meliorem vitæ rationem hortabantur, ut Ethnicæ simul superstitionis cultum servandum anxie inculcarent. In id operam plurimi contulerunt, & ut Apollonium prætermittamus, magnam inde celebritatis famam consequutus est Dio, cujus meminit Philostratus in Tyanæo, exstantque adhuc quamplurimæ orationes, quæ a locis, in quibus eas publice habuit, apellatæ, Rhodiacæ scilicet, Corynthiacæ, Tarsicæ, Borysthenicæ, &c. Floruerunt & hac laude Euphrates Apollonii pernecessarius, Musonii duo, Demetrius, Damis Pythagoreus, Epictetus Stoicus, Lucianus Epicureus, aliique; quorum qui Romæ versabantur, eos Domitianus insectatus est. Neque omittendus Diogenes Junior, qui, cum populum in Theatro contumeliose objurgasset, virgis cæsus est. Sed & alium memorat Dio eadem populum carpendi licentia capite damnatum. Ceterum quæ a falsis hujusmodi Philosophis, quorum erat, inquit Juvenalis,

Philost. lib. 5.

Dio in Vesp.

Juvenal. satyr. 3.

Ingenium vel ex, audacia perdita, sermo
Promptus, & Isæo torrentior.

Quanti æstimaretur Christiana Religio.

magna sapientiæ ostentatione jactabantur, ea pronis plerumque auribus Gentes excipiebant; contra vero Evangelii Præcones, quos Barbaros dicebant, quique novam ac peregrinam religionem suadere satagebant, & hominem Cruci affixum Deum prædicabant, quam maxime oderant. His præterea accedebat, quod Christianorum & Judæorum eamdem prorsus esse religionem existimarent; Judaicam autem Romani his præsertim temporibus exsecrarentur. Quid de Judæorum Sacris stante adhuc Republica Romani judicarent, declarat diserte Cicero in oratione pro Flacco: *Stantibus Hierosolymis, pacatisque Judæis, tamen istorum religio sacrorum a splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis; quam cara diis immortalibus esset, docuit; quod est victa, quod elocata, quod servata.* Hæc Cicero, quo tempore Judæi a Pompejo tantum devicti fuerant; quid itaque de eadem religione Romanos sensisse arbitrabimur, postquam immanissima omnium clade Judæam vastaverant, & Gentem pene universam deleverant? Quid autem Græci, atque Ægyptii de ea senserint, ex Plutarcho, Luciano, aliisque intelligimus; sed potissimum ex Apione Alexandrino, qui duobus

bus libris ea de re editis, Judaicam Religionem universo terrarum orbi, veluti in scena, risu & sibilis insectandam exhibuit. Quod tamen Christiani Crucifixi hominis Judæi cultum in urbem & orbem inferrent, id plane Ethnicis videri poterat omne portenti genus excedere. Sed inter hæc superexcellens vis, atque potentia Crucis enituit: Namque radiis, & fulgoribus divinitatis effulgens, omnes mox humanæ sapientiæ tenebras disjecit, omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei humi prostravit, & omnem intellectum, (mirabile dictu) ad Christi obsequium adeo adegit, ut non ex homine, sed ex Deo virtutem esse manifestissime appareret. Quis enim videns novella germina fidei, cum vix semen Apostolicum e terra nascens erumperet, continuo efferatam Judæorum rabiem experiri, furore Gentilium concuti humanæque sapientiæ artibus radicitus prope convelli; non omni spe caderet, atque animo prorsus deficeret? Verum qui vocat ea, quæ non sunt tamquam ea quæ sunt; delegit ea, quæ in mundo infirmiora esse viderentur, ut fortia quæque confunderet; & ad confutandos sapientes stulta, atque ignobiliora quæsivit, ut, quod ait Apostolus, tam ea quæ non sunt, quam ea quæ sunt, destrueret; et ne gloriaretur adversus eum omnis caro, non humanarum virium, sed Divinæ potentiæ opus in omnibus omnes aperte cognoscerent.

JESU CHR. AN. 73.

Divina virtus in Evangelii propagatione elucet.

2. *Cor.* 10.

Rom. 4.

3. Enim vero institutus de Philosophis sermo, & temporis ratio postulat, ut quæ ab impostore quodam Peregrino philosopho, non multos post annos sub Christiano nomine gesta sunt persequamur; ex iis enim, licet a Christianorum hoste, & blasphemo homine scripis, nonnulla elici possunt, quæ antiquos illos Christianorum mores, summam præsertim erga fratres peregrinos, vel carcere detentos curam ac studium caritatis quam maxime declarant. Itaque Impostor quidam scelestissimus ex Paro insula oriundus, immanissimorum criminum reus (patrem enim necaverat, eratque puerorum amore turpiter infamatus) patrium solum vertens de regione, in qua minime cognosceretur, adeunda cogitavit. Sed quo omnia ad vitæ usum sibi suppeditarentur abunde prospiciens, postquam universum terrarum orbem animo lustravit, nulla præter Christianos sibi gens visa est, quæ suæ Religionis præsertim homines libentius exciperet, egentibus, miserisque amantius opitularetur, & peregrinis omni officiorum genere magis consule-

De Peregrino philosopho, & ficto Christiano.

Lucianus de morte Peregrini.

fuleret. Quamobrem ad Christianos continuo profectus, maximumque illorum fidei amplectendæ studium impie simulans, Baptismum brevi suscepit, eoque tandem pervenit, ut, Luciano auctore, profiteretur inter prophetas, cæterosque rerum sacrarum principes: quippe cum se magistrum præberet, qui alios fidem Christianam doceret; sacros libros interpretaretur; aliosque a se conscriptos legendos traderet. Ne quid porro sibi deesse videretur, quod ad culmen Apostolicæ perfectionis forte spectaret, se in carcerem pietatis caussa conjiciendum curavit, ut sibi veluti novus Paulus gloriosa vincula ostentaret; & ingentem pecuniæ vim hac ratione corraderet ex fidelium oblationibus, qui cum in hujusmodi præstandis officiis invicem certarent, quæcumque certe in eum liberalissime contulissent, quem nondum sibi perspectum, veluti Apostolum alterum interea suspicerent. Et sane quæ fuerunt erga impium hominem piorum studia, Lucianus luculenter explicat. Postquam enim omnia perperam movissent, ut eum e vinculis eriperent, omnia ipsi officia non perfunctorie, sed sedulo præstabant; *Ac mane quidem*, inquit, *illico erant juxta carcerem præstolantes anus viduæ aliquæ, & pueruli orbi. Ipsorum autem primores cum ipso intus dormiebant corruptis custodibus: exinde variæ cœnæ inferebantur, & sacri inter se sermones dicebantur... Quin etiam constat ex asiaticis urbibus venisse aliquos a Christianis publice missos, qui opem ferrent, patrocinarentur, & consolarentur virum. Incredibile autem est, quantam celeritatem ostendant, si quid tale vulgo innotuerit: illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino multæ tunc opes ab illis mittebantur vinculorum protexta; quæ non exiguum proventum duxerunt. Etenim haud dubitanter sibi persuaserunt, se omnino immortalitate potituros, & perpetuo victuros: Idcirco & mortem magno contemnunt animo, & multi ultro se occidendos tradunt. Deinde legislator primus ipsis persuasit alios aliorum omnes esse fratres. Postea vero quam semel a nobis desciverunt, Græcorum deos constanter abnegantes, solum Crucifixum illum adorant. Proinde omnia ex æquo contemnunt, & communia putant, citra fidem accuratam talia recipientes. Si igitur aliquis ad ipsos veniat præstigiator, & versutus homo, rebusque gerendis appositus, brevi admodum ditescit, simplices homines illudens*. Hactenus Lucianus, qui Peregrinum a Syriæ Præside postea libertati restitutum in patriam rediisse prodit; deque altera ab eo inde susce-

Christianorum charitatis officia.

pta

pta peregrinatione ita scribit: *Itaque iterum vagaturus abiit satis viatici se in Christianis habere existimans, a quibus quocumque incederet stipatus in omni rerum copia versabatur. Et sic quidem aliquamdiu victitavit. Deinde cum & aliquid in ipsos commisisset; siquidem visus erat, ut opinor, nescio quid ex interdictis comedisse; non recipientibus amplius illis, magna est rerum difficultate perplexus.* Postremo post varios vitæ casus, quos nihil attinet dicere, insana gloriæ cupiditate abreptus, ut aliquam sui famam relinqueret, in Olympiis constructo rogo, se ipsum in ignem ultro conjecit, atque ita digna quidem scelerum suorum morte extinxit. Hæc summatim de Peregrino, ejusque morte ex Luciano huc afferenda duximus, ut hujusmodi exemplo, quæ a nostris scripta sunt, planius innotescerent, suisque coloribus velut in tabula expressa cernerentur. Hinc enim perspicue magis intelligimus, quod Paulus scribit, se passum fuisse: *Periculum in falsis fratribus*; de quibus & Dominus dixerat: *Venient ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Cujusmodi enim isti essent palam facit Peregrini exemplum, qui merito sane cognomento Proteus dicebatur, quippe cum omnem, quam sibi vellet, formam superinduceret. Facile præterea intelligimus, quæ de Mensurio Episcopo Carthaginensi recitat S. Augustinus; illum scilicet quosdam prudenti quidem consilio respuisse, qui lucri gratia sese inter martyres conjecissent, ut fidelium pecuniis ditarentur, vel lautius viverent. *Quidam* inquit, *etiam in eadem Epistola facinorosi arguebantur, & fisco debitores, qui occasione persequutionis, vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent & quasi abluere facinora sua, vel certe acquirere pecuniam, & in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum.* Quod quidem cum ad Diocletianeæ Persequutionis tempora pertineat, palam fecit Christianos non initio tantum, sed perpetuo insigniora quæque caritatis officia in Confessores & Martyres contulisse: Hinc illa Tertulliani ad martyres in carcere constitutos: *Inter carnis alimenta benedicti martyres designati, quæ vobis & domina mater Ecclesia de uberibus suis, & singuli fratres de operibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid & a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum:* & post aliqua in eamdem sententiam: *Immo & quæ justa sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, & Agapem fratrum.* Sed enim fre-

Reliqua Peregrini ac finis ejus.

2. Cor. 11.

Matt. 7.

Gellius Noct. Att. lib. 12. cap. 11. & Ammian. lib. 29.

Aug. in Brev. col. diei tert. cap. 13.

Officia Christianorum erga vinctos.

Tertull. ad Martyr. cap. 1.

Cypr. epist. 12.

Frequens visitatio Confessorum.

JESU CHR. AN. 73. frequentes adeo & folliciti erant fideles in Confefforibus vifitandis, omnique officiorum genere fublevandis, ut ad evitandam Perfequutorum invidiam, eos interdum cohibere oportuerit.

Cypr. epift. 5. Teftem proferimus Cyprianum: *Peto quoque ad procurandam quietem, folertia & follicitudo veftra non definat. Et fi fratres pro dilectione fua funt cupidi ad conveniendum, & vifitandos confeffores bonos, quos illuftravit jam gloriofis initiis divina dignatio; tamen caute hoc & non glomeratim, nec per multitudinem fimul junctam puto effe faciendum: ne ex hoc ipfo invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur; & dum infatiabiles multum volumus, totum perdamus. Confulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius poffit; ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud confeffores offerunt, finguli cum fingulis Diaconis per vices alternent: quia & mutatio perfonarum, & viciffitudo convenientium, minuit invidiam.*

Hofpitalitas cuftodita & frequentata a Chriftianis. Joan. epift. 3.

4. Rurfus quæ de fummo Chriftianorum erga Peregrinum, aliofque hofpites ftudio Lucianus litteris prodidit, mire quidem oftendunt, immenfam illam Chriftianorum erga fratres dilectionem, quam hifce puto temporibus Joannes quoque Evangelifta tantopere in Cajo commendavit: *Cariffime fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui teftimonium reddiderunt charitati tuæ in confpectu Ecclefiæ; quos, benefaciens, deduces digne Deo. Pro nomine enim ejus profecti funt nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus fufcipere hujufmodi, ut cooperatores fimus veritatis.*

Tertull. de præfcrip. cap. 20. Porro Tertullianus mutuam inter Fideles hofpitalitatem adeo interceffiffe fignificat, ut illam inter Catholicæ communicationis fymbola recenfeat: *Itaque tot, ac tantæ Ecclefiæ una eft illa ab Apoftolis prima, ex qua omnes. Si omnes primæ, & omnes Apoftolicæ, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contefferatio hofpitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejufdem facramenti una traditio.* Hæc Tertullianus, qui forte per contefferationem hofpitalitatis certum quoddam fignum intelligit, quod qui ferret, veluti Ecclefiæ Catholicæ legitimus filius, quocumque pergeret, a Fidelibus æque Catholicis hofpitio reciperetur. Quam fane hofpitalitatis contefferationem cum hæretici adulteraffent, Epiftolas tandem Catholici induxerunt, quas Nicæni Concilii Patres *formatas* appellavere.

De teffera Hofpitalitatis apud Gentiles. Ufurpabantur & apud Gentiles hujufmodi hofpitalitatis tefferæ, iifque viciffim datis mutui

mutui inter se hospitii fœdera Romani inibant, quæ ad posteros quoque manabant; Hinc illud Plauti:

JESU CHR. AN. 73.
Plaut. in Penulo.

.... Sic ita est, tesseram
Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.
Age dum ostende; est par probe: nam habeo domum.
O mi hospes, salve multum; nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo hospes Antidamas fuit:
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.

Porro quam sancte hospitii jura servarent Ethnici, & quam honorifice lauteque hospites exciperent, ostendit præ ceteris Tomasinus singulari libro de Tesseris Hospitalitatis in Gronovii Thesauro, in quo jus hospitii universum apud veteres erudite satis expenditur; Christianos tamen longe omnibus præstitisse, vel ea, quæ de Peregrino diximus abunde declarant. Tom.IX.

JESU CHRISTI AN. 74. LINI PAPÆ 10.
VESPASIANI IMPERATORIS 6.
COSS. VESP. AUG. V. ET TITO CÆSARE III.
AN. URBIS 827. OLYMP. 213. AN. 2.

1. Quod anno Ch. LXXI. fieri cœperat lustrum, hoc tandem labente Vespasianus & Titus perfecerunt; Plinii enim testimonio constat *intra quadriennium* actum fuisse: *Accedunt experimenta, & exempla recentissimi census, quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasiani pater, filiusque censores egerunt*. Censuum autem omnium hunc ultimum fuisse admonet Censorinus: *Cum inter primum a Servio Rege conditum lustrum, ab Imperatore Vespasiano V., & Tito Cæsare III. Coss. factum est, anni interfuerunt paullo minus DCL. Lustra tamen per ea tempora non plura, quam LXXV. sunt facta, & postea plane fieri desierunt*; Porro de hoc Lustro notatu dignum quod Plinius observat de longæva nonnullorum, qui censi fuerant, ætate. *Centum viginti annos Parmæ tres edidere; Brixelli unus* 125; *Parmæ duo* 130; *Placentiæ unus* 131; *Faventiæ una mulier* 132; *Bononiæ unus Tirentius Marci filius, Arimini vero Marcus Aponius* 150; *Tertulla* 137; *Circa Placentiam in collibus oppidum est Vellejatum, in quo* 110. *annos sex detulere, quatuor* 120; *unus* 140. *Ac ne pluribus*

Vespasianus & Titus civium censum perficiunt.
Plin. hist. lib. 7. cap. 49.
Censor. de die natali cap. 15.
De plurimorum longæva ætate.

Jesu Chr. an. 74. *bus moremur in re confessa, in regione Italiæ octava centenum annorum censi sunt homines 54. Centenumdenum homines 57. Centenum quinum homines duo. Centenum tricenumquintum aut septenum totidem. Centenum quadragenum homines tres.* Hucusque ex tabulis census Plinius. Quocirca non mirabimur quidem ubi infra videbimus Simeonem Jerosolymorum Episcopum annos natum 120. Cruci affixum, martyrium subiisse.

JESU CHRISTI AN. 75. LINI PAPÆ 11.
VESPASIANI IMPERATORIS 7.
COSS. VESP. AUG. VI. ET TITO CÆSARE IV.
AN. URBIS 828 OLYMP. 213 AN. 3.

Templi pacis dedicatio. Dio lib. 66. Joseph. lib. 7. 6.

1. *Vespasiano VI., & Tito IV. Coss.* inquit Dio, *Templum Pacis dedicatum est*. De hujusce Templi amplitudine hæc litteris prodidit Josephus: *Post triumphos, & firmum Romani Imperii constitutionem, Vespasianus statuit Paci templum ædificare, cito admodum, & pulchrius, meliusque omni opinione perfecit; magnis enim opibus largiter in hanc rem usus, & priscorum etiam præclara omnia adhibens, picturis, & statuis pulcherrimis illud adornavit. Omnia enim in hoc templum collata, & disposita erant; quorum visendorum studio homines antea per totum terrarum orbem vagabantur, quo modo aliud apud alios se haberet, videre cupientes. Posuit autem & hic e Judæorum templo vasa, & instrumenta aurea de istis glorians, & se efferens.* Josepho congruunt Scriptores reliqui, inter quos Herodianus Templi ejusdem incendium Commodo imperante commemorans, affirmat fuisse *opus cunctorum tota urbe maximum atque pulcherrimum*. Illius quidem magnificentiam, quæ adhuc supersunt, rudera declarant. Itaque in fabularum numero prorsus habenda, quæ in Sermone Petro Damiani inscripto leguntur; scilicet qua nocte Christus natus est Romæ corruisse Templum Pacis; quod certo scimus multos post annos jussu Vespasiani Imperatoris ædificatum.

Lib. 1.

JESU CHRISTI AN. 76. LINI PAPÆ 12.
VESPASIANI IMPERATORIS 8.
COSS. VESP. AUG. VII. ET TITO CÆSARE V.
AN. URBIS 829. OLYMP. 213. AN. 4.

1. Præsens annus Hadriani Cæsaris ortu insignis est: *Natus est Romæ*, inquit Spartianus, *IX. Kal. Feb. Vespasiano septies, & Tito quinquies Coss.* Huic enim certe fides potius adhibenda, quam Eutropio scribenti ipsum *Italicæ in Hispania* natum fuisse. Quod porro ad res Ecclesiasticas pertinet, cum quid hoc anno gestum sit ex antiquis, verisque Ecclesiasticis monumentis uti certum, exploratumque tradi nequeat, consultius cum Baronio existimamus: *hos consules, atque etiam alios plures rerum nostrarum vacuos præterire, quam pro arbitrio, quid hoc, vel illo anno sit factum velle divinare, ac fingere; quod contra ecclesiasticæ scribendæ historiæ perfectos numeros a quibusdam recentioribus factitatum invenimus, dum his annis Thomæ, Bartholomæi, Nathanælis, vel aliorum sine auctore ponunt martyria contigisse.*

Hadriani Imperatoris Ortus. *Spart. in Hadrian. cap. 1.* *Bar. an. 78.*

JESU CHRISTI AN. 77. ANACLETI PAPÆ 1.
VESPASIANI IMPERATORIS 9.
COSS. VESPAS. AUG. VIII., & TITO CÆSARE VI.
OLYMPIAD. 214. AN. 1. URBIS AN. 830.

1. Postquam Romanam Sedem per annos XII. tenuit Linus hoc anno obiit, qui successorem habuit Anacletum, vel ut alii nominant, Cletum: *Linus*, inquit Eusebius, *Ecclesiæ Romanæ Episcopus, cum eam duodecim annis administrasset, Anacleto deinde regendam tradidit*. Hæc quidem anno secundo Titi Imperatoris memorat Eusebius; sed imperante adhuc Vespasiano, Anacletum Lino successisse patet ex his, quæ idem Eusebius alibi meminit de tempore, quo Petrus, & Linus Romanam Ecclesiam gubernarunt. Prodit enim Petrum Romæ Episcopum fuisse ab anno Claudii 2. Christi 42. per annos scilicet 25., Linum vero annis duodecim, quod quidem si ducto calculo recte perpenderis, ad labentem 77., aut sequentem 78. pervenies. De Lini gestis ita Anastasius: *Ex præcepto B. Petri constituit, ut mulier velato capite in Ecclesiam*

Lini mors, cui Anacletus succedit. *Eusеb. lib. 3. 13.* *An Linus Martyr fuerit*

Jesu Chr. an. 77. clesiam introiret: *Hic fecit ordinationes duas ordinavit Episcopos 15. Presbyteros 18., qui sepultus est in Vaticano*. An itaque martyrio vitam finierit, in summo veterum scriptorum silentio nonnulli eo vehementius dubitant, quod certo sciamus nullam adversus Christianos persequutionem sub Vespasiano fuisse. Atenim quem præter, nulla etiam vigente persecutione, Christianos sæpe, Gentilium furore, aut insidiis martyrium consumasse; Quamobrem cum a Romano Martyrologio, Usuardo, Adone, aliisque probabilibus monumentis Linus inter Martyres recenseatur, istis quidem adsentiendum omnino videtur: accedit præterea antiquissimi Missæ Canonis auctoritas, quo Lini nomen hodiedum legitur; Constat porro non nisi Martyrum nomina in Liturgiis antiquitus describi consuevisse. Lini nomine inscripta circumferuntur acta passionis Petri, & Pauli; quæ cum erroribus scateant, inter Apocrypha recensentur. Ejusdem furfuris erat Historia altercationis Petri cum Simone Mago, quæ periit; neque meliora sunt, quæ de Lini gestis adversus Menandrum, ejusque errores leguntur in Prædestinato, quem edidit Sirmondus.

Trithem. de Vir. illustr. & Sixtus Sen. Bibl. Sacr.

An Anacletus Clementi sit præferendus.

2. Quod autem Anacletum Lino successisse diximus, veterum testimoniis comprobatur. Id enim uno ore Græci testantur, Irenæus, Eusebius, Epiphanius, & inter Latinos Hieronymus, Rufinus, aliique. Hinc etsi Clementem Anacleto præferant Optatus, & Augustinus, merito tamen aliorum sententia prævalet, quam & Romanæ Ecclesiæ auctoritas confirmat; siquidem in Missæ Canone, quem jure Baronius adnotavit ex antiquis Dyptichis confectum fuisse, primorum temporum Pontifices hoc ordine quotidie commemorantur *Lini*, *Cleti*, *Clementis*.

Baron. 69. 42. Tillem. tom. 2. pag. 555.

Utrum Cletus, & Anacletus diversi sint.

3. Enim vero unum eundemque Pontificem Cletum, & Anacletum dictum fuisse, quod etiam paullo ante affirmavimus, id falsum omnino plures existimant, contendumque Cletum, & Anacletum duos inter se diversos Pontifices fuisse, quorum prior Clementem præcesserit, alter vero eidem in Romano Pontificatu successerit. Ita sentiunt Baronius, Bollandus, Pagi, aliique; quibus Bucherianus Catalogus favet, qui Cletum ab Anacleto distinguit, quod facit & vetus Auctor carminum adversus Marcionem. Nobis tamen contraria sententia præferenda videtur, utpote quæ, Bollando teste, veteribus magis congruat. Et sane antiquissimus, idemque gravissimus

mus auctor Irenæus, qui Romæ fuit, Anacletum tantum inter Romanos Pontifices recenset; *Lino successit Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens. Huic autem Clementi succedit Evaristus, Evaristo Alexander.* Irenæo consentit Cajus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, cujus hæc verba recitat Eusebius: *Prædicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romanæ Urbis Episcopus fuit*. Si enim Cletus alius ab Anacleto fuisset, non tertium decimum a Petro, sed decimum quartum Victorem Cajus dixisset. Neque aliter scripsit Cyprianus, ubi Hyginum Pontificem nonum ordine fuisse asserit; quem secus decimo loco numerare oportuisset. His adde Eusebium, & Epiphanium, qui cum Cletum inter Romanos Pontifices recenseant, de Anacleti prorsus silent. *Ista est Romanorum Pontificum successio, Linus, & Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander*; Præterea Latini passim scriptores, ubi de Romanorum Pontificum successione differunt, Anacletum tantum, aut Cletum memorant, quamvis Clementem interdum Anacleto præponant. *Lino successit Clemens*, ait Optatus, *Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus*. Similia habent Augustinus, & Hieronymus, qui Cletum modo pro Anacleto scribit. Plures denique Romanorum Pontificum catalogi a Mabillonio, & Blanchinio editi, vel Cletum tantum, vel Anacletum meminerunt. Cum itaque tot tantisque veteris ævi testimoniis constet unum, eumdemque Pontificem Cletum, & Anacletum fuisse, quisquam non istis potius, quam Bucheriani catalogo, vel ignoto auctori carminum contra Marcionem fidem adhibendam existimabit? Hos certe Irenæo, Cypriano, Eusebio, aliisque summa auctoritate Scriptoribus, monumentisque præferendos numquam putabimus. Pro uno igitur eodemque Pontifice habeantur Cletus & Anacletus, vel uti quidam nominant Anencletus, tum ob veterum auctoritatem, tum ne primorum Pontificum chronologia quammaxime perturbetur, quod quidem ab iis factum videmus, qui Cletum ab Anacleto distinguendum esse judicarunt.

Bell. app. Chr. hyslor. Rom. Pont. Tillem. to. 2. p. 555. not. 5. in Clem. Cotel. not. in Const. Apost. Halloix. in Iren. Valef. in Euseb. Nat. Alex. in hist. Basnag. an. 78. Dodwell. Pearf. &c. Iren. lib. 1. c. 28. & lib. 3. 3. Euseb. lib. 5. 28. Cyprian. epist. 74. Optat. lib. 2. contra Parm. Aug. epist. 53. Hier. de vir. Illust. in Clementem c. 15. Mabill. de re diplom. & Anacleti. tom. 3. tom. 1. Anast.

Anacletus tantum, sive Cletus admittendus est.

4. Tito Cæsare sextum hoc anno Consule Plinius Naturalem Historiam absolvit, eidemque dicavit, uti ex Præfatione cognoscimus: *Sciantque omnes, quod ex æquo tecum vivat Imperium, Triumphalis, & Censoris tu, sextumque Consul, ac Tribuniciæ potestatis particeps &c.*

Plinius opus Hist. nat. Tito dicat.

JESU CHR. AN. 78.

JESU CHRISTI AN. 78. ANACLETI PAPÆ 2.
VESPASIANI IMPERATORIS 10.
COSS. L. CEJONIO COMMODO, ET NOVIO PRISCO.
OLYMP. 214. AN. 2. URBIS AN. 83

Sabini obitus. *Dio lib. 66. Tacitus Hist. lib. 4. Plutarc. in Amatorio.*

1. Sabini mors Vespasiano Imperatori (si fides Dioni) aliqualem crudelitatis labem aspersit. Hic cum Imperio rebellasset seque Cæsarem dixisset, prælio victus, ut *famam*, inquit Tacitus, *exitii sui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit, illicque voluntaria morte interiisse creditus*. Ibidem tamen in subterraneo specu cum Peponila vel Empona uxore vitam diu traduxit, donec hoc tandem anno detectus agnitusque Romam perductus est cum uxore, quæ ipsum incolumem servaverat, & filiis, quos in spelunca susceperat. Itaque cum ad Vespasianum simul omnes adducti fuissent, Peponila ad captandam misericordiam eidem filios suos proposuit, &: *Ego* inquit *Cæsar hos in monumento peperi, aluique, ut plures tibi supplices essemus*. Hac oratione Vespasiano, ceterisque qui aderant, excivit quidem lacrymas, sed veniam non obtinuit; hinc desperata salute postquam Imperatori dixisset: *Suavius sibi fuisse in tenebris, & sub terra vivere, quam ipsum videre imperio potiri*, una cum viro & ipsa occubuit. Sabini filiorum unus in Ægypto obiit; alter vero Delphis usque ad obitum cum Plutarcho fuit.

JESU CHRISTI AN. 79. ANACLETI PAPÆ 3.
TITI IMPERATORIS 1. COSS. VESPAS. AUG. IX.
ET TITO CÆSARE VII.
OLYMP. 214. AN. 3. URBIS AN. 832.

In Vespasianum conjuratio detegitur. *Dio lib. 66. Sueton. in Tit.*

1. Interea Cæcina, & Marcellus, quos Vespasianus sibi amicissimos esse arbitrabatur, summisque auxerat honoribus, in eum conjurarunt. Verum patefacta conjuratione, Titus Cæcinam vocavit ad cænam, ac vix dum triclinio egressum confodi jussit. Marcellus autem judicatus in Senatu, damnatusque, guttur sibi novacula præcidit.

Vespasiani obitus, cui Titus succedit.

2. Conjuratorum insidias vix evaserat Vespasianus, cum febribus & intestinorum vitio exstinctus est. Affecta valetudine, Sabinorum aquas, quæ Cutiliæ appellabantur, ac Reati-
na

na rura, ubi æstivare quotannis solebat, petiit, hicque cum immoderato frigidæ aquæ usu intestina vitiasset; nihil tamen de quotidiana victus ratione immutavit, & muneribus Imperatoriis ex consuetudine fungebatur; de quo cum increparetur a medicis, respondit, Imperatorem stantem mori oportere. Sed tandem alvo repente usque ad defectionem soluta, extinctus est VIII. Kal. Julii annum agens ætatis sexagesimum ac nonum, *superque* inquit Suetonius, *mensem ac diem septimum*. Regnavit *Annos X. sex diebus exceptis* juxta Dionem, qui ejus Imperium auspicatur a die prima Julii A.69., quo primum Imperator salutatus fuit; alii contra, qui Regni initia repetenda ducunt a die, qua ei Exercitus in Judæa Imperium detulerunt, annos IX. M. XI. & Dies aliquot tantum imperasse scribunt.

Sueton. in Vespas. *Dio lib.66.*

Euseb. in Chron. Cassiodor; Clemens Alexandrinus.

3. Vespasiano extincto, Titus ejus filius, nullo adversante, solus Imperium obtinuit; quod per plures annos, communicata sibi a patre Cæsarea, & Tribunitia potestate, jam administraverat, tenuitque per annos duos, menses totidem, dies viginti quinque: *Ex quo tempore*, Dione teste, *Principatum solus obtinuit, nec cædes fecit, nec amoribus inservüt; sed comis, quamvis insidiis peteretur, & continens, Berenice licet in urbem reversa, fuit*. Beneficia a superioribus Principibus concessa primus omnia uno dicto confirmavit, nec quemquam unquam sine spe dimisit. Quin admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam præstare posset, *non oportere*, ait, *quemquam a sermone Principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem meritoque laudatam vocem edidit*: *Amici, diem perdidi*. Quod præclarissimum certe Titi dictum vehementer admirans S. Hieronymus: *Breve est*, inquit *vitæ istius curriculum. Hoc ipsum quod loquor, quod dico, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi, aut crescit, aut deperit. Titus Filius Vespasiani, qui in ultionem Dominici Sanguinis subversis Hierosolymis, Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, ut, cum quadam nocte sero recordaretur in cœna, quod nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis*: *Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die Judicii? Quod si hoc ille sine Evangelio, sine Salvatore, & Apostolo-*

Titus Imperator; ejus clementia.

Dio ubi supra

Suetonius in Tito.

De Titi moribus.

Hier. comm. in Epist. ad Gal. cap.6.

JESU CHR. AN. 79. *stolorum doctrina naturaliter & dixit, & fecit; quid nos oportet facere?*

De horrenda Vesuvii eruptione. *Dio lib. 66.*

4. Sub autumni tempus hoc anno Vesuvius in Campania usque adeo conflagravit, ut si Dioni fides, *plerique crederent, aut Mundum in Chaos redigi, aut igne consumi; Tanta* porro, eodem Dione teste, *erat copia cineris, ut terram, mareque, atque adeo ipsum aerem compleret. Quæ res multa damna, ut cuique sors tulit, importavit, non solum hominibus, prædiisque, ac pecoribus; sed etiam pisces, volucresque omnes peremit; duasque integras urbes, Herculanum, & Pompejos, populo sedente in theatro, penitus obruit. Postremo tantus fuit cinis, ut inde pervenerit in Africam, Syriam, & Ægyptum, introieritque Romam, ejusque ærem compleverit, & Solem obscuraverit. Id Romæ accidit paucis post diebus, cum omnes ignorarent id, quod factum erat in Campania, nec quid esset, conjectura assequi possent. Itaque etiam ii putare cœperunt omnia sursum deorsum ferri, solemque in terram cadere, aut terram in Cœlum conscendere. Quamquam autem is cinis non tunc statim attulit gravia incommoda populo Romano, tamen postea morbum pestilentem, & gravem immisit.* Hæc Dio, quibus similia ferme refert Marcellinus Comes aliam Vesuvii conflagrationem memorans, quæ contigit anno Dionysiano 472. Marciano, & Festo Coss. indict. X. Affirmat enim cineres Constantinopolim usque pervenisse. *Vesuvius mons Campaniæ torridus, intestinis ignibus æstuans, exusta evomit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexuit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Bizantii annue celebrant VIII. idus Novemb.*

De Plinii senioris obitu. *Plinius Jun. Ep. 16. lib. 6.*

5. In ea Campaniæ clade Plinius Senior occidit. Etenim cum Missenio esset, classemque imperio præsens regeret, deductis Quadriremibus Stabias usque ad Pomponianum ejus amicum properavit, tum ut propius incendium conspiceret, tum ut egentibus auxilium ferret. Verum Sulfuris fœtore & crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi natura invalidus & angustus, & frequenter interæstuans erat, misere periit.

Ignes erumpentes dati in signum ignis æterni. *Tertull. apol.*

6. Hujusmodi ignes e montibus erumpentes in testimonium ignis æterni, quo impii puniendi sunt, datos a Deo, veterum plurimi tradiderunt: *Noverunt & Philosophi*, inquit Tertullianus, *diversitatem arcani, & publici ignis, ita longe alius*

alius est, qui usu humano, alius qui judicio Dei apparet, sive de Cælo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit, quod exurit, sed dum erogat, reparat, adeo manent montes semper ardentes, & qui de Cælo tangitur salvus est, ut nullo jam igni decinerescat. Et erit testimonium ignis æterni hoc exemplum jugis judicii pœnam nutrientis. Montes uruntur, & durant: quid nocentes & Dei hostes? Præterea Minutius Felix de gehennæ ignis incendio in Octavio differens hæc in eamdem rem habet: *Illic sapiens ignis membra urit, & reficit, carpit, & nutrit: sicut ignes fulminum corpora tangunt, & absumunt: sicut ignes Ethnæ, & Vesuvii montis, & ardentium ubique terrarum, flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* JESU CHR. AN. 79.

JESU CHRISTI AN. 80. ANACLETI PAPÆ 4.
TITI IMP. 2. COSS. TITO AUG. VIII.
ET DOMITIANO CÆSARE VII.
OLYMP. 214. AN. 4. URBIS AN. 833.

1. Quamquam Curatores sublevandis Campaniæ calamitatibus e Consularium numero Titus misisset: data pecunia, eaque insuper attributa, quam reliquissent qui sine hæredibus mortui essent; Illuc tamen & ipse hoc anno profectus est, ut præsens opem afferret. Verum quo tempore Titus in Campania versabatur incendium Romæ accidit, quo per triduum, totidemque noctes plurima ædificia consumpta sunt: *Anno sequenti*, inquit Dio, *Tito ad visendam calamitatem Campaniæ profecto, multa Romæ conflagrarunt. Quod incendium tamen non extiterat in terra: Nam Serapium, Septa, Isium, Templum Neptuni, Balnea Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, Theatrum Galbæ, Scena Pompeji, Octaviana Ædificia una cum libris, Templum Jovis Capitolini cum proximis templis igne consumpta sunt: ita id malum divinum potius, quam humanum fuit. Licet enim ex his, quæ commemoravi, cetera, quæ eo incendio perierunt, conjicere.* Itaque Titus in hoc Urbis incendio nihil nisi sibi publice periisse testatus, non modo privatum ærarium in publicis privatisque ædificiis restituendis hausit; sed cuncta Prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis desti- Titi munificentia. Urbs igne vastatur. *Sueton. in Tito. Dio lib.66.* *Sueton. ibid.*

Jesu Chr. An. 80.

Pestis Romæ grassatur.

Tom. 8. S. Hieron.

Eusebius in Chron. p. 681.

destinavit, præposuitque complures ex equestri ordine, ut quæque maturius peragerentur.

2. His accessit pestilentia, quæ usque adeo in Urbe sævijt, ut per plures dies decem millia hominum sepulturæ mandarentur, teste Eusebio in Chronico; *Lues ingens Romæ facta, ita ut per multos dies in Ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.* Hæc Eusebius, cui congruunt Dio, Suetonius, Aurelius victor, aliique spectatæ fidei scriptores, qui maximam fuisse cladem affirmant.

Dei judicia inscrutabilia.

3. Quamobrem quis quæso hæc attento agitans animo (inquit Baronius) non obstupescat ad inscrutabilia Dei judicia, cum sub optimo Principe peste, & incendio intus, forisque Urbs, & finitimæ regiones adeo fuerint afflictæ, contra vero sub impiissimis aliquando Principibus, ut Cajo Calligulæ contigit, bonis omnibus Urbs, & Respublica abundaverit? Sed cur tam contrariæ vices? illius solum est nosse, de quo in Psalmo dicitur: *Terribilis in consiliis super filios hominum*; & ut ait Apostolus; *Judicia Dei abyssus multa, & quis consiliarius ejus fuit, aut dicere potest cur fecisti sic?* Quod utinam semper Baronius præ oculis habuisset! non enim publicæ felicitatis, vel calamitatis causas adeo sollicite quæsiisset ex religione servata, vel contempta, aut ex bonis, vel pravis inductis moribus.

Dedicatio Amphiteatri, seu Colossei.

Suet. cap. 8. Dio ibidem.

4. Hoc anno & Amphiteatrum Titus dedicavit, quod *Colosseum* vulgo dicimus; opus revera omnium maximum, uti ejus ruinæ adhuc testantur; & Thermas juxta celeriter extructas. Percentum dies omnis generis spectacula ob hujusmodi dedicationem edita sunt, & innumera ferme dona populo largita, jactis in Theatrum tesseris, in quibus scripta erat nota alicujus esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumque, & jumentorum, & pecudum, ac mancipiorum; quas qui rapuisset, attulissetque ad dispensatores Titi, quod inscriptum erat, consequebatur.

JESU

JESU CHRISTI AN. 81. ANACLETI PAPÆ 5.
DOMITIANI IMP. 1. COSS. L. FLAVIO SILVANO
NONNIO BASSO ASINIO,
ET POLLIONE VERRUCONE.
OLYMP. 215. AN. 1. URBIS AN. 834.

1. De nomine Consulum ineuntis anni diffident eruditi: Sextum Aunium Silvanum, & T. Verum Pollionem Consules fuisse, ex Gruteriana inscriptione post Novisium affirmat Pagius. At ex aliis inscriptionibus L. Flavium Silvam Nonnium Bassum, & Asinium Pollionem Verruconem Fastis nomen dedisse contendunt Muratorius, Blanchinus, Georgius, aliique. His itaque Coss. Titus, inter Imperatores, quotquot antea vel post ex Gentilibus fuerunt, optimus, in eadem, qua Pater villa summo omnium dolore excessit *idibus Septembris, post biennium, ac menses duos, diesque viginti, quam successerat Patri, altero & quadragesimo ætatis anno*. Fama fuit Domitianum fratrem ei mortem attulisse, præsertim quod ei clam palamque insidias antea struxerat; alii morbo extinctum tradiderunt; eo certo adhuc vivo, Dione teste, Domitianus Romam venit, ingressusque in Castra nomen & potentiam Imperatoris accepit deditque militibus quantum eis frater dederat. Natura sævus, ingenioque ferox & vafer erat Domitianus, nec officiis unquam aut beneficiis illum Titus demereri potuit; vel precibus lacrymisque assequi, ut ad mores corrigendos adduceret. Natus anno Christi 51. nono Kal. Novembr. annum ætatis trigesimum agebat cum fratri succesit; imperavitque per annos quindecim, usque ad annum 95. quo occisus est, uti suo loco videbimus. Imperii tamen initia optimis illustravit moribus, legibusque. Namque inter cetera vetuit, ne quis in posterum intra fines Romani Imperii castraretur; & Spadonum, qui residui apud Mangones erant, pretia moderatus est. Hanc legem memorat & Suetonius, commendatque mirifice Ammianus. Addit etiam, legem Julium de adulteriis restituisse, & gravissimis pœnis affecisse nobiles potissimum fœminas, quæ pudicitiæ violatæ convincerentur. Probrosis vero lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata, & hæreditates. Hinc illa Martialis:

Titi Imp. obitus, cui Domitianus succedit.

Pagi epist. cess. & ad hunc annum.

Suet. in Tito.

Aurelius victor in Brev. Dio lib. 66. in fine.

Dio lib. 67. Suet. in Domit.

Mart. epig. lib. 6. epig. 9.

Jesu Chr. an. 81.

Lusus erat sacrae connubia fallere tedae,
Lusus, & immeritos execuisse mares.
Utraque tu prohibes, Caesar populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec moechus erit te praeside quisquam;
At prius, o mores! & spado moechus erat.

Domitianus vindex pudicitiae.

His quidem latis legibus publicae honestati consuli vehementer poterat, & alia prorsus morum facies in Urbem adduci; cum praesertim plerique perspecta Principis feracitate quidquam sibi ab eo timendum plane cognoscerent. Quare idem qui supra Martialis:

Plusque tibi debet Roma, pudica quod est.

Atenim cum haec agerentur non amore virtutis, sed poenae timore; & vel ipse legum lator turpissimis esset moribus; propterea fictam tantum pudicitiae speciem inductam fuisse affirmat Juvenalis, qui his vixit temporibus, & secunda satyra Urbis turpissimas effusasque libidines insectatur.

JESU CHRISTI an. 82. Anacleti Papae 6.
Domitiani Imp. 2. Coss. Domitiano Aug. VIII.
Et Tito Flavio Sabino.
Olympiad. 215. an. 2. Urbis an. 835.

Domitianus uxorem repudiat, incesto se maculat. Suet. in Domit.

1. Quam anno Christi 70. uxorem duxerat Domitiam Longinam Domitianus postea repudiavit. Rem ita Suetonius memorat: *Uxorem suam Domitiam, ex qua in octavo suo Consulatu filium tulerat, alteroque anno ab hoc Consulatu filiam, Augustam eamdem, Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit, intraque breve tempus impatiens dissidii, quasi efflagitante populo, reduxit.* Deinde occiso Paride histrione, & Domitia expulsa, *palam cum fratris sui filia Julia, tamquam cum uxore*, ut ait Dio, *vivebat*. Atque haec Domitianus agebat quo tempore suis legibus castimoniae, ac pudicitiae vindex acerrimus forte videri poterat; namque in Virginum etiam Vestalium Incesta severissime animadvertit: *Incesta Vestalium*, inquit Suetonius, *Virginum a patre quoque suo, & fratre negle-*

Dio lib.67.

Suet. in Domit.

neglecta, varie & severe coercuit. Nam cum Ocellatis sororibus, item Veronillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresque earum relegasset, mox Corneliam maximam, absolutam olim, dein longo intervallo repetitam, atque convictam defodi imperavit Domitianus. Has Virgines a Domitiano damnatas alio nomine appellat Plutarchus, Æmiliam scilicet, Liciniam, & Martiam; hinc bis Domitianum in Vestales animadvertisse, nonnulli contendunt, quod aliis disputandum relinquimus.

Plutar. quæst. resp. 284.

JESU CHRISTI AN. 83. ANACLETI PAPÆ 7.
DOMITIANI IMP. 3. COSS. DOMIT. AUG. IX.,
ET Q. PETILIO RUFO II.
OLYMPIAD. 215. AN. 3. URBIS AN. 836.

1. Dum Julius Agricola in Britannia adversus Barbaros bellum gereret, eam insulam esse ex Navium circuitu deprehendit; de quo, & de bello ibidem per plures annos a Romanis gesto, multa habentur apud Dionem aliosque. Quod vero ad Res Ecclesiasticas pertinet, quum ea tantum afferre statuerimus, quæ certæ, probatæque fidei sint; Idcirco plurima vel apocrypha, vel dubia, quibus Annalium moles augeretur, consulto omittimus, quod eruditis Lectoribus non injucundum fore arbitramur.

Britannia Insula cognoscitur.

JESU CHRISTI AN. 84. ANACLETI PAPÆ 8.
DOMITIANI IMP. 4. COSS. DOMIT. AUG. X.,
ET APPIO SABINO.
OLYMPIAD. 215. AN. 4. URBIS AN. 837.

1. Quis in Consulatu Domitiano collega fuerit, disputant eruditi; sunt enim qui Oppium dicunt, alii contra Appium appellant, de quo adeat qui velit fastorum illustratores; namque satius ducimus in his minime immorari.

Quis Domitiani socius in consulatu fuerit.

Pag. Noris. Marsi.

2. Hoc anno, juxta Eusebii chronologiam, mortuo Aniano Patriarcha Alexandrino, qui eam Ecclesiam per annos 22. sanctissime rexerat; ab anno scilicet 68., Neronis octavo, ad labentem; Avilius successor creatus, qui eam Sedem per annos 13. obtinuit: *Secundus Alexandrinæ Ecclesiæ constituitur Episcopus Avilius, qui præfuit annis 13.* Hæc Eusebius anno

Mors S. Aniani Alexand. Episc. cui Avilius succedit.

Chr. pag. 665.

Jesu Chr. an. 84.

Renad. Hist. Patriarch. Alexand. p. 12.

no 4. Olympiadis 215., qui labenti respondet, in Historia vero: *hujus anno quarto* (ideft Domitiani) *primus Alexandrinorum Ecclesiæ Episcopus Ananus duobus, & viginti annis exactis abiit e vita, cui secundus ordine successit Avilius*. Dicit porro Avilium secundum Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcham post Marcum, quemadmodum Anianum primum dixerat. De Aniano Severus, Eutychius, & Elmacinus tradunt, ipsum arte sutorem fuisse, & a S. Marco ad fidem conversum, atque Alexandrinorum Episcopum ordinatum eamdem Ecclesiam fidelium numero plurimum auxisse; Ejus memoria die 25. Aprilis in Romano Martyrologio celebratur; Apud Orientales vero diversis diebus, uti videre est apud Renaudotium.

Hist. Patriarch. Alexand. apud Seld. & apud Renaudot.

Polycarpus creatur Episcopus.

3. Per hæc tempora Polycarpus Smyrnæ Episcopatum suscepit, vel saltem Christianam fidem amplexus est. Namque de alterutro ejus ad Proconsulem verba necessario explicanda sunt: *sex & octoginta annos continuos Christo ministravi, nec me ulla unquam affecit injuria*. Hæc de vitæ spatio intellexerunt Chronicon Alexandrinum, & Gregorius Turonensis; inter Recentiores vero Pearsonius; sed minus fortasse vero: Non enim constat, Polycarpum a prima usque ætate Christo dicatum fuisse, ut posset affirmare se per annos octoginta sex ætatis suæ Christo semper ministrasse; neque rursus de primæva ætate, qua Christi nulla notio habetur, aut haberi potest, recte dicitur, aliquem Christo ministrare. Vero itaque nobis videtur similius Polycarpum allatis verbis vitæ cursum, quo Christo inserviit designasse, ita ut, etsi adultus Christo crediderit, nihilominus per annos octoginta sex Christo ministraverit; quorum plurimos, aut forsitan etiam integros in Episcopatu transegerit; quod potissimum, nostra quidem sententia, indicat verbum *ministrare*, quo Ecclesiasticum officium designatur. Cum porro ex Irenæo sciamus Polycarpum ad grandævam usque ætatem paucis communem pervenisse, haud sane mirandum, tot ipsum annos in Episcopatu vixisse: *Polycarpus vir, qui non solum ab Apostolis eruditus, & cum multis, qui Dominum viderant familiariter versatus, verum etiam in Asia Smirnensi Ecclesiæ ab ipsis Apostolis ordinatus est Episcopus, quem quoque adolescentes vidimus, vixit enim diutissime, & in ultima senectute, summa cum gloria, illustre perpessus martyrium e vita excessit*. Quæ Irenæi verba decrepitam omnino Polycarpi ætatem denotant; ita ut vel Simeonis Hie-

Greg. Turon. hist. Franc. lib. 1. 28.
Pearson. de Rom. Pont. dissert. 2. cap. 15. pag. 283.

Usser. Halloix Tillem. not. v. in Polycarp. Coteler. not. in Acta Polycarp

Apud Euseb. lib. 4. cap. 14.

Hierosolymitani ætatem æquaverit, qui centum viginti annos natus, Cruci affixus est, vel Narcisi, de quo Alexander Hierosolymitanus in sua ad Antinoitas Epistola: *Salutat vos*, inquit, *Narcissus, annos natus centum sexdecim*.

4. Domitianus expeditione in Cattos, belligeros Germaniæ populos, suscepta, quamquam nec hostem vidisset, pacemque statim iniisset; de iis tamen, veluti victis, & profligatis, triumphum egit anno sequenti, & nomen inde Germanici assumpsit; de quibus plura apud Suetonium, & Statium videri possunt.

Domitiani expeditio, & victoriæ. *Sueton. in Domit. lib. 67. Statius de Cattico triumpho lib. 1.*

JESU CHRISTI AN. 85. ANACLETI PAPÆ 9.
DOMITIANI IMP. 5. COSS. DOMIT. AUG. XI.,
ET AURELIO FULVIO.
OLYMPIAD. 216. AN. 1, URBIS AN. 838.

1. Britanniæ insulam industria, & virtute sua, devictis Barbaris, Imperio subjugaverat Publius Agricola; sed ejus fortunæ invidens Domitianus, postquam triumphalia ornamenta ei a Senatu decerni jussit, ab Insula revocavit, & Successorem Salustium Lucullum dedit. Itaque Agricola Romam rediens, ad Imperatoris invidiam declinandam, vitandamque occurrentium frequentiam, noctu in Urbem, & in Palatium venit; nulloque honore a Domitiano exceptus, privatus postea vixit, uti pluribus refert Tacitus.

Lucullus Agricolæ successor datur in Britanniæ administratione. *Tacit. in vita Agricolæ.*

JESU CHRISTI AN. 86. ANACLETI PAPÆ 10.
DOMITIANI IMP. 6. COSS. DOMIT. AUG. 12.
ET CORNELIO DOLASELLA.
OLYMP. 216. AN. 1. URBIS AN. 838.

1. Maximam huic Anno celebritatem attulerunt Capitolini quinquennales ludi, quos Domitianus instituit: *Rursus tamen*, inquit Censonius, *annus idem magnus per Capitolinos Agones cœptus est diligentius servari, quorum Agonum primus a Domitiano institutus fuit duodecimo ejus, & Servii Cornelii Dolabellæ consulatu. Itaque hoc nunc anno, qui celebratus est, Agon undequadragesimus numeratur*. Quæ porro fuerit hujusmodi ludorum ratio, explicat Suetonius: *Instituit & quinquennale certamen Jovi Capitolino triplex, Musicum, Eque-*

Domitianus Capitolinos Quinquennales ludos instituit. *Sueton. in Domit.*

Jesu Chr. an. 86. *Equestre, Gymnicum, & aliquanto plurium quam nunc est Coronarum. Certabant etiam & prosa oratione Græce latineque; ac præter citharoedos, chorocitharistæ quoque, & psilocitharistæ; in stadio vero cursu etiam Virgines. Certamini præsedit crepidatus, purpuraque amictus toga germanica, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis, ac Junonis Minervæque, assidentibus Diali Sacerdote, & Collegio Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago.* Græcorum gloriam æmulari visus est Domitianus; perinde enim atque Olympiades in Græcia Capitolinos Agones, quinto quoque redeunte anno, ultimis ludis inclusis, magna frequentia in urbe celebrari decrevit, & Annos in posterum exinde numerari.

Antonini ortus.

2 Insignem quoque annum fecit Antonini Pii nativitas, qui 13. Kal. Octobris natus est in Villa Lanuvina: Parentum Genus ex Gallia Transalpina: Pater Aurelius Fulvus, qui & Consul fuit, vir bonus, & integer: mater Arria Fadilla.

JESU CHRISTI AN. 87. ANACLETI PAPÆ II.
DOMITIANI IMP. 7. COSS. DOMIT. AUG. XIII.,
ET A. VOLUSTO SATURNINO.
OLYMP. 216. AN. 3. URBIS AN. 840.

Domitianus ut Deus vult coli.
Suet. in Domit.
Eusebius in Chron. p. 683. tom. 8. Hieron.

1. Per hæc tempora eo progressa est Domitiani impietas, & superbia, ut *se Dominum, & Deum appellari jusserit*, Eusebio teste, quod & a Suetonio confirmatur. *Cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret Epistolam, sic cœpit: Dominus, & Deus noster sic fieri jubet; unde institutum post hæc, ut ne scripto quidem, ac sermone usquam appellaretur aliter.* Hinc Statius Domitiani adulator:

Statius Sylv. lib. 4. 3.
Mart. epigr. lib. 8.

En hic est Deus, hunc jubet beatis
Pro se Jupiter imperare terris;

Martialis vero memorat: *Edictum Domini, Deique nostri*. Divinos jam sibi honores usurpaverat Cajus Caligula, uti suo loco diximus; Quare Victor in Epitome: *Domitianus*, ait, *more Caligulæ dominum se, Deumque dici cœpit*. Deæque Virginis filius dici voluit, nempe Palladius; magnique criminis reus dicebatur quisque in dubium id revocasset, præ ceteris audiatur in hanc rem Philostratus: *Cur filius virginis*

Philostr. in vita. Apollon. Tyanei lib. 7.

nis dici voluit? numquid a Josepho Judæo ejus lateri inhærente suggestum ex oraculis Prophetarum, ita fore qui in perpetuum regnaturus esset Rex, quod antea suggesserat idem Josephus Vespasiano? Sane quidem Domitianum eamdem spem concepisse, ut quod Vespasianus fuerat consequutus, ipse acciperet: inde potest conjectura sumi, quod sicut ille, ita & iste inquiri fecit, si qui reliqui essent ex Familia David, ut suo loco dictum est. Inani igitur tali sublatus spe, divinum sibi adscivit honorem, ut Deus, & Virginis filius diceretur. Sed hæc omnia opportune de novo Deo contingebant; quo Christianis ad confutandam superstitionem Gentium de diis reliquis, novi Dei exemplo, quinam illi fuissent, certum patensque suppeteret argumentum. Hactenus Philostratus, qui memorat præterea, Domitianum ab Apollonio Tyaneo eousque contemptum fuisse, ut ne quidem præsentem in judicio respicere voluerit: *Cumque increparet superbiam ejus, juberetque omnium hominum Deum respicere, oculos ad culmen domus sustulit Apollonius, Jovem se respicere demonstrans*. Ceterum patiebatur Apollonius Dei nomen sibi deferri: Interroganti enim accusatori: *Cur te homines Deum appellant?* Respondit Apollonius: *Vir, qui bonus existimatur, tali cognomine honoratur*. Domitiani impietatem Deus ultus est armis Dacorum, seu Getarum; qui superatis Danubii ripis, victoque Romanorum Duce Sabino, Provincias devastarunt.

JESU CHR. AN. 87.

Jornand. de rebus Geticis cap. 13. Sueton. in Domit.

JESU CHRISTI AN. 88. ANACLETI PAPÆ 12.
DOMITIANI IMP. 8. COSS. DOMIT. AUG. XIV.
ET L. MINUCIO RUFO.
OLYMP. 216. AN. 4. URBIS AN. 841.

1. Sæculares Ludos celebravit hoc anno Domitianus: *Fecit & ludos Sæculares*, inquit Suetonius *computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime* (41. ab hinc anno) *sed quo olim Augustus ediderat*. Verum neque Claudius, neque Domitianus præfinitum tempus observarunt. Sæculares celebraverat Augustus anno Urbis 737. C. Furnio, & C. Silano Coss. ideoque nonnisi anno 847. illos iterum edere oportebat, post centum scilicet & decem annos, uti ex Zozimo & oraculo Sybillino intelligimus.

Domitianus Ludos sæculares celebrat. *Sueton. in Domit.*

JESU CHR. AN. 88.
Zozim. lib. 2. cap. 6.

Ast ubi mortalis longissima venerit ætas ;
Vitæ centenis denis redeuntibus annis ,
Sis Romane memor , nec te ulla oblivio fallat ,
Sis memor , ut facias diis immortalibus illo
Rem sacram in Campo .

Pag. ad an. Baron 93. not. 2. ad XI.

De hujusmodi ludis , eorumque ritibus , plura cupienti dabunt Pagius , & Samuel Basnagius .

Daci Romanos debellant Antonii rebellio.
Jornand. de rebus Get. cap. 13.
Mart. lib. 6. epigr. 76.

2. Sed quo tempore Sæcularium spectaculis vacabat Domitianus , Daci Romanos clade maxima affecerunt ; nam commissa pugna , Decebalus Dacorum Rex Romanum militem fugavit , Fuscum Ducem occidit , castra occupavit , ingentemque prædam ex Romanorum spoliis militibus suis distribuit . Fusco Epitaphium Martialis inscripsit . Præterea Antonius , qui Germaniam superiorem administrabat , adversus Domitianum rebellavit . Sed brevi a Lucio Maximo victus in ejus potestatem venit . De Antoniana clade exstat Martialis carmen lib. 4. Epigram. II.

JESU CHRISTI AN. 89. CLEMENTIS PAPÆ I.
DOMITIANI IMP. 9. COSS. T. AURELIO FULVIO II.
ET A. SEMPRONIO ARATINO
OLYMP. 217. AN. I. URBIS AN. 842.

Anacleti Pontificis obitus, cui succedit Clemens.
Euseb. in Chron. Hist. lib. 3. 15.

1. Exactis in Pontificatu annis duodecim , obiit hoc anno Anacletus , cui Clemens successit , de quo hæc Eusebius in Chronico : *Romanæ Ecclesiæ Episcopus tertius præfuit Clemens annis novem* . In historia vero : *Anno ejusdem Imperatoris (Domitiani) duodecimo , Anacletus , exactis in Episcopatu annis duodecim , successorem reliquit Clementem , quem quidem Paulus Apostolus in Epistola ad Philippenses scripta Adjutorem suum fuisse docet his verbis : Cum Clemente ,* inquit , *& cæteris adjutoribus meis , quorum nomina sunt in libro vitæ* . Adeo autem Anacleti obitum ad duodecimum Domitiani annum Eusebius refert , quod Petri , & Pauli martyrium ipse saltem biennio distulit : Quamquam , ut quod est fateamur , tot undique tenebris & difficultatibus involvitur priorum Pontificum Chronologia , ut frustra exactam ejus rationem quis forte desideret .

2. Quo

JESU CHR. AN. 89.

2. Quo mortis genere Anacletus, seu Cletus obierit, in incerto est. In Pontificali legitur: *Sepultus est in pace*; quæ verba ipsum naturali morte, non violenta excessisse indicare videntur; ejus tamen memoria inter Martyres recolitur non solum in Martyrologio Romano, sed & in Missæ canone, cujus maximam, & antiquitatem, & auctoritatem esse jam alibi observavimus. Hinc vix dubitamus, ipsum vel martyrio vitam finiisse, vel pro Christi fide multa perpessum; exindeque gloriam, & nomen Martyris obtinuisse.

Qua morte obierit Anacletus. *Anastas. in Anaclet. tom. I. Tillem. not. 4. in Clem. & p. 154.*

3. Anacleto, seu Cleto tres Epistolæ adscribuntur, quæ cum doctorum virorum judicio suppositițiæ sint, non est cur in iis immoremur. In Breviario quidem Romano die 26. Aprilis, qua S. Cleti memoria celebratur, hæc leguntur: *Primus in litteris illis verbis usus est: Salutem, & Apostolicam Benedictionem*. Mabillonius tamen adnotat Joannem V. & Sergium I. istiusmodi formula in suis rescriptis usos primo fuisse, nec ante Leonem **IX.**, vel Gregorium VII. in Roman. Pontif. Epistolis constanter adhibitam testatur Papebrochius in conatu chr. hist. Rom. Pontificum.

De Epistolis Anacleto suppositis.

Mabill. de re Diplom. Bolland. post mens. Majum.

4. Ubi Fusci cladem, interitumque Domitianus audivit, expeditionem in Dacos suscepit. At hostium cuneos ipse non vidit, sed per Julianum bellum vario marte peregit, pacemque Decebalo Dacorum duci tandem obtulit. Simulatæ tamen victoriæ triumphum ambivit; quam Domitiani vanitatem perstringens Plinius in Panegyrico Trajani, *Accipiet ergo* inquit *aliquando Capitolium non inanes currus, nec falsæ simulacra victoriæ, sed Imperatorem veram, ac solidam gloriam reportantem, pacem, tranquillitatem*. Hæc ingenue vereque Plinius. Contra Domitiani assentator Martialis ejus victorias & triumphum quammaxime celebrat:

Domitiani in Dacos secunda expeditio, & triumphus.

Dio lib. 67. Suet. in Domit. cap. 6. Plin. paneg. Trajani cap. 16.

Nunc hilares si quando mihi, nunc ludite Musæ
Victor ab Othyryso redditur Orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota December &c.

Jesu Chr. an. 90.

JESU CHRISTI AN. 90. CLEMENTIS PAPÆ 2.
DOMITIANI IMPERATORIS 10.
COSS. DOMIT. AUG. XV., ET M. COCCEJO NERVA II.
OLYMP. 217. AN. 2. URBIS AN. 843.

Domitianus menses Septembr. & Octobr. Germanicum, & Domitianum vocari jubet. Suet. in Domit. Dio lib. 67. Stat. lib. 2. 1. Mart. epigr. Lib. 9. 2.

1. Cum igitur duplicem de Germanis Dacisque triumphum egisset Domitianus, Germanici cognomine assumpto Septembrem mensem, & Octobrem ex appellationibus suis, *Germanicum Domitianumque* nominavit; quod altero suscepisset Imperium, altero natus esset. Quo sane alludit Statius ubi cecinit.

.... Nondum omnis honorem
Annus habet, cupiantque decem tua nomina menses;

Et Martialis.

Dum Janus hyemes, Domitianus autumnos
Augustus annis commodabit æstates &c.
Manebit altum Flaviæ decus gentis.

Macrob. Saturn. lib. 1. 12.

Periit tamen cum Domitiano ea mensium appellatio; Hinc illud Macrobii: *Mensis September principalem sui retinet appellationem, ex Germanici appellatione. Octobrem vero suo nomine Domitianus invaserat, sed ubi infaustum nomen ex omni ære, vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt.*

Domitianus Philosophos Urbe ejicit.

2. Sub hæc etiam tempora, teste Eusebio, *Domitianus Mathematicos, & Philosophos Romana Urbe pellit.* Apollonius vero Thyaneus Impostorum, Magorumque ea ætate celeberrimus in summum vitæ discrimen incidit: Etenim Romam sive sponte, sive jussus adveniens, & ab Æliano Urbis Præfecto familiariter comiterque exceptus, cum ad Domitianum perductus esset, eum coma, barbaque radi, & inter sceleratos vinciri jussit: Quo sane nihil molestius Philosopho accidere potuisse facile intelligimus ex Horatio tonsorem Damasippo Philosopho imprecante:

Horat. Satyr. lib. 1 3.

.... Dii te Damasippe, Deæque
Verum ob consilium donent Tonsore.

Apollonius, a Domitiano illusus, aufugit.

3. Apollonius itaque præcipuis Professionis insignibus per summam ignominiam exutus, suam denuo Causam Domitiano juben-

jubente egit: Postea vero, cum adhuc detineretur, invisibili modo evanuit, ac Puteolis repente apparuit, si Philostrato creditur; idest fabulatori, fabulas serio enarranti. At *credat Judæus Apella*.

Jesu Chr. an. 91.

JESU CHRISTI AN. 91. CLEMENTIS PAPÆ 3.
DOMITIANI IMP. 11. COSS. M. ULPIO TRAJANO,
ET M. ACILIO GLABRIONE
OLYMP. 217. AN. 3. URBIS AN. 844.

1. M. Ulpius Trajanus, qui Consul hoc anno processit, Imperator postea fuit; sed ejus Collega Acilius Glabrio dum adhuc Consulatu fungeretur, a Domitiano in Theatrum cum ferocissimo Leone pugnaturus immissus, cum inde illæsus evasisset, exilio damnatus fuit, & paucis post annis ejusdem jussu interfectus.

Acilius Glabrio in exilium ejicitur, non multo post occiditur *Dio in Domit. lib. 67.*

JESU CHRISTI AN. 92. CLEMENTIS PAPÆ 4.
DOMITIANI IMP. 12. COSS. DOMIT. AUG. XVI.
ET Q. VOLUSIO SATURNINO
OLYMP. 218. AN. 4. URBIS AN. 845.

1. Domitianus suscepta in Sarmatas expeditione eos adeo celeriter profligavit, ut Romam Januario mense sequentis anni redierit; ubi recusato Triumpho, Lauream tantum Jovi Capitolino obtulit, auctore Suetonio: *De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit*. Hanc Domitiani victoriam celebrat de more Martialis:

Domitiani in Sarmatas expeditio.

Martial. lib. 7. Ep. 5. & 7.

Rursus magnos clamat tibi Roma triumphos
Invectusque tua, Cæsar in Urbe sonas.
Sed jam lætitiæ, quo sit fiducia major,
Sarmaticæ, laurus nuncius ipse venit.

Et rursus Lib.8. Ep. 8. de Imperatoris in Urbem reditu:

Principium des Jane licet velocibus annis,
Et revoces vultu sæcula longa tuo.
Tu tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit Urbi
Mense tuo reducem, Jane, videre Deum

Eam

JESU CHR. Eam quoque memorat Statius.

AN. 92.
Statius lib.3. carm.3.

Hæc est, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem,
Quæ modo Marcomanos post horrida bella, vagosque
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.

De Herma, seu Pastore, & libris ejus. *Tillem. not.1. Herm.Tom.2. pag.519. Lib.1. Visione 2. Cotel. PP. Apost. tom.2. pag.78.*

2. Hermam, qui & Pastor dicitur, per hæc forte tempora suis Libris conscribendis vacasse conjectando assequimur. Principio enim ipse testatur, se mandatum accepisse de duobus libris scribendis, quorum alterum Clementi mitteret: *Mittet autem Clemens in exteras civitates, illi enim permissum est*; Hic porro Clementem Romanum hac ætate Pontificem indigitari, ad quem pro muneris sui ratione litteras Encyclicas in exteras civitates mittere pertinebat, ex eodem Herma cognoscimus, qui initio libri primi affirmat se Romæ educatum fuisse, Romæ revelationes habuisse, Romæ denique castigatum, quod mulierem in Tyberi lavantem vidisset, dataque manu e flumine eduxisset: Significat præterea severissimam in Christianos dum scriberet, persequutionem instasse: *Felices vos, quicumque sustinetis pressuram supervenientem magnam; & quicumque non negaverit vitam suam* (idest Christum) & iterum: *Ecce magna tribulatio venit.* Quod sane de Domitiani persequutione, quæ duobus post annis invaluit; intelligi oportere, manifeste declarant quæ de Clemente antea observavimus. Quamobrem falli eos quidem existimamus, qui de Neroniana, aut alia qualibet persequutione explicant, vel de Hierosolymitano excidio, cujus numquam toto libro Hermas meminit. Enim vero Hermam, vel Pastorem eumdem esse, cui Paulus, ad Romanos scribens, salutem dixerat his verbis: *salutate Hermam*, Eusebius, Hieronymus, aliique tradunt. Non itaque cum Hermete, aut Herme Pii Papæ primi fratre (quem auctor Pontificalis, & Catalogus Bucherianus produnt ex Angeli revelatione edidisse de celebrando Paschate die Dominico) confundi debet; quod præter recentiores nonnullos factum videmus ab antiquo sane auctore carminum adversus Marcionem, qui Tertulliano perperam inscribuntur: Namque Hermetem Pii Papæ fratrem Herma Pastor, de quo nunc agimus, integro ferme seculo præcessit.

Lib.1. cap.2.

Pag.77.

Dodwell. dissert. inter op. Pearf. p.158. 159. Carm. adversus Marcionem lib.3. Tillem. not.5. in Herm. pag. 521. tom. 2. Du-Pin in Herm. tom.1. Sæcul.1.

De auctoritate librorum Hermæ.

3. De auctoritate librorum Hermæ vehementer diffident cum

eum veteris, tum recentioris ævi Scriptores. Irenæus, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus adeo libros hujusmodi æstimarunt, ut in canonicorum numero habendos putaverint: Origenes vero, & Athanasius de canonica illorum auctoritate dubitarunt quidem; sed maximi faciendos esse statuerunt. Alii contra non modo pseudopigraphos, suppotititios, ab Hæreticis corruptos, & erroribus, anilibusque fabulis conspersos esse, sed Novatianorum, Pelagianorum, Arianorumque erroribus illos scatere contenderunt. Horum agmen ducere videtur Tertullianus, qui licet, cum inter Catholicos versaretur, Hermæ libros tantopere commendasset, postquam tamen ad Montanistarum castra defecit, eorumdem doctrinam apocrypham, falsam, adulteram, amatricem, patronam, & sociam mæchorum dixit, dignamque propterea, quæ ab universo Ecclesiarum cætu proscriberetur. Tertullianum Montanistarum deliriis insanientem sequuti postea sunt Hæreticorum plurimi Blastus, Coccus, Rivetus, aliique, qui, ne tantæ antiquitatis, summæquæ apud veteres auctoritatis libros suis erroribus adversari paterentur, eos infamandos prorsus rejiciendosque pro viribus susceperunt: Sed irrito sane conatu. Nam etsi canonicis scripturis accensendi non sint Hermæ libri, non minimam tamen inter Ecclesiasticos Scriptores auctoritatem sibi vel antiquitus vindicarunt: *quoniam vero Apostolus Paulus*, inquit Eusebius *in salutationibus illius, quæ sub finem epistolæ ad Romanos leguntur, inter ceteros mentionem facit Hermæ, cujus esse fertur liber, qui* Pastor *inscriptus est; sciendum est eum librum a nonnullis quidem in dubium esse revocatum, quamobrem inter receptæ auctoritatis libros censeri non potest; ab aliis vero maxime necessarius judicatur, iis præsertim, qui primis religionis nostræ rudimentis instituendi sunt; Unde etiam in Ecclesiis eum publice legi comperimus, & quosdam ex vetustissimis Scriptoribus ipsius testimonio usos fuisse; Atque hæc de discrimine scripturarum, quæ vel receptæ apud omnes auctoritatis, vel dubiæ, & vacillantis apud plerosque fidei habentur, hactenus dicta sint*. Similia ferme habet Hieronymus: *Hermas auctor libri, qui Pastor appellatur, apud quasdam Græciæ Ecclesias jam publice legitur. Revera utilis liber, multique de eo Scriptorum veterum usurpavere testimonia, sed apud Latinos pene ignotus est*. Hermæ libros Gelasius quidem inter apocryphos recensuit; verum quid aliud eo Decreto Romanus

Iren. adverf. hær. lib. 4. 3.
Clem. Alex Strom. lib. 1. 2. 4.
Orig. sæpe.
Athan. de Incarn. epist. Pasch. de Decret. Nicæn. Synodi

Euseb. lib. 3. 3.

Hier. de Vir. Illust. cap. 10.

JESU CHR. AN. 92.

nus Pontifex voluit, nisi Hermam in canonicorum Scriptorum numero non esse habendum?

De divisione librorum Hermæ, eorumque doctrina.

4. Tres porro sunt Hermæ libri, quorum primus *Visionum* inscribitur; secundus *Mandatorum*; tertius *Similitudinum*. In primo mulier anus in veste splendida, quæ Ecclesiæ figuram gerebat, Hermam admonet, de turpibus, elatisque cogitationibus ab ipso diligentius vitandis, de coercenda uxoris loquacitate, deque liberis majori cura educandis; triumphantis præterea Ecclesiæ imaginem, variosque Electorum ordines, sicuti & reproborum exhibet. Denique ipsi in Campaniam proficiscenti instantem tentationem, & paullo post superventuram tribulationem prænunciat, persequutionem scilicet, qua Domitianus postea crudelissime in Christianos sævíit.

De Visionum libro.

De libro Mandatorum.

5. In Mandatorum libro Angelus, qui Pastoris habitu eidem apparuit, de fide in unum Deum Hermam instruit; tum de fugienda obtrectatione, eleemosyna facienda, mendacio vitando, & pravis cogitationibus, adulteraque uxore dimittenda, præcepta tradit. Rursus de duplici pœnitentia differit, una ante baptismum, post baptismum altera: *ut si quis tentatus fuerit a diabolo, & peccaverit, unam pœnitentiam habet. Si autem subinde peccet, & pœnitentiam agat, non proderit homini talia agenti. Difficile enim vivet Deo.* Quæ de unica post baptismum pœnitentia, licet duriora videantur, similia tamen sunt iis, quæ Apostolus de iis, qui post baptismum in peccata labuntur, edocet inquiens, *Impossibile est ad pœnitentiam rursus renovari*; Disciplinæ quoque consonant, quæ tum in Ecclesia obtinebat; ea enim ætate semel tantum publica pœnitentia fidelibus imponebatur. Porro non impossibile, sed difficile tantum Pastor dixit *vivere Deo*, qui post pœnitentiam in peccatum iterum relaberetur; quod & Tertullianus, Clemens Alex., Cyprianus de lapsis, aliique dixerunt, quos ad hunc Hermæ locum attulit Cotelerius. Mandato quinto ad animi æquanimitatem, & patientiam habendam hortatur; cap. 6. duos Angelos unicuique hominum adesse declarat, quorum alter, idest bonus Angelus, ad virtutem homines provocat, alter vero ex Apostaticis Angelis ad vitia, & interitum incitat; ideoque hortatur, ut malum vitet, & bonum faciat; juxta illud *Declina a malo, & fac bonum*. Orationibus vero continuo vacet, ac sine dubitatione petat,

Ad Heb. c. 6.

Tertull. de pœnit. cap. 7. 8. 9. Clem. Alex. lib. 2. Strom. PP. Apost. tom. 1. pag. 91.

petat, qui enim hæsitat in fide juxta Jacobi monitum *similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur, non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino*; Fugiendam quoque tristitiam, ac iracundiam, quæ Spiritum Sanctum a nobis repellit; Spiritus, & Prophetas ex operibus probandos; duasque cupiditates hominibus dominari tradit, malam unam, cujus mala sunt opera, ut superbia, luxuria, divitiarum, ciborumque inordinatus appetitus; bonam alteram, videlicet charitatem, cujus opera sancta, timor scilicet Dei, fides, veritas, ac justitia &c. *Jacob. Epist. cap. 1.*

6. In libro Similitudinum, Angelus Hermam admonet, ne putet, se in hoc Mundo habere civitatem, sed futuram esse inquirendam; terrenis idcirco rebus minime inhærendum. Deinde sub similitudine vitis, & ulmi, quæ sit eleemosynæ utilitas, exponit. Nam sicuti vitis ulmo fulcitur, ut fructum afferat, sic dives a paupere adjuvatur, cui eleemosynam erogat. Capite secundo, & tertio, homines arboribus comparantur, quæ cum hyberno tempore omnes aridæ videantur, quin de iis quidquam certi judicari possit; vere tamen adveniente quædam aridæ permanent, aliæ vero florescunt, foliisque ac fructibus exornantur; qua plane ratione vix in hoc seculo justi homines ab injustis dignosci possunt; sed futuro adveniente sæculo, tamquam instante vere justi florebunt in æternum; injusti autem, & peccatores sicuti aridæ arbores æternis ignibus damnabuntur. Rursus quid sit jejunium Deo acceptum, quæve stationes, ejusque apud Deum merces declaratur. De temporalibus, & æternis pœnis capite *6.* differitur; de vera pœnitentia, ejusque operibus cap. 7. Octavo vero Electorum differentia ostenditur, quorum unusquisque pro bonorum operum modo, & pœnitentiæ operibus diversam mercedem consequetur. Similitudinibus tandem nona, & decima multa habentur de militantis, ac triumphantis Ecclesiæ statu. Ecclesia militans ad instar Turris altissimæ lapidibus variis ædificatur; porta autem Dei Filius est, qui novissimis temporibus apparuit, per quem unusquisque ad Deum accedit. Lapidum varietas, quibus hæc Turris construitur, hominum multiplices conditiones exhibet, qui omnes pro Architecti arbitrio diversimode dolantur, cum per varias tribulationes, & tentationes oporteat in Regnum Dei introire; qui vero nigri permanent, aut scabrosi, aut scissuras habentes, aliave macu- *De libro Similitudinum, ejusque argumentis.*

Jesu Chr. An. 92. la aspersi ab eo ædificio rejiciuntur; quo symbolo ii sane designantur, qui susceptam fidem abnegarunt, vel schismata fecerunt, vel pravis vixerunt moribus, uti ibidem videre est. Cæterum etsi Hermæ libri nonnulla obscuriora, aut etiam duriora contineant, non ideo tamen spernendi sunt; secus enim & Justini, & Irenæi, & aliorum Patrum libros rejicere necesse esset: Sed juxta Apostoli monitum omnia probanda, quæ bona sunt, tenenda. Quamquam difficiliora Hermæ loca explicavit illustravitque doctissime Cotelerius.

JESU CHRISTI AN. 93. CLEMENTIS PAPÆ 5.
DOMITIANI IMP. 13. COSS. POMPEJO COLLEGA,
ET CORNELIO PRISCO
OLYMP. 218. AN. 1. URBIS 846.

Domitiani sævitia & nobilium virorum cædes. *Eusib. Chron. pag. 668. inter Hieron. op. t. 8. edit. Veron.*

1. Cum sævior in dies Domitianus evaderet, *multos*, ait Eusebius, *nobilium perdidit, quosdam in exilium misit*. Et sane Metium Pompusianum in Corsicam primum relegavit, deinde interficiendum jussit veluti affectati Imperii reum, quod Orbem Terrarum in parietibus cubiculi depictum haberet, & in Livii Historia regum conciones studiose legeret; Maternum Sophistam, quod orationem adversus tyrannos scripsisset, uti perduellem capite multavit: Rusticum Aulinum, propter philosophiæ studium, eodem supplicio damnavit: Senecionem etiam, cum post quæsturam nullum magistratum expetiisset, vitamque Helvidii Prisci conscripsisset, una cum Helvidio juniore, Sallustio Lucullo Britanniæ Legato, aliisque, levissimis de caussis interfecit. Denique *Compluresque alii*, ait Dio, *ex eadem caussa, quod Philosophiæ operam darent, occisi sunt, ceteris omnibus ex Urbe iterum pulsis*. Quin eo Domitiani sævitia progressa est, ut ipse reorum judiciis adesset, testes, accusatoresque interrogaret, crimina confingeret, reos audiret, eorum catenas suis ipse manibus coutrectaret, & quæstionibus, suppliciisque oblectaretur: *Præcipua*, inquit Tacitus, *sub Domitiano miseriarum pars erat, videre & aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus, & rubor, a quo se contra pudorem muniebat*.

Suet. in Domit. Dio lib. 77. *Tacitus in vita Agricolæ.*

Domitiani in Christianos persecutio quam sæva & longa fuerit.

2. Neque illustrium modo virorum sanguine Rempublicam fœdavit Domitianus; sed crudelissimam prætera in Christianos

stianos persequutionem concitavit, de qua ita Eusebius in Chronico ad hunc annum: *Secundus post Neronem Domitianus persequitur*. In historia vero luculentius: *Domitianus cum jam multa in multos crudelitatis suæ specimina edidisset, nec paucos nobilium, atque illustrium virorum urbis Romæ injuste interemisset, alios præterea innumerabiles summæ dignitatis viros licet insontes exilio, & bonorum proscriptione multasset, ad extremum Neronianæ impietatis, bellique, & odii adversus Deum successorem se ipsum professus est. Quippe hic secundus persequutionem in nos concitavit*. Sub Domitianei Imperii finem hæc contigisse, præter Eusebium indicant Tertullianus, atque Lactantius, sive Auctor de mortibus persecutorum: *Cum exerceret invisam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit diutissime, tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum tenderet. Postquam vero ad persequendum justum populum instinctu dæmonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas*. Hæc Lactantius; Tertullianus vero, *tentaverat*, inquit, *Domitianus portio Neronis de crudelitate, sed quia & homo facile cæptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat*. Dodwello tamen minime assentimur affirmanti Domitiani persequutionem *vix annum implere potuisse*, & Christianos exilio tantum fuisse multatos. Sed suis ipsum verbis loquentem audire præstat. *Tentavit itaque Domitianus, non gladio ferociit, relegavit confessos, non capitali, sed nec membrorum supplicio affecit, nec alii quam exules ex probis Ecclesiæ monumentis haberi possunt*; Hæc autem Brutii testimonio apud Eusebium evincere satagit, qui refert anno Domitiani decimoquinto & ultimo, Flavium Clementem, & Domitillam neptem, aliosque, ob Christi confessionem, in exilium actos fuisse. Hinc enim constare affirmat eo tantum anno motam, atque subito extinctam fuisse adversus Christianos persecutionem; quod & Tillemontius adprobat. Sed enim Ruinartius, Pagius, aliique plures jamdiu observarunt Brutii verbis nil aliud vere deduci posse, quam Domitiani persequutionem jam antea excitatam anno XV. maxime efferbuisse: Et quidem Eusebius, qui Brutium attente legerat, ejusque verba solus inter antiquos refert, biennium ante Domitillæ exilium persequutionis initia memorat; cui consentiunt Hieronymus, & auctor Chronici Alexandrini. Cruentam porro Domitiani persecutionem fuisse, vel ex solo Joannis Apostoli martyrio, de

JESU CHR. AN. 93.
Pag. 689. tom. 8. inter oper. Hier.
Euseb. lib. 3. 17.
Tertull. Apolog. 5.
Lactant. c. 3.
Dodwell. Dissert. Cypr. 11. Clericus A. 93.
Euseb. lib. 13. 18.
Till. not. 1. persq. Domit. to. 2. p. 522.
Ruinart. præf p. 30.
Pagi in an. 93. & 95.
Basnag. an. 93.
Hier. de Vir. illust. in Joan.

JESU CHR. AN. 93. de quo anno sequenti, constat; qui licet miraculo servatus, sententiam tamen exceperat capitalem. Per hæc quoque tempora Antipas apud Pergamum passus est, de cujus martyrio hæc in Apocalypsi leguntur: *In diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos*: Ejusdem meminit & Tertullianus in Scorpiaco. Furore populi martyrio affectum fuisse affirmat Dodwellus; sed quam falso, vulgata ejus acta testantur, in quibus proditum Antipam a multitudine quidem comprehensum, sed ad Præsidem perductum, qui meritas ei pœnas ex Romanarum legum præscripto minatus est, quia Imperatorum Edictis non obtemperaret Deorumque religionem negligeret; postea ad Dianæ Templum raptum, & bove æneo candenti inclusum vitam finiisse. Quæ sane omnia nobis apertam persequutionem indicare videntur. Ad hæc Brutius apud Eusebium, cum in Chronico, tum in Historia, Christianorum plurimos sub Domitiano Martyrium subiisse scribit, & Flaviam Domitillam cum multis aliis in exilium deportatam, ob sexus forte, aut conditionis rationem. Dicendum est itaque alios morte affectos, alios vero bonis, vel exilio tantum multatos fuisse. Sed rem diserte evincit Xiphilinus: *Eodem anno*, inquit, *Domitianus cum alios multos, tum vero Flavium Clementem consulem (etsi patruelis ejus erat, & Flaviam Domitillam, Domitiani consanguineam, uxorem haberet) morte affecit, illato ambobus crimine impietatis. Cujus rei caussa multi, qui in Judæorum*, (sic Ethnici Christianos Judaismi, Atheismi, aut impietatis reos appellabant) *mores transierant, damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus; Domitilla tantummodo in Pandatariam relegata est. Glabrionem quoque, qui cum Trajano magistratum gesserat, accusatum præter cetera superioris criminis .... interfici jussit*. Gladio igitur in Christianos ferociit Domitianus; neque exilio tantum, sed capitali etiam supplicio vexavit.

Apoc. 2.

Josephus antiquitatum libros absolvit.

3. Hoc anno ætatis suæ LVI. Antiquitatum libros Epaphrodito inscriptos Josephus absolvit: *Hic itaque finem imponam antiquitatibus, libris quidem viginti, versibus autem sexaginta millibus comprehensis, atque, si Deus permiserit, iterum breviter omnia percurrendo, memorabo & bellum Romanorum cum Judæis, & quæ nobis evenerant in diem usque hodiernum, qui incidit in annum quidem Domitiani Cæsaris XIII. meæ autem ætatis LVI.*

Joseph. Antiq. lib. 20. cap. ult.

JESU

JESU CHRISTI AN. 94. CLEMENTIS PAPÆ 6.
DOMITIANI IMP. 14. COSS. NONIO ASPRENATE,
ET M. ARETINO CLEMENTE.
OLYMPIAD. 218. AN. 2. URBIS AN. 847.

1. De ordinariis hujus anni Consulibus inter eruditos disputatur. Alii enim Asprenati Aretinum Clementem Collegam dicunt; alii Lateranum, alii Sergium Paulum. Sed de suffectis etiam contenditur, utrum nempe Sergius, aut Paulus, vel Lateranus Clementi suffectus fuerit; an vero hic Sergio Paulo, aut Laterano. In his tamen nos diutius immorari vetat instituti ratio.

De Consulibus hujus anni. Pagis not: ad Bar. 96. Tillemont. To. 2. hist. Imp. p. 484.

2. Interim sæviente in Christianos Domitiani persequutione, Joannes Apostolus, qui Romam vel sponte venerat, quod prorsus latet, vel Domitiani jussu, impietatis accusatus, quod ab Idolorum cultu abhorreret, extremo supplicio, eoque atrocissimo damnatus fuit. Sed divinitus liberatum, in Patmos insulam relegatum postea fuisse testantur Tertullianus, Hieronymus, aliique: *Habes Romam*, inquit Tertullianus, *unde nobis quoque auctoritas presto est: statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Jacobi exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes, postquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in Insulam relegatur.* Similia habet Hieronymus, & 14. Domitiani labente scilicet anno contigisse in Chronico prӕterea affirmat: *Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persequutionem movente Domitiano, in Patmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsim.* De hac autem Joannis relegatione hæc ex majorum traditione prodidit Origenes: *Imperator Romanorum* (idest Domitianus), *sicut docet traditio, condemnavit Joannem, dantem testimonium verbi Dei, in Insulam Patmos, sicut ipse de suo martyrio docet, non dicens quis eum condemnavit, sed ubi condemnatus fuerit.*

Joanne Apost. Romæ Martyrium subiit.

Hieron. in Jovin. lib. 1. in Matth. cap. 20. de Vir. illustr. in Joan.

Orig. in Matth. tract. 12.

3. Timotheum Ephesi Episcopum in eadem Domitiani persequutione martyrio affectum tradunt ejusdem acta, quæ, longiora potissimum, quamvis non in omnibus fidem mereantur, breviora tamen Polycratis nomine inscripta plurimam adhuc sibi auctoritatem vindicant ob antiquitatem, & Photii

De Martyrio S. Timothei Boll. die 24. Januar.

JESU CHR. AN. 94. tii de ipsorum præstantia testimonium. Hæc itaque in illis occurrunt: *Refert historia, Timotheum primum Ephesi Episcopum fuisse, clavaque interfectum, propterea quod prohibuisset Ephesios execranda, & cruenta Gentilium festa, & ludos agere: quorum unum appellatum fuit Catagogium, quod quia ille abrogarat, martyrii honore affectus est. Domitianus tunc Romanum Imperium tyrannus gerebat.* Romanum tamen Martyrologium rem paulo aliter accidisse tradit: *Natalis Timothei discipuli B. Pauli Apostoli, qui ab eodem Ephesi ordinatus Episcopus, post multos pro Christo agones, cum Dianæ immolantes argueret, lapidibus obrutus, paullo post obdormivit in Domino* =. Timothei Reliquiæ anno 356. Constantinopolim multa cum pompa translatæ sunt: *Constantio VIII. & Juliano Cæsare Coss.*, ait Chronicon Alexandrinum, *mense Panemo die IV. Julii S. Timothei discipuli quondam B. Pauli Apostoli, qui primus Ephesi in Asia fuit creatus Episcopus, reliquiæ Constantinopolim cum summa veneratione delatæ sunt, & in æde SS. Apostolorum sub ipso sacro altari repositæ.*

Tillem. not. 5. in Timoth. tom. 2. p. 543. Phot. Cod. 254.

Marty. Rom. 24. Jan.

De S. Lucæ obitu, & Martyrio.

4. His forte adjungendus S. Lucas Evangelista, & Pauli Apostoli discipulus, quem diu vitam tenuisse veteres affirmant. Hieronymus enim Lucam annis octoginta quatuor sine uxore vixisse testatur, quod & Nicephorus confirmat. Adonis vero Martyrologium septuagesimo tertio ætatis anno eum Martyrem obiisse scribit. De ejusdem Martyrio testatur etiam Gregorius Nazianzenus, qui ita Julianum Imperatorem compellat: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? Nec magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream*, &c. Nazianzeno consentiunt Gaudentius, & Paulinus, cujus hæc sunt carmina.

Greg. Naz. orat. 3.

Gaudent. hom. 17.

Hic Pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr, & illustris, Sanguine Nazarius.

Quo tamen loco, & Martyrii genere Lucas obierit, est valde incertum. In Achaja passum fuisse veteres tradunt; exinde vero ejus corpus Constantinopolim postea translatum scribunt Hieronymus, & Philostorgius: *Sepultus est*, inquit Hieron. *Constantinopoli, ad quam urbem ossa ejus cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaja.* Die 18. Octobris Lucæ memoria recolitur Martyrologio Romano; & undecima Men-

Paulin. epist. 12. Hier. de vir. illust. cap. 7. Philost. lib. 3. cap. 2.

Mensis ejusdem in Kalendario Carthaginensi. At Martyrologium, quod Hieronymianum vulgo dicitur, & Florentinius edidit, diei 21. Septembris Lucæ Festum alligat; quæ sane diversitas unde sit potissimum repetenda, hic non vacat inquirere.

JESU CHR. AN. 94.

Martyrol. Rom. 18. Octob Mabill. Analect. tom. 3. p. 414. Florent. die 21. Septemb.

5. Quo tempore in Christianos sæviebat Domitianus, quosdam, qui Davidis genere, & cognatione Christi supererant, ad se adduci jussit. Rem ita vetustissimus idemque gravissimus auctor Hegesippus apud Eusebium persequitur: *Hisce temporibus, adhuc supererant quidam ex cognatione Christi, nepotes Judæ illius, qui secundum carnem Frater Christi vocabatur. Hos a nonnullis delatos, quod ex regia Davidis stirpe prognati essent, Evocatus ad Domitianum Cæsarem perduxit. Quippe Domitianus de adventu Christi, perinde ac Herodes sibi metuebat. Interrogati igitur ab illo, utrum ex stirpe Davidis essent oriundi, id verissimum esse confessi sunt. Deinde sciscitatus est ex illis Domitianus, quantas possessiones, quantumve pecuniæ haberent. Illi vero novem tantummodo denariorum millia sibi ambobus suppetere dixerunt, quorum dimidia pars singulis competeret: eas vero facultates nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum, novem scilicet, ac triginta soli jugerum; ex quorum fructibus, & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore victum compararent. Simulque manus ostendere cœperunt, duritiem cutis, impressumque alte manibus callum ex laboris assiduitate, in testimonium operis sui proferentes. Postremo interrogati de Christo, & de regno illius, cujusmodi id esset, & quando, quibusve in locis appariturum; responderunt, non hujus Mundi, nec Terrarum imperium illud esse, sed angelicum, & cæleste, quod in fine sæculorum futurum esset, tunc cum Christus adveniens cum gloria, vivos simul, & mortuos judicabit, & unicuique operum suorum mercedem tribuet. His auditis, Domitianus nihil adversus illos asperius decrevit: sed vilitatem hominum aspernatus, liberos abire jussit: missoque edicto persecutionem adversus Ecclesiam commotam compescuit.*

Ex Davidica stirpe prognati, ac Christo propinqui, apud Domitianum accusantur.

Euseb. lib. 3. cap. 19. & 20.

6. Præterea Suetonio teste, Judæos novis, gravissimisque exactionibus Domitianus oppressit: *Præter cæteros Judaicus Fiscus acerbissime auctus est, ad quem deferebantur, qui legem professi Judaicam intra Urbem viverent, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adole-*

Judæi a Domitiano vexati.

Sueton. in Domit.

Jesu Chr. an. 94. *adolescentulum memini, cum a Procuratore, frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset.* Hinc illa Martialis de Judæo, qui se occultare satagebat, ne tributum penderet :

Martial. lib. 7. ad Merophilum.

> *Dum ludit media populo spectante palestra*
> *Delapsa est misero fibula : verpus erat.*

Lib. 5. epigr. in Christ.

Et de tributo Judæis indicto :

> *Sed quæ de Solymis venit perustis*
> *Damnatam modo mentulam tributis*

Huc etiam alludit Juvenalis

> *Nam sacri fontis nemus, & delubra locantur*
> *Judæis, quorum cophinus, fænumque suppellex,*
> *Omnis enim populo mercedem pendere jussa est*
> *Arbor, & ejectis mendicat sylva camænis.*

Et iterum :

> *Cum dedit ille locum Cophino, fænoque relicto &c.*

Martial. lib. 7. epig. 30.

Mart. lib. 1. Epig. in Cellium.

Cur autem propria Judæorum supellex Cophinus, fœnumque diceretur, ex quo etiam Cistiferos a Martiale appellatos legimus, nil aliud in caussa fuisse existimamus, quam sordidam ipsorum mendicitatem, unde fiebat, ut tota domi supellex ex cophinis, & fœno ad recumbendum constaret. Nisi forte quis velit per cophinum cistas intelligi, quas Judæi institores mercis sulphuratæ (sic enim eam nominat Martialis) circumferebant : unde illa Martialis ejusdem ad Priscum Carmina :

> *Quæ Sulphurato nolit emta ramento*
> *Vetriorum proxeneta fractorum;*

Stat. lib. 1. Syl. de Saturn.

Statius etiam :

> *Illic agmina confremunt Syrorum*
> *Hic plebs scænica, quique comminutis*
> *Permutant vitris gregale Sulphur.*

JESU

JESU CHRISTI AN. 95. CLEMENTIS PAPÆ 7.
DOMITIANI IMPERATORIS 15.
COSS. DOMIT. AUG. XVII. ET F. FLAVIO CLEMENTE
OLYMP. 228 AN. 3. URBIS AN. 848.

1. Hoc præcipue anno persecutionis in Christianos furor efferbuit; de quo ita ex Brutio Ethnico Scriptore Eusebius: *His ipsis temporibus doctrina fidei nostræ tantopere florebat, ut Scriptores etiam a religione nostra alienissimi, & persequutionem, & martyria nostrorum, monumentis suis tradere non dubitarint. Qui quidem etiam tempus ipsum persecutionis accurate notaverunt. Scribunt enim anno Principatus Domitiani quintodecimo, Flaviam Domitillam, Flavii Clementis ejus, qui tunc temporis Romæ consul fuit, ex sorore neptem una cum aliis plurimis ob confessionem Christi in insulam Pontiam fuisse deportatam.* Hæc Eusebius in historia, qui rursus in Chronico ad hunc annum Brutium hujus rei testem adhibet, his verbis: *Scribit Brutius, plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martyrium, inter quos & Flaviam Domitillam Flavii Clementis consulis ex sorore neptem in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam esse testata est.* His consentanea de Clemente, & Domitilla referunt Dio, & Svetonius: *Eodem anno Domitianus*, inquit Dio, *cum alios multos, tum vero Flavium Clementem consulem, qui consobrinus ejus erat, ac Clementis uxorem Flaviam Domitillam Domitiano germanam morte affecit, illato ambobus impietatis crimine, quo etiam alii complures, qui in mores Judæorum transiverant, damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus; Domitilla tantummodo in Pandatariam relegata est: Glabrionem quoque, qui cum Trajano consulatum gesserat* (anno 91.) *interfici jussit.* Suetonius vero; *Flavium Clementem patruelem suum contemptissimæ inertiæ, cujus filios etiamnum parvulos successores palam destinaverat, repente ex tenuissima suspicione tantum non in ipso ejus consulatu interemit; Quo maxime facto maturavit sibi exitum.* Porro ex dictis hactenus satis quidem constare arbitramur, quam falso Dodvvellus scripserit in hac persecutione, neminem pro Christo sanguinem fudisse. Etenim vel ex ipso Dione intelligimus eorum, qui in Judæorum mores transiverant, *partem occisam esse, partem facultatibus spoliatam.* Præterea si Cle-

Sævior evadit Domitiani persecutio. *Eusèb. lib. 3. cap. 18.*

De martyrio Clementis, & Domitillæ.

Dio lib. 67.

Sueton. in Domit.

Dodvveil dissert. 11. in Cyprian.

Jesu Chr. an. 95.

si Clementis Patruelis sui, & Consulis sanguinem fudit Domitianus, quis credat in alios mitiorem fuisse? Quin autem Clemens, Domitilla, aliique Christianæ tantum fidei caussa morte, vel exilio multati fuerint, non est cur quisque vel minimum dubitet. Illos enim impietatis & Judaismi crimine Dio ipse insimulat, nec quemquam latet ea ætate Christianos cum Judæis ab Ethnicis confusos fuisse, & Atheismi, impietatisque notatos, quod Romanorum deos aspernarentur. Quocirca Justinus, *ob eam rem*, inquit, *Athei vocamur*; *& profitemur quidem nos talium*, *qui existimantur*, *deorum esse expertes*, *atque Atheos*. Sed Clementis Christianismus ex Suetonio etiam intelligitur, qui eum *contemptissimæ inertiæ* virum appellat, quod scilicet ex Christianæ Religionis instituto vitam ab ambitione, ab aulæ strepitu, a Magnatum commercio, a luxu demum, & sæculi pompis alienam duceret.

Just. Apol. 2.

De duabus Domitillis martyribus.

2. Sed enim an una tantum, vel duæ ejusdem familiæ, & nominis, Domitiani consanguineæ, martyres extiterint, magnopere dubitatur. Cum enim Eusebius Flaviam Domitillam Clementis Consulis neptem, eamque virginem in Insulam Pontiam relegatam memoret, Dio vero alterius Flaviæ Domitillæ ejusdem Clementis Consulis uxoris, & in Pandatariam insulam non longe a Pontia relegatæ meminerit; dicendum necessario videtur, vel duas ejusdem nominis Domitiani consanguineas, Clementis scilicet uxorem, & neptem eodem tempore fuisse damnatas, vel Historicorum alterutrum in errorem incidisse. Nos rem, de qua vehementer rerum christianarum tractatores disputant, utpote nostra quidem sententia maximis tenebris involutam, in medio relinquentes, id tantum animadvertimus, Eusebium, quæ de Flavia Domitilla, eaque Virgine retulit, ex Brutio Dione certe antiquiore accepisse. Præterea Pontiam Insulam ob ejusdem Domitillæ memoriam apud veteres Christianos celebrem extitisse; prodit namque Hieronymus: Paulam *delatam ad Insulam Pontiam*, *quam clarissimæ quondam fœminæ sub Domitiano Principe pro confessione nominis Christi Flaviæ Domitillæ nobilitavit exilium*, *videntemque Cellulas*, *in quibus illa longum martyrium duxerat*, *sumptis fidei alis*, *Hierosolymam*, *& Sancta loca videre cupisse*. Hæc Hieronymus de cellula, in qua Flavia Domitilla longum martyrium duxit, quod postea Terracinam translata consummavit, uti ejus acta testantur; quæ quamvis dubia sint,

Boll. die 5. Maii Tillem. tom. 2. p. 126. Bar. an. 98. 5. Scaliger. in Chron. p. 205. Basnag. an. 95. 7. Hier. epist. 108. pag. 689.

sint, quin tamen de ejusdem Virginis martyrio dubitemus, impediunt præter Hieronymum Martyrologia, eaque sane antiquissima, quæ passim Domitillam Virginem veluti martyrem celebrant. Martyrii socios habuisse fertur Nereum, & Achilleum, quorum memoriam Gregorii Magni ætate in Romana Ecclesia celebrem fuisse, atque in eorum Basilica homiliam ab eodem habitam certo novimus. Illam, Anastasio teste, Joannes Papa & Martyr anno circiter 525. vel exstruxit, vel instauravit, eamdemque longo temporis tractu dirutam Cardinalis Baronius, in Titulum habitam, reædificavit anno 1597., ornavit, & Congregationi Oratorii commendatam reliquit; quæ sartam, tectamque servat, servabitque, non solum ob tanti Viri memoriam, qui Congregationem adeo pietate & doctrina illustravit, sed præcipue ob sacra pignora ex Diaconia S. Hadriani in eam translata, medietatem scilicet corporum Nerei, Achillei, & Domitillæ, quorum capita argenteis Thecis inclusa perhonorifice adservantur in Ecclesia ejusdem Congregationis S. Mariæ in Vallicella. Hæc autem utpote Romanæ Oratorii Congregationis indignus Presbyter dicta volui de SS., quos eadem veluti Patronos eximie veneratur.

JESU CHR. AN. 95. *Tillem. tom. 2. pag. 127. Bayllet. 7. Maii. Boll. ut supra, & Die 12. Maii. S. Greg. Homil. 28. in Evangelium. Front. Cal. Greg. Anast. in Joannem tom. 2.*

De S. Clementis reliquiis.

3. Porro Clementis Consulis, & Martyris Reliquiæ in vetustissima S. Clementis Papæ, & Martyris Ecclesia inventæ fuerunt anno 1725. Cum enim Annibal S. R. E. Cardinalis Albanus majus altare subrui, & locum totum egesta terra aperiri jussisset eo consilio, ut S. Ignatii antiocheni Episcopi & Martyris ossa, quæ sub eo recondita esse credebantur, erueret, & publicæ fidelium venerationi proponeret; nihil tum ibi repertum est præter capsulam plumbeam, qua ossa aliquot, & ossium fragmenta continebantur; cineres præterea sacro cruore concreti, vas vitreum effractum, urceus fictilis, Crux gemina, altera lignea, altera ærea, & imago cerea duplex, quæ agni formam utrinque referebat. Capsulæ imposita erat tabula marmorea, quæ in adversa parte litteras habebat tribus versibus digestas ad eam plane formam, quam hic exhibemus

Jesu Chr. an. 95.



In altera vero tabulæ ejusdem parte tria Monogrammata visebantur, quæ ad archetypi fidem expressa subjicimus



Cum itaque Virorum Doctissimorum judicio duæ priores Inscriptionis lineæ legendæ essent: *Flavius Clemens Martyr hic feliciter est tumulatus*; nulli dubium fuit, quin ad S. Flavium Clementem Domitiani patruelem spectarent Reliquiæ, quæ in plumbea capsula includebantur. Quod etiam luculenter evicit P. Edwardus de Vitry egregia sane dissertatione ea de re anno 1727. Titi Flavii Clementis Viri Consularis, & Mart. Tumulus illustratus, Urbini edita 1727. in 4., quam propterea Franciscus Ant. Zacharia recudi curavit, defendit, eruditisque Paralipomenis illustravit Tomo 33. primæ Calogerianæ Collect. pag. 251. seq.

Domitiani crudelitas, & avaritia.

4. Ceterum neque Christianorum sanguine immanis Domitiani crudelitas, neque Judæorum tributis ejusdem avaritia potuit expleri. Hoc enim ipso anno Epaphroditum, cui Josephum antiquitatum libros inscripsisse jam diximus, quique Neroni primum, deinde sibi a libellis fuerat, interfici jussit, criminatus eum Neroni violentas sibi manus afferenti opem non tulisse. Præterea ærario immodicis sumptibus exhausto, vi-

vo-

vorum, mortuorumque civium patrimonia invadebat; quolibet enim instante accusatore, & ob qualecumque dictum vel factum contra Majestatem Imperatoris sive verum sive fictum, plurimos facultatibus expoliavit; alienas etiam hæreditates adivit vel uno testante, audisse se a defuncto Cæsarem hæredem dictum fuisse.

JESU CHR. AN. 95.

JESU CHRISTI AN. *96*. CLEMENTIS PAPÆ 8.
NERVÆ IMPERATORIS 1.
COSS. FULVIO VALENTE, ET ANTISTIO VETO.
OLYMP. 218. AN. 4. URBIS AN. 849.

1. Quo atrocius in Christianos, aliosque cujuscumque generis sæviebat Domitianus, eo magis ad interitum properabat. Namque hoc anno XIV. Kal. Octobris in interiore cubiculo occisus est, postquam vixisset annos XLV., imperasset vero XV., teste Suetonio, cui suffragatur etiam Xiphilinus, a quo traditur vixisse Domitianum A. XLIV. M. X. D. XXVI., regnasse A. XV. totidemque dies. Neque audiendus Scaliger, qui anno superiore interfectum fuisse perperam affirmat. Domitiani cadaver per *Vespilliones ignobiliter asportatus est*, inquit Eusebius, quod Phillis ejus nutrix in suburbano suo via Latina funeravit, Reliquiasque Flaviæ Gentis templo furtim intulit.

Domitianus occiditur, cui Nerva succedit.
Dio lib. 67.
Suet. in Domit. 16.
Scaliger de emend. tempor. lib. 5.
Pagi, Basnages, Murator.
Euseb. Chron. pag. 689.
Sueton.
Dio lib. 67.

2. De Domitiani interitu Urbs, & Orbis exultavit, & Senatus Consulto cautum repente, ut ejus statuis, imaginibus, titulisque sublatis, arcus etiam triumphales, quos sibi plurimos fecerat, disturbarentur. Effusi Christianorum sanguinis pœnas luit Domitianus, quod vel ipsi Scriptores Ethnici nolentes prodiderunt. Namque Suetonius affirmat eum Flavii Clementis cæde *maturasse sibi exitium*; Et a Juvenale proditum, ipsum periisse:

Domitiani memoria aboletur.

Suet. in Do-
Satira VI.
Lamius de Erudit. Apostol. cap. 3.
Mamachius Orig. Xrum. T. 1. Ere. v. pontif. Histor. liter. Ital. T. IV.

.... *Postquam Cerdonibus esse timendus cœperat &c.*

Christianos enim veluti viles ignobilesque *Cerdonum* nomine a Satyrico traduci animadverterunt jamdiu viri summa Doctrinæ laude spectatissimi, quidquid contra nonnulli senserint.

3. In ea Veterum quidam fuere sententia, ut crederent Domitianum ante obitum persecutionem revocasse. Hegesippus

An Domitianus persecutionem revocaverit.

Jesu Chr. an. 96. pus enim apud Eusebium prodit: *Domitianum nihil adversus Judæ Nepotes asperius decrevisse, sed vilitatem hominum aspernatum liberos abire jussisse, missoque edicto persequutionem adversus Ecclesiam commotam compescuisse*. Neque aliter sensit Tertullianus: *Tentaverat Domitianus Portio de Neronis crudelitate; sed qua & homo facile cœptum repressit, restitutis etiam, quos relegaverat*. Dio tamen disertissime testatur, Nervæ indulgentia Christianos absolutos fuisse ac restitutos: *Nerva autem eos, qui damnati erant impietatis, absolvit, exulesque restituit*. Quod & a Lactantio confirmatum legimus in hæc verba: *Rescissis igitur Actis Tyranni, non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius, ac floridius enituit*. Eusebius etiam post laudata Hegesippi, & Tertulliani verba tradit, Domitiano defuncto, & Nerva in ejus successorem electo, Senatum decrevisse, iis, qui injuste a Tyranno deportati fuerant, *reditum in patriam, & sua cuique bona restitui*.

Euseb. lib. 3. 20.

Dodwell. dissert. II. in Cyprianum impugnatur.

4. Sed enim postquam Domitianæ Persecutionis diuturnitatem crudelitatemque adversus Dodwellum ostendimus, locus admonet, ut de pluralitate Martyrum generatim dicamus, evincamusque primis Ecclesiæ seculis Christianos magno numero Martyrium subiisse; ideoque falsissimum esse ipsum Dodwellum, qui paucos adeo fuisse martyres contendit in ea Dissertatione, quam *de Martyrum paucitate* impudenter inscripsit, edidítque undecimo loco inter Cyprianicas. Innumera porro sunt, & ea quidem indubia vetustatis monumenta, quibus Martyrum pluralitas invicte innititur. Et primo quidem Joannes Apostolus, Evangelista, & Martyr, non modo plurimos, sed innumerabiles ferme in Ecclesia Martyres futuros divino afflatus Spiritu prævidit; ait enim in Apocalypsi: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum &c.* Hoc autem vel unico testimonio tota penitus de Martyrum paucitate Dodwelli dissertatio convellitur. Si enim magnam, & innumerabilem Martyrum turbam in Ecclesia Dei futuram, divinitus cognovit Apostolus, consequens est, vel falsum esse Dodwellum, vel errasse Joannem, quod quam sit impium, & homine Christiano indignum nemo non videt. Hinc jure Cyprianus, postquam vete-

veteres Testamenti Martyres numeravit, hæc de novi Fœderis Martyribus, eorumque numero Joannis auctoritate fretus, subjungit. *Si igitur & nos dicati Deo, ac devoti vivimus, si supra justorum antiqua, & sancta vestigia iter facimus, per eadem documenta pœnarum, per passionum Martyria pergamus, hoc ampliorem gloriam computant temporis nostri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante postmodum copia virtutis, ac fidei numerari non possunt Martyres Christiani, testante Apocalypsi, & dicente: Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat &c.;... Quod si tantus ostenditur, & probatur Christianorum Martyrum populus, nemo difficile, vel arduum putet esse Martyrium, quando videat Martyrum populum non posse numerari*. Maximo autem revera numero Christianos pro tuenda Religione sanguinem fudisse, diserte memorat insignis Philosophus & Martyr Justinus, Romanos ita compellans: *Quæ nuper in Urbe vestra, o Romani, sub Urbico accidere, & quæ ubique locorum similiter citra rationem omnem a Præsidibus fiunt, necessitatem hanc mihi imposuere, ut pro nobis hanc orationem componerem*. Porro jubente Urbico morte affectos Ptolomæum Lucium, aliumque, cujus nos nomen latet, fœminam præterea, quam fide a Ptolomæo imbutam vir ejus Christianismi accusaverat, ipse Justinus affirmat. Sed audiendus & Irenæus: *Ecclesia in omni loco ob eam, quam habet, dilectionem multitudinem Martyrum in omni tempore præmittit ad patrem*. Congruit Clemens Alexandrinus: *Pulchre de Indis dicebat Zeno, se unum malle Indum videre, qui torreatur, quam omnes de laboris perpessione discere probationes. Nobis autem sunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, & capite truncantur*. Origenes etiam, quem causæ suæ arbitrum Dodwellus fecit, rem aperte testatur: *Quin etiam e nostris plerique, cum minus id ignorent, si Christianos se fateretur, mortem esse oppetituros; si vero negarent, se liberos fore, & nihil habituros negotii, & contempta tamen hac vita mori viriliter maluerunt, ut mox vitam assequerentur æternam, quam frui præsentibus hisce, & momentaneis bonis*. Quid his quæso disertius ad ostendendum plurimos non affectu modo, sed affectu in Martyrio viriliter obiisse; accedat denique Theodoritus: *Neque vero tenuem, ac super innatantem fidem fecerunt Apostolorum monumenta, sed adeo profundis nixam radici-*

Cypr. de exhort. martyrii p. 126. edit. Amstel.

Justin. Apol. 2.

Iren. adv. hær. lib. 4. 64.

Clem. Alex. Strom. lib. 2.

Orig. contra Celsum lib. 2.

Theod. de curandis græc. affect. serm. 8. de martyr. cultu.

JESU CHR. AN. 96. *dicibus, ut magna hominum multitudo, pro his dogmatibus retinendis, mortem libentissime sustinuerit, eaque inficiari volentibus non linguas ad defensionem objecerit, sed flagris humeros, sed lampadibus latera, ferreisque ungulis, & cervicem gladiis supposuerit, tympanis, ac fidiculis extenta fuerit, palis infixa constiterit, & ab immanibus se feris laniari conspexerit*.. Quo sane vel uno loco a sua Dodwellus sententia revocari debuisset. Nam si magna hominum multitudo pro fide mortem subire non recusavit, an dici poterit paucos in Ecclesia Martyres extitisse?

Judæorum & Gentilium in Christianos odium multorum Martyrum causa. *Justin. Dialog. cum Tryph. p. 117. & 226. edit. Paris.*

5. Sed & ex odio, quo adversus Christianos flagrabant Ethnici, & Judæi, maximum fuisse Martyrum numerum facile evincitur. De Judæis audiatur Justinus: *Quin & nos*, inquit, *per Christum Deo credentes persequimini, & occiditis quotiescumque potestis, sine intermissione autem diris execramini, & ipsum, & eos, qui nomine ejus censentur, nobis contra pro vobis, & cunctis plane hominibus bene precantibus*. Apud Ethnicos autem Plebs, Magistratus, Sacerdotes, Vates in perniciem Christianorum ruebant, putabantque se Diis illorum sanguine litare. De populorum furore, nota sunt illa Tertulliani: *At e contrario illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum, & proborum conspirant, qui adversum sanguinem innocentium conclamant, prætexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existimant omnis popularis incommodi Christianos esse caussam. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si Cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem*. Neque Cæsarum edicta multitudo expectabat, ut suam in Christianos rabiem expleret, sed in eos sua sponte crudelissime sæviebat, quod satis ex Dionysio Alexandrino discimus, scribente: *Nequaquam ex Imperatoris edicto, persequutionem cœpiam esse, quippe quæ integro anno anteverterat*. Namque infaustus quidam vates ac Poeta, quisquis ille fuerit, eas in Alexandrinam Ecclesiam turbas excitaverat. Sacerdotes etiam persecutionum incentores erant. Oracula numinum interroganti Diocletiano *Tages seu suspicione, seu visu ait, idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent*. Magistratus præterea sponte Christianos persequebantur: unde persecutiones Provinciales, multis & ipsæ fidelium cædibus insignes, cujusmodi unam memorat Firmi-

Tertull. Apol. n. 11.

Euseb. lib. 6. 41.

Lact. de mort. persequ. cap. 10.

Firmilianus: *Terræ motus plurimi & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam, & Pontum multa subruerent, quædam etiam Civitates in profundum receptæ dirupti soli hiatu devorarentur; ex hoc persequutio quoque gravis adversum nos Christiani nominis fieret.... Serenianus tunc fuit in nostra Provincia Præses, acerbus, & dirus persequutor*. Quis porro neget hanc gravem & cruentam fuisse? Provincialium quoque hujusmodi persequutionum meminit Tertullianus, quibus multi cæsi sunt Martyres, quorum nomina ignorantur: *Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, indigne ferens uxorem suam ad hanc sectam transiisse, cum Christianos crudeliter tractasset, solusque in Prætorio suo vastatus peste, cum vivus vermibus ebulisset: Nemo sciat, ajebat, ne spe gaudeant Christiani*. Quid adhuc dicendum de Imperatorum edictis, quibus toto, qua longe lateque patebat, Romani Orbis imperio Christianis bellum pluries indixere; Furorem incendebant concepti in Christianam Religionem odii caussæ. Lex quippe apud Romanos erat, teste Cicerone: *Separatim nemo haberet deos; neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colerent. Constructa a Patribus delubra haberent, lucos in agris haberent, & Larum sedes, ritus familiæ patrumque servarent; divos, & eos, qui cælestes semper habiti, colerent*. Nefas quoque Athenis habebatur peregrinam inducere Religionem: *Athenienses vero*, inquit Josephus, *qui communem esse suam gloriantur omnibus civitatem, quomodo de his rebus habuerint, Apollonius ignoravit. Hi namque vel verbo solummodo præter illorum legem de diis loquentes inevitabiliter punierunt*. Sed dignus, qui præ ceteris afferatur Lactantius: *Quin etiam sceleratissimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes Jurisperitorum leguntur injustæ. Domitius de officio Proconsulis libro septimo scripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oportet eos, qui se cultores Dei confiterentur*. Cum igitur ingenti odio Christianos Ethnici prosequerentur, & tum Religione, tum legum auctoritate impellerentur in homines, qui impii, athei, infanticidæ, incesti audiebant, gravis hinc facile duci potest conjectura, magnam in Imperio Romano factam fuisse Christianorum cædem, ne de aliis regnis quidquam dica-

JESU CHR. AN. 96.

Cypr. epist. 75. pag. 321.

Tertull. ad Scap. cap. 3.

Cicero de leg. lib. 2. 19.

Josep. contra App. lib. 2.

Lactant. Inst. lib. 5. 11.

Jesu Chr. An. 96.

dicamus, quæ Christi fidem susceperant, suosque & ipsa Martyres habuerunt.

Martyrum nomina sæpe ignota.

6. Nec Dodwellus cuiquam sanæ mentis ita facile suadebit, nullos alios fuisse Martyres præter eos, quorum nomina in veterum Kalendariis, aut Martyrologiis leguntur, vel apud veteres Scriptores Tertullianum, Lactantium, Eusebium mentio habetur; Namque certo certius constat Martyrum quamplurium nomina vel ipsos antiquos ignorasse; quamplurium vero memoriam cum Ecclesiasticis Tabulis periisse, præsertim in Diocletiani persecutione, qua non in homines tantum, sed in Sacræ Scripturæ volumina, aliosque Ecclesiæ libros sævitum est. Præterea cum Christiani sæpe insanæ plebis furore immolarentur; non ita facile illorum gesta, vel nomina scripto tradi poterant. De Martyribus Alexandrinis hæc apud Eusebium ex Dionysio leguntur: *Ab hoc igitur homine stimulati, omnemque ad patranda scelera licentiam nacti, hanc solam pietatem, cultumque dæmonum suorum existimabant, si cædibus adversus nos sævirent*. De Neronis autem persecutione ita Tacitus: *Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt: & pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*. Quis porro sibi persuaserit in Annales tabulasque relata fuisse istorum Martyrum Nomina. Neque aliter sane sentiendum de iis, qui sub Diocletiano Nicomediæ magno numero passi sunt, teste Lactantio: *Potentissimi quondam Eunuchi necati, per quos Palatium, & ipse ante constabat. Comprehensi Presbyteri, atque ministri, & sine ulla probatione, ac confessione damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus, & ætatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circundato igni amburebantur; domestici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur. Nec minus in ceterum populum persequutio violenter incubuit*. Sic plurimorum, qui sæviente Antiocho perierunt, numerus & nomen intercidit; idque tantum de ipsis novimus, quod generatim Josephus commemorat: *Quotidie necabantur excruciati tormentis crudelissimis, flagris enim cæsi, & lacerati corpora, vivi*

Eusebeb. lib. 6. 41.

Tacit. ann. lib. 15. n. 9.

Lactant. de mort. perseq. cap. 15.

Joseph. antiq. lib. 12. 7.

vivi adhuc, & spirantes affigebantur crucibus. Uxores autem eorum, & circumcisos liberos strangulabant, juxta mandatum Regium, & suspendebant juxta Crucifixorum parentum cervices. Hactenus Josephus, quo certe quis luculentius testimonium ad occisorum multitudinem probandam optaverit? Ex Dodwelli tamen principiis dicere necesse esset paucos admodum in Antiochi Persecutione sublatos fuisse; namque vetera monumenta Eleazari tantum expresse meminerunt, & matris, quæ cum septem liberis necata fuit. Sed quid plura? Publice palamque profitebatur sua ætate Prudentius quam plures Romæ Martyres extitisse, quorum solus haberet *comperta vocabula Christus*: — JESU CHR. AN. 96. — *Macab. lib.* 2. — *Prudent. Hymn.* XI. *Peristeph.*

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Christo Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, tu singula quæris
Nomina; difficile est, ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troja Roma Deos.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur.
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis,
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus.

Denique innumera ferme Martyrum corpora, quæ e Cœmeteriis effossa sunt, & hodiedum Romæ præsertim effodiuntur cum eorum nominibus loculo inscriptis, quorum frustra in Kalendariis, Martyrologiis, aliisque veterum temporum monumentis memoriam requiras. Perperam itaque, ut Martyrum paucitatem evinceret, ad Kalendaria, & Martyrologia confugit Dodvvellus, quem quidem latere præterea non poterat, in Diocletiani persecutione Ecclesiæ Tabulas igne adeo consumptas fuisse, ut mirum sit ex tanto naufragio perpaucas adhuc superfuisse. Ceterum quamvis certo constet ingentem plane fuisse Martyrum numerum, non ii tamen sumus, qui omnia, quæ in — *Eusebi. lib.* 8. 2. *Oros. lib.* 7.

Jesu Chr. an. 96.

Baron. praef. in Martyrol. Rom. Florent. Marty. Hier. Georg. in Mart. Usuardi.

Martyrologiis recentioribus praesertim continentur, veluti in dubia habeamus: Scimus enim hujusmodi collectiones mendis suis fuisse aspersas, eamque tantum iis fidem habendam, quam ex antiquis, genuinisque monumentis, ex quibus prodiere, sibi vindicant. Sed de his satis; qui plura cupit, Martyrologiorum editores adeat, Baronium, Florentinum, Georgium, Bollandistas, aliosque plures.

Joannes Apost. Apocalypsim scribit.

Apocalyp. 1.

7. Quo tempore in Christianos Domitianus saeviebat, Joannem Apostolum in Insulam Patmos ab ipso fuisse relegatum diximus paullo ante. Dum itaque in exilio degeret, dominico die revelationem Apostolus habuit, quae Apocalypsis vulgo dicitur: *Ego Joannes frater vester particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu, fui in Insula, quae appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu. Fui in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tamquam tubae dicentis: Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis, quae sunt in Asia, Epheso, & Smyrnae, & Pergamo, & Tyatirae, & Sardis, & Philadelphiae, & Laodiciae &c.*

De tempore, quo scripta fuit Apocalypsis.

Grotius Hammundus Vide praef. in Apocal. Crit. sacr. Epiph. haer. 51. 22.

Ante Hierosolymitanum excidium scriptam fuisse Apocalypsim, nonnulli tradiderunt, ob ea praecipue ejusdem verba: *metire Templum Dei, & Altare, & adorantes in eo; atrium autem, quod est foris Templum, ejice foras*; Atque huic opinioni favere videtur Epiphanius: *Joannes post reditum ipsius e Patmo, qui contigit sub Claudio Caesare*. Sed pro Domitiano Claudium Epiphanio excidisse certo credimus. Quae enim de Templi mensura in Apocalypsi leguntur, figurate scripta fuerunt ad futuras in ea Ecclesia calamitates significandas; quod saepe in eo libro fieri novimus, qui mysteriis totus confertus est. Nostram vero Chronologiam, qua labenti anno, vel superiori saltem, Apocalypsim a Joanne scriptam fuisse asserimus, veteres confirmant, & potissimum Irenaeus, a quo haec

Iren. lib. 5. 8.

sunt literis prodita: *Neque enim dudum, sed nostra pene memoria sub exitum Imperii Domitiani visa est revelatio*: Testatur quoque Hieronymus: *Joannem persequutionem movente Domitiano in Patmos insulam relegatum scripsisse Apocalypsim*.

De auctoritate Apocalypsis.

Epiph. haer. 51. 32. Eufeb. lib. 7. 25.

8. An inter canonicas Scripturas referenda esset Apocalypsis, dubitarunt aliqui, non ex Haereticis solum, uti Alogi, teste Epiphanio; sed ex Catholicis: *Nonnulli quidem*, ait Dionysius Alex., *ex iis, qui nos praecesserunt, librum hunc repudiarunt penitus, atque refutarunt .... Neque auctorem ejus*

Joan-

Joannem dicunt, & non modo Apostolorum neminem, sed ne ullum quidem e Sanctis, & Ecclesiasticis viris hujus libri conditorem fuisse affirmant. Longe tamen secus de Apocalypsi sentiebat Dionysius ipse, qui hæc statim subjungit: *Ego vero librum illum rejicere omnino non ausim, præsertim cum multi ex fratribus eum magni faciant. Sed hujusmodi de illo opinionem concipiens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quandam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen, altiorem quemdam sensum verbis subesse. Eaque non meo ipsius judicio metior, atque æstimo; sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno, quæ intelligere non potui: verum inde admiror magis, quod capere non possum*. Inter eos, qui de Apocalypsis auctoritate dubitaverunt, Caius Romanæ Ecclesiæ presbyter recensetur, qui sub Zepherino Papa, tertio ineunte seculo, floruit; sed fortasse perperam: Non enim Joannis Apocalypsim rejecisse videtur Cajus, sed alias prorsus revelationes, quas Cerinthus Hæresiarcha veluti a magno quodam Apostolo scriptas jactabat, earumque fretus auctoritate docebat, post Resurrectionem carnis regnum Christi in terris denuo *futurum, & homines Hierosolymis degentes cupiditatibus, & voluptati corporis obnoxios fore*; Quæ forte Eusebius videtur intellexisse de Joannis Apocalypsi. Ut ut tamen de his sit, de quibus plura apud eruditos videri possunt, certum est veterum aliquos de istius libri auctoritate dubitasse; namque Laodicena Synodus Can. 59. & 89. Canonicos libros recensens, Apocalypsim præteriit. Laodicenis porro patribus adjungendi sunt auctor Canonum vulgo Apostolicorum, Nazianzenus, & Amphylochius in suo ad Seleucum Carmine, Basilius, & Nyssenus. Unde Hieronymus ad Dardanum: *Quod si*, inquit, *eam* (Epistolam ad Hæbreos) *latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt. Et tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes. Qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, ut interdum de Apocryphis facere solent &c.* Ceterum communi cum Græcorum, tum Latinorum veterum sententia in Scripturarum Canonicarum numero & Apocalypsim Joannis habitam fuisse, testes sunt Justinus Martyr,

Eusеb. lib. 3. 28.

Calmet. præf. in Apocalyp. DuPin sur la Bible tom. 2.

Hier. Epist 192.

Justin. in Dialog. cum Tripō. Iren. ex Euseb. lib. 5. 8. Orig. Euseb. lib. 6. 25. Dionys. ex Euseb lib. 7. 25. Tertull. de præscript. & in Scorpiac.

Jesu Chr. An. 96. Aug. de doctr. Christ. &c.

tyr, Irenæus, Origenes, Dionysius Alexandrinus, aliique ex Græcis; ex Latinis vero Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, ceterique, qui Scripturarum Catalogum texuerunt: Synodus præterea Ancyrana, Carthaginensis tertia, & Toletana quarta.

De auctore Apocalypsis.

Apud Euseb. lib. 7. 25. Euseb. lib. 3. 38.

9. Verum non omnes, qui Apocalypsim veluti Canonicæ auctoritatis librum susceperunt, eam Joanni Apostolo tribuendam putarunt. Dionysius certe Alexandrinus de ipsius auctore dubitavit: *Fateor Sancti cujusdam, & divino Spiritu afflati viri id opus esse, sed hunc ipsum esse Apostolum Zebedæi filium, Jacobi fratrem, cujus est Evangelium illud, quod secundum Joannem inscribitur, & epistola canonica, haud facile concesserim*; atque in eamdem sententiam inclinasse videtur Eusebius: *Verisimile est revelationem illam Joannis nomine inscriptam, si non a priore illo* (Apostolo scilicet) *certe ab hoc posteriore visam fuisse*. Namque præter Apostolum Joannem alterum Presbyterum iis temporibus in Asia floruisse ex Papia cognoscimus: *Si quis mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus esset, ex eo curiose sciscitabar quænam essent seniorum dicta. Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid ceteri Domini discipuli dicere solerent, quidnam Aristion, & Joannes presbyter discipuli Domini prædicarent*. Hactenus Papiæ verba, quibus hæc Eusebius subjungit: *Quibus in verbis illud etiam observandum est, bis ab eo positum esse nomen Joannis, & priorem quidem una cum Petro, Jacobo, Matthæo & reliquis Apostolis recenset, satis indicans, se de Joannis Apostoli verba facere. Postea vero adhibita sermonis distinctione, alterum Joannem cum iis collocat, qui extra numerum sunt Apostolorum, præponens illi Aristionem quemdam, eumdemque presbyterum diserte nominat. Quo fit, ut vera videatur esse narratio illorum, qui duos eodem nomine appellatos in Asia vixisse dixerunt, & apud Ephesum duo esse sepulchra, & utrumque Joannis hactenus nominari*.

De argumento Apocalypsis.

10. Porro Apocalypsis, sacrorum omnium librorum obscurissima, trifariam communiter dividitur. Tria enim priora Capita ad Ecclesias Asiæ pertinent, quibus colendis, instruendisque etiam dum exularet Apostolus vacabat; A capite 4. ad 17. stylo prophetico describuntur tum calamitates, quibus a persecutoribus Ecclesia futuris temporibus vexaretur, tum ejus-

dem

dem de illorum tyrannide triumphus, & divina in ipsos ultio. Tribus tandem postremis capitibus Jesu Christi triumphum, beatorum Martyrum felicitatem, Mortuorum Resurrectionem, Judicium extremum, Justorumque æternam in Cælis beatitatem persequitur.

Protestantium deliria in expositione Apocalypsis.

11. Protestantium aliqui, ut suam ab Ecclesia Romana defectionem aliquomodo tuerentur, quidquid Joannes de bestia, de Babylone, de Meretrice scribit, de Romana Ecclesia dictum impie contenderunt; Hinc Romanum Pontificem Antichristum designatum prædicant, & Romanam Ecclesiam meretricem, in quam tot intentantur ab Apostolo calamitates. Quin eo quorumdam phrenesis pervenit, ut Romanæ ipsius Ecclesiæ excidium, anno etiam, si superis placet, & die indicatis exinde prædicerent. Sed prænunciati excidii tempore jam elapso, stat adhuc, vel ipsis invitis, æternumque stabit Catholica Ecclesia. Non defuere tamen vel inter protestantes, qui cum catholicis ingenue faterentur Romam ethnicam sub meretricis nomine in Apocalypsi designari. Hæreticorum de hac re deliria sapientissime de more profligavit doctissimus Bossuetius.

Jurieu Carentonensis minister aliique.

Bossuet. Præfat. in Apocalyps.

Nerva Domitiano succedit

12. Domitiano sublato, eadem die Coccejus Nerva vir nobilissimus & humanissimus, sed provecta ætate infirmaque valetudine, Romæ Imperator designatus est. Vix Imperii habenas susceperat, Christianorum persecutioni finem imponens, prohibuit quempiam impietatis, aut Judaismi causa vexari; rescissisque Domitiani Edictis, exules revocavit: *Nerva autem*, inquit, Dio *eos, qui damnati erant impietatis, absolvit, exulesque restituit*: Dioni congruit Lactantius: *Rescissis igitur actis Tyranni*, (idest Domitiani) *non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius, & floridius enituit*.

De ejusdem ingenio. *Dioi ut supra Plin. lib. 10. ep. 69. Dio, ut supra. Lactant. de mort. persequutorum c. 3.*

JESU CHRISTI AN. 97. CLEMENTIS PAPÆ 9.
NERVÆ IMP. 2. COSS. NERVA AUG. III.
ET L. VIRGINIO RUFO.
OLYMPIAD. 219. AN. 1. URBIS AN. 850.

De Clementis Papæ Epistola ad Corinthios.

1. Cum Corinthii inter se schismate dissiderent, ad pacem, unitatemque revocandos curavit Clemens Romanus Pontifex, data ad eos Epistola, quæ apud veteres adeo in pretio fuit, ut

JESU CHR.
AN. 97.

Euseb. lib. 3. 16.
Baron. 95. 3.

Schelestrat. par. 2. antiquit. illustr. dissert. 3.
Cotel. PP. Apost. tom. I.

ut Eusebio teste cum canonicis libris publice in Ecclesiarum conventibus legeretur. Eam Baronius *maximo Ecclesiæ damno injuria temporum excidisse* vehementer doluit; & fragmenta a veteribus servata in Annales intulit, tamquam superstites e naufragio tabulas. At felicior ætas nostra, inquit Schelestratus, quæ eam Epistolam (aliaque veterum monumenta) e tenebris erutam, locis aliquot licet mutilam, a doctisque viris illustratam habet. Antequam vero de ejusdem disseramus argumento, quæramus diligenter oportet de vero ipsius auctore, de tempore, quo scripta fuit, deque auctoritate, quam in Ecclesia obtinuit.

De auctore Epistolæ, & de tempore, quo scripta fuit.

Blondellus Apolog. pro sentent. Hieronym. pag. 9.
Pearson. an. 69.
Dodwell. an. 64.
Apud Euseb. lib. 3. cap. 16. 38. lib. 4. 22. 23.
Apud Euseb. lib. 4. 15. lib. 5. 1.
Pears. Dodwell. ut sup. Pagi an. 58. n. 3.
Orsi pag. 411. tom. I.
Basnag. an. 65. 8.
Clem. Epist. cap. 41.

2. Quod itaque non Clementis, sed Romanæ Ecclesiæ nomine inscribitur, visum est nonnullis eam perperam Clementi tribui, & longe ante scriptam fuisse, quam Clemens Romanum Episcopatum consequeretur. Egesippi tamen, Irenæi, Dionysii Alexandrini, Eusebii, aliorumque testimonio constat datam fuisse Corinthiis, quo tempore Clemens Romanæ Ecclesiæ præerat. Constat præterea in more positum antiquitus fuisse, ut Ecclesiarum potius, quam Episcoporum nomine hujusmodi Epistolæ scriberentur; uti facile quisque intelligit ex Epistolis Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio Polycarpi, & Lugdunensis, atque Viennensis de Martyribus Lugdunensibus ad Ponti, Asiæ, & Phrygiæ Ecclesias. Sicuti autem de tempore, quo Clemens in Romana Cathedra sedit; ita de scriptæ ad Corinthios Epistolæ ætate dissident Eruditi. Qui Buchetianum catalogum sequuti Clementem post Linum sedisse putant, hi eam anno 87. editam Epistolam affirmant. Alii contra ante scriptam opinantur, anno scilicet 64. vel 68. vel sequenti 69., dum adhuc Hierosolymis sacrificia fierent; idque sibi facile persuadent ex ipsamet Epistola manifeste evinci, in qua hæc de Templo Hierosolymitano, & Judæorum Sacrificiis occurrunt: *Non in omni loco, fratres, offeruntur sacrificia perpetua, & diurna, vel pro gratiarum actione, vel pro peccatis, & delictis, sed Hierosolymis tantum, neque illic in quovis loco fit oblatio, sed in atrio Templi ad Altare &c.* Sed enim Clementem frequenti cum Sacrorum, tum prophanorum Scriptorum exemplo præterita veluti adhuc præsentia hoc loco adduxisse, plurima, ni vehementer fallimur, ostendunt, quæ Epistolam Hierosolyma eversa, dirutoque Templo datam evincunt. Principio enim ante Hierosolymitanum

num excidium vix Clemens Romanæ Ecclesiæ præesse poterat, quod supra pluribus ostendimus, cum de Romanorum Pontificum successione ageremus. Deinde *capite* 47. meminit antiqui dissidii, quod Apollo inter Corinthios excitaverat; hoc autem cum cladem non multum præcessisset, quomodo ante annum 70. dici vere poterat antiquitus accidisse? Præterea Corinthiorum Ecclesiam longe antea fundatam fuisse innuit Epistolæ auctor, quæ sane temporibus ante Hierosolymam eversam minus conveniunt. Denique narrata Apostolorum Petri, & Pauli cæde persecutionem alteram memorat, quæ Neronianam subsequuta est. Post Neronem autem Domitianus primus in Christianos sæviit; ejusque Persecutione desinente, labenti circiter anno 97. missam a Clemente Epistolam verosimilius plures existimant.

Du-Pin. tom. 1. Bibl. in Clement. Cotelcr. præf. Ibid.

3. Quanti hæc Epistola antiquitus fieret, vel inde potissimum intelligitur, quod cum Canonicis libris in Ecclesiæ cœtibus legeretur, ex quo fortasse factum, ut in vetustissimo Codice Alexandrino libris Canonicis adjungeretur: Sed Eusebium rei testem audire præstat. *Hujus Clementis extat Epistola ab omnibus uno consensu recepta, eximia prorsus, atque mirabilis, quam nomine Ecclesiæ Romanæ ad Corinthiorum Ecclesiam scripsit, cum tunc temporis Corinthi esset exorta dissensio. Hanc in plerisque Ecclesiis, superiori quoque, & nostra memoria palam recitari consuevisse comperimus*: Et infra, *Clementis in Epistola ab omnibus recepta, quam Romanæ Ecclesiæ nomine ad Corinthiorum Ecclesiam scripsit, in qua cum multas inserat sententias desumptas ex Epistola ad Hebræos, iisdemque interdum verbis utatur, clarissime indicat, opus nequaquam recens esse. Quamobrem cum reliquis Apostoli scriptis non sine caussa hoc etiam recensitum videtur*, &c. Deinde, postquam meminit Egesippum in scriptis suis *de Clementis ad Corinthios Epistola quædam commemorasse*, hæc capite sequenti ex Dionysii Alexandrino de ejusdem Epistolæ auctoritate subjungit: *Hodie inquit sacrum diem Dominicum transegimus, in quo Epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam Epistolam optimis præceptis, ac documentis abundabimus*. Ejusdem Clementinæ Epistolæ cum laude meminerunt Irenæus, Clemens Alex., Origenes, Cyrillus Hierosol., Epiphanius, Hieronymus, Photius, aliique. Nec mirari cui-

De ejusdem Epistolæ auctoritate. *Euseb. lib. 3. 16.*

Cap. 38.

Euseb. lib. 4. 22. & 23. Iren. lib. 3. 3. Clem. Alex. strom. lib. 1. & lib. 4. 5. 6. Orig. lib. 2. princip. 3. Cyrill. catb. 18. Epiph. hær. 27. 30. Hieronym de Vir. illustr. & lib. 1. advers. Jovin. & comment. in Isai. lib. 14. 52. Photius Cod. 113.

Jesu Chr. An. 97.

Tertull. de resurrect. carnis cap. 12. 13. Cyrill. Cath. 18.

quam subeat ad Carnis Resurrectionem adstruendam Phœnicis fabulam in ea referri; ejus enim auctoritatem id nihil prorsus imminuit, uti præter reliquos ostendit ad eum Epistolæ locum Cotelerius. Constat siquidem Gentilium eruditissimos Phœnicem vere credidisse, atque hujusmodi exemplo præterea usos Tertullianum, Cyrillum, Epiphanium, aliosque Patres. Totus est Clemens in Corinthiis a schismate abducendis, & ad pacem, concordiam, unitatemque revocandis; cur autem tardius quam par erat ad eos scripserit, hanc caussam affert; *Propter calamitates, & casus adversos, qui nobis acciderunt, Fratres, tardius videmur convertisse animum ad eas res, quæ a vobis, dilecti, quæsitæ sunt; & ad alienam peregrinamque Dei electis seditionem scelestam, ac impiam, quam pauci homines præcipites, ac temerarii in tantum vecordiæ inflammarunt, ut venerabile, ac celebre, & ab omnibus dignum amari nomen vestrum magnopere blasphemetur*: Itaque calamitatibus, Diocletiani scilicet persecutione, desinentibus, memor eorum, quæ Petro sibique ejus successori Christus mandaverat, de confirmandis fratribus sedulo cogitavit, dataque ad Corinthios Epistola, eos ad pristinam fidem, charitatem, patientiam peramanter hortatus est. Claudio, Ephebo, & Valerio Vitoni cum Fortunato deferendam tradidit, quos ut ad se quam primum remittant, amantissimis hisce verbis Clemens Corinthios obsecrat: *in pace cum gaudio ad nos brevi remittite, ut citius optabilem, nobisque desideratissimam pacem, & concordiam annuncient; quo & nos de vestra tranquillitate ocius gaudeamus. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum &c.*

De secunda epist. Clementis. *Eusеb. lib. 3.*

Hieron. de Vir. Ill. in Clem.

4. Præter eam, de qua adhuc disseruimus, altera Clementis Epistola circumferebatur; *Verum hanc* (sunt verba Eusebii) *non perinde receptam, atque approbatam fuisse pro certo habemus: quandoquidem vetustiores ejus testimonio nequaquam usos esse comperimus*. Meminit ejusdem Hieronymus in hæc verba: *Fertur & secunda esse ex ejus nomine epistola, quæ a veteribus approbatur*: eam quoque memorat Photius, sed a Clemente scriptam fuisse dubitat. Ipsius tantum fragmentum superest, quod ex Alexandrino Codice Junius edidit. Cotelerius, aliique genuinum Clementis fœtum existimant; & quidem in fragmento, quod adhuc exstat, non modo quidquam Clemente indignum, sed ejus ubique simplicitas, & doctrinæ puritas occurrit. Usserius tamen Apocrypham prorsus judicat. Nos

Nos de ipsius auctore cum veteribus dubitare satius arbitramur. Christi Divinitas in fragmenti initio perspicue asseritur: *Fratres, ita sentire nos oportet de Jesu Christo, tanquam de Deo, tanquam de judice vivorum, & mortuorum*. Cetera ad mores pertinent. Jesu Chr. an. 97.

5. Sed & alia plurima Clementi inscripta fuere: *Quidam*, inquit, Eusebius *alia opera prolixa, & copiosa sub ejus nomine heri ac nudius tertius in lucem protulerunt; puta Petri, & Appionis disputationes, quarum apud antiquos nulla mentio. Neque enim sincera rectæ fidei ab Apostolis traditæ nota in illis expressa reperitur*. Et rursus de Libris quibusdam Petro primum, deinde Clementi falso tributis: *Librum vero, qui actus Petri dicitur, & Evangelium ejus nomine inscriptum, ejusdem quoque prædicationis, & revelationis libros pro catholicis scriptis nunquam esse habitos constat*. Verum inter Apocrypha Clementis opera recensendus potissimum liber, qui *Recognitiones Clementis* vulgo dicitur, olim vero *Actus*, *circuitus*, *Itinerarium Petri* appellabatur. Hujus non modo meminerunt Origenes, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Gelasius; sed e græco in latinum transtulit Rufinus, cujus hodiedum exstat præfatio ad Gaudentium Episcopum. Multa sunt, quæ suadent fuisse secundo Ecclesiæ sæculo a Viro philosopho potius, quam christiano vulgatum: erroribus certe plurimis scatet. Eum Bardesani hæretico tribuendum conjicit Caveus. Recognitionum libro simillimus est alter *Clementinarum* dictus, quo Petri, & Clementis Epistolæ ad Jacobum continentur. Hunc quoque Latine vertit Rufinus. His postremo addendæ homiliæ 19. de quibus plura Cotelerius, & Constitutiones vulgo Apostolicæ. Ceterum hujusmodi Constitutionum antiquitatem testantur quidem Epiphanius, & auctor Operis imperfecti apud Chrysostomum; exploratumque est præterea multa in iis contineri ad priscorum temporum fidem, ecclesiasticam Hierarchiam, Disciplinam, ritusque cognoscendos utilia; atque post Epiphanium modo interpolatorum fraude in eas errores irrepsisse, quibus vel Photii ætate scatebant, a quo Arianismi labe inter cetera notatas legimus: hæc siquidem Epiphanius litteris prodit: *Hic liber a multis revocatur in dubium, non est tamen improbandus; omnis quippe Canonicus Ordo in ipsis continetur, & nihil a fide adulteratum, neque a confessione, neque ab Ecclesiastica administratione, & Canone, ac Fide*.

De scriptis Clementi tributis. *Euseb. lib. 3. 38.*

Euseb. lib. 3. 3.

Caveus hist. litter. tom. 1. pag. 78.
Apud Coteler. tom. 1.

Epiphan. hær. 45. 70. 75. 80. Auctor oper. imperf. in Matthæum homil. 6. 25. Photius Cod. 112. 113. Epiph. Hær. 70. n. 10.

 6. Post-

Jesu Chr. an. 97.

Avilii Alexandrini Episcopi obitus, cui Cerdo succedit.

6. Postquam per annos XIII. Alexandrinæ Ecclesiæ præfuisset, mortuus est Avilius, *in cujus locum*, Eusebio teste, *successit Cerdo, tertius ab Aniano ejus Civitatis Antistes*; qui usque ad annum Trajani duodecimum in ea Cathedra sedit, uti præsertim a Renaudotio adnotatum est, apud quem & alia de eodem, etsi minus certa, videri poterunt.

Euseb. lib. 3. 21. & lib. 4. 1. Renaud. hist. Patriarch. Alexandr. pag. 15.

Conjuratio in Nervam Imp. detecta.

Dio lib. 68. Plin. l. 9. ep. 19.

7. Quamquam Nerva miti esset ingenio, & summa erga malevolos clementia, perdueles tamen & ipse expertus est: Verum conjuratione patefacta, Calpurnium Crassum, e celebri Crassorum familia oriundum, & Conjuratorum principem, contra Senatus sententiam, exilio tantum damnari maluit, quam Senatorum sanguinem effundi. Præterea Casperius Ælianus Prætorianorum Præfectus cum milites in eum concitasset, Petronium & Parthenium Domitiani interfectores, invito Imperatore, crudeliter occidit. Quamobrem Nerva, qui æquius esse dicebat mortem subire, quam Imperii majestatem factiosorum hominum licentia spretam videre, probeque cognosceret se propter senectutem contemni, nulla propinquorum ratione habita, Marcum Ulpium Trajanum Italicæ in Hispania ortum, & apud Germanos cum exercitu eo tempore degentem, in filium primo adoptavit, tum Cæsarem dixit, demum sibi Imperio sociavit: *Nerva*, inquit Dio, *qui propter senectutem contemnebatur, in Capitolium conscendit, ibique magna voce: Quod felix faustumque sit*, inquit Senatui, *populoque Romano, mihique ipsi, Marcum Ulpium Nervam Trajanum adopto; eumdemque postea in Senatu Cæsarem designavit. Itaque Trajanus tunc Cæsar, ac postea Imperator factus est*. De tribunitia potestate tunc Trajano collata silet prorsus Dio; eam tamen ipsi cum Proconsulari Imperio simul fuisse tributam docet junior Plinius, qui Trajanum ita in Panegyrico alloquitur: *Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors tribunitiæ potestatis, & omnia pariter, & statim factus es*. Quibus quidem Plinii verbis præterea constat Cæsaream dignitatem distinctam ab Augustea fuisse, ideoque perperam utramque a Dodvvello confundi: *Quod enim* (sunt ejus verba) *Augusteam hic a Cæsarea dignitate distinguant eruditi, omnino hallucinantur*. Neque id Plinius tantum evincit, sed Marcellinus, Lactantius, Dio, aliique veteres summa auctoritate scriptores, qui Cæsaream ab Augustea dignitate distinguendam esse exemplis plurimis ostendunt. Verum turpius

Nerva Trajanum adoptat, Sociumque Imperii dicit.

Dio lib. 68.

Plin. paneg. cap. 8.

Dodvvel. app. in dissert. Cypr. n. 40. pag. 154.

pius adhuc erravit Dodvvellus affirmans, Nervam, Trajano adoptato, Imperium abdicasse; namque Nervam publicarum rerum curam Trajano commisisse memorant quidem certæ fidei Auctores; de Imperii vero abdicatione non modo silent omnino, sed a Diocletiano factam primum fuisse diserte admonent: Dignissimus qui præ ceteris audiatur Eutropius: *Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul a Salonis est, præclaro otio senuit, inusitata virtute usus, ut solus omnium, post conditum Imperium Romanum, ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum, civilitatemque remearet.* Quid his disertius ad Dodvvelli sententiam labefactandam afferri possit, plane non video: Sed multo plura cupienti dabunt Pagius, & Basnagius.

JESU CHR. AN. 98.

Lactant. de mort. perseq. cap. 9. Dio lib. 53. 56. Suet. in Domit. Capitolinus in Antonino. Pag. n. 3. ad 11. ad an. Baron. 99. Basnag. an. 97. n. 6. ad 9.

JESU CHRISTI AN. 98. CLEMENTIS PAPÆ 10.
TRAJANI IMP. 1. COSS. NERVA AUG. IV., ET M. ULPIO TRAJANO II.
OLYMP. 219. AN. 2. URBIS AN. 851.

1. Vix dum Nerva Trajanum sibi in Imperio Socium adsciverat, cum tertio post mense VI. Kal. Februarii e vita decessit. Hinc illa Plinii in Panegyrico: *Nervam Dii Cælo vindicaverunt, ne quid post illud divinum, & immortale factum* (Trajani scilicet adoptionem) *mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hunc venerationem, ut novissimum esset, auctoremque ejus statim consecrandum, ut quandoque inter posteros quæreretur, an illud jam Deus fecisset.*

Nervæ Imp. obitus, cui succedit Trajanus. *Plin. paneg. cap. 11.*

2. Itaque Imperium solus adeptus est Ulpius Trajanus, qui Italicæ in Hispania natus anno Dionysiano 56., non vero Tuderti in Umbria uti Victor in Epitome tradit, annum agebat 42., regnavitque annos XIX. M. VI. D. XV. Hic Virtute magis, quam generis nobilitate claruit, iterque sibi ad Imperium stravit. Pater ejus decimæ Legioni præfuerat, eique Vespasianus duo millia peditum, & equites mille dederat, ut Jotopatenos aggrederetur, quos profligavit. Trajanus vero post Consulatum Anno 95. cum Glabrione gestum in Hispaniam profectus, indeque in Germaniam a Domitiano missus, ut exercitui præesset, magna semper, & ubique virtutum laude floruerat, uti videre est apud Dionem, Plinium, Martialem, aliosque. Vitiis tamen aliquot, iisque improbissimis

De Trajani Imp. origine, & moribus. *Strabo lib. 3. Dio lib. 68. Joseph. de bello lib. 3. cap. 11.*

Martial. lib. 10. epigram. 34. l. 11. 6.

JESU CHR. AN. 98.

Spart. in Hadrian. 3. Victor de Cæsaribus.

simis fœdabatur, quæ a Scriptoribus non dissimulantur; etenim vino, & puerorum amoribus deditus erat. Verum eam ob caussam nemini unquam molestiam attulit, vetavitque *curari jussa post longiores epulas*, uti a Victore memoriæ proditum.

Joannes Apostolus Asiæ Ecclesias ædificat.

Eusеb. lib. 3. 23.

Euseb. lib. 3. 23.

3. Interea Domitiani actis a Nerva rescissis, Joannes Apostolus Ephesum reversus, finitimas Asiæ Provincias circumibat, & turbatas afflictasque Domitiani persecutione Ecclesias pastorali sollicitudine colligebat, confirmabatque, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, aliisque ministris ubicumque oporteret ordinatis, & constitutis. Rei testem proferimus Eusebium, qui Clementis Alexandrini, atque Irenæi auctoritate fretus hæc litteris prodidit: *Iisdem temporibus in Asia Apostolus ille & Evangelista, quem Jesus præcipue dilexerat, adhuc in vivis agens, Ecclesias illius Regionis gubernabat, post Domitiani mortem reversus ab exilio, quod in insula pertulerat: quod autem Joannes ad hæc usque tempora pervenerit, duorum testium auctoritate probare sufficit. Irenæum dico, & Clementem Alexandrinum.* Hactenus Eusebius, qui postea Joannis in procuranda Animarum salute sollicitudinem hoc illustri exemplo confirmat; quod iisdem Eusebii ipsius verbis referre satius judicavimus.

S. Joannes latronem convertit.

4. *Cum post obitum Tyranni* (idest Domitiani) *ex Insula Patmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines sibi a divino Spiritu indicatos in clerum, seu sortem Domini seponeret. Cum ergo ad quandam Urbem venisset, haud longe dissitam a civitate Epheso, cujus etiam nomen a nonnullis refertur, fratresque suis sermonibus consolatus fuisset, ad extremum viso juvene quodam statura corporis egregia, vultu non invenusto, & fervénti indole prædito, conversus ad eum, quem ordinarat Episcopum: Hunc*, inquit, *coram universa Ecclesia, & sub testimonio Christi studiose tibi commendo. Cum vero Episcopus eum juvenem suscepisset, & curæ sibi inposterum fore polliceretur, iterum Joannes eadem, quæ prius, mandare & contestari non destitit. Post hæc Joannes quidem Ephesum regressus est. Presbyter vero adolescentem sibi traditum in domum suam suscipiens educavit, fovit, atque continuit: tandemque sacramentum baptismi eidem tradidit. Deinceps Sacerdos de pristina cura, atque custodia paullatim remisit,*

misit, quippe cum perfectissimo custode apposito, Christi videlicet signaculo, juvenem communiisset. Illum ergo prematura potitum libertate æquales quidam sibi adjungunt desides, ac dissoluti, & flagitiis omnibus assuefacti. Ac primum quidem magnificis conviviis adolescentem illiciunt: Noctu deinde ad spoliandos obvios egressi, secum illum abducunt: inde ad majorum scelerum societatem cohortantur. At ille sensim assuescebat pravitati, & tamquam generosus, & effrænis equus, a recto tramite abreptus, ac frænum commordens, quanto majore animi indole præditus erat, tanto acrius in præceps ferebatur. Postremo abjecta spe salutis, quam in Deo posuerat, nihil jam mediocre animo designabat, sed grandi aliquo scelere perpetrato, quandoquidem jam de salute sua penitus desperaverat, parem cum cæteris pœnam subire dedignabatur. Assumptis igitur illis ipsis sodalibus, & instituto latronum collegio, ipse prompto animo dux eorum effectus, violentia, cædibus, atque atrocitate cunctos superabat. Aliquanto post tempore, cum negotii cujuspiam necessitas incidisset, iterum in eam urbem accitus est Joannes. Qui cum venisset, & cuncta, quorum gratia advenerat, ordinasset; Age dum, inquit, Episcope, redde nobis depositum, quod ego, & Christus tibi commendavimus sub testimonio Ecclesiæ, cui præsides. Ad hæc Episcopus primo quidem mirari, cum existimaret pecuniam, quam non accepisset, a se per calumniam repeti. Et sicut adhibere fidem non poterat reposcenti ea, quæ minime haberet, ita nec Joanni diffidere audebat. Sed ubi Joannes, Juvenem, inquit, & animam fratris reposco: Tum senex demisso vultu suspirans, atque illacrymans; is, ait mortuus est. Quomodo, inquit Joannes, & quonam mortis genere? Deo mortuus est, ait ille: Malus quippe evasit, & perditus, & ad extremum latro. Itaque nunc pro Ecclesia montem occupavit cum sui simillimis commilitonibus. His auditis, Apostolus scissa veste, & cum ingenti gemitu caput feriens: bonum, inquit, animæ fratris custodem reliqui. Sed jam equus mihi præsto sit, & aliquis ductor itineris. Inde ab Ecclesia, ita ut erat, profectus, conscenso equo properavit. Cumque ad locum venisset, ab iis, qui excubias agebant, latronibus capitur; non ille fugam parans, nec veniam deprecans, sed vociferans: Ad hoc ipsum veni, deducite me ad ducem vestrum. Is vero ut erat armatus, interim expectabat. Sed ubi accedentem propius agnovit Joannem, præ pudore in fugam

JESU CHR. AN. 98.

Jesu Chr. an. 98.

fugam se convertit. At Joannes concito cursu hominem persequi institit, oblitus ætatis suæ, identidem clamans: Quid me patrem tuum fugis, fili, inermem & senem? miserere mei fili, noli timere, adhuc superest tibi spes salutis. Ego pro te satisfaciam Christo. Tua causa mortem libenter excipiam, quemadmodum Dominus pro nobis mori sustinuit. Animam meam pro tua vicariam dabo. Sta modo, & mihi crede, a Christo missus sum. His ille auditis, primum quidem vultu in terram demisso substitit: deinde armis abjectis, tremens in lacrymas effusus est. Et accedentem senem complexus, gemitu ac lamentis, quantum maxime poterat, veniam rogabat, & lacrymis, quasi altero quodam baptismo expiabatur, solam dextram occultans. Tum Apostolus spondens ac dejerans, se veniam ipsi a Servatore impetravisse oransque, ac in genua provolutus, & dexteram ipsam Juvenis, utpote pænitentia expurgatam deosculans, ipsum in Ecclesiam reduxit. Deinde partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis una cum Juvene jejuniis simul decertans, omnibusque denique verborum illecebris animum ejus demulcens, non prius abscessit, quam illum Ecclesiæ restituisset, magnumque sinceræ pænitentiæ exemplum, & iteratæ regenerationis ingens documentum, & conspicuæ resurrectionis trophæum omnibus ostendisset. Hæc a Clemente scripta in hunc operis nostri locum conjecimus (ait Eusebius) *tum ad notitiam rerum, tum ad utilitatem legentium profectura*

Ibid. cap. 24.

Joannes Apostolus a Cerintho refugit *Eusеb. lib. 3. 28.* *Epiph. hær. 130. 24.*

5. Sed enim quo diligentius peccatoribus ad pœnitentiam revocandis Joannes vacabat, eo studiosius Evangelicæ doctrinæ corruptores aversabatur, ab eorumque societate abhorrebat. Certe in balneum lavandi caussa ingressus, cum Cerinthum, vel uti Epiphanius memorat, Ebionem intus esse didicisset, *statim ex eo loco fuga se proripuit, cum ne tectum quidem idem cum Cerintho subire sustineret*; comitesque admonens ut idem & ipsi facerent, *Fugiamus*, inquit, *ne balneum corruat, in quo Cerinthus est, veritatis inimicus*. Neque hoc facto tantum, quod Eusebius ex Irenæo refert, sed scripto etiam Apostolus docuit hæreticos esse perquam studiose vitandos: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non recipit, nolite recipere eum in domum; nec ave ei dixeritis*.

Joannes epist. 2. 10.

Joannes Evangelium scribit.

6. Præterea Joannes dum Ephesi hoc tempore versaretur, Evangelium suum edidit. Quamvis enim Hippolytus, & Doro-

Dorotheus, in Patmos insula ab Apostolo scriptum fuisse, tradant; Irenæus tamen, & Epiphanius, quorum potior auctoritas Ephesi scripsisse affirmant: *Joannes Domini discipulus*, ait Irenæus apud Eusebium, *Evangelium edidit, cum Ephesi in Asia moraretur*; Et Epiphanius de Joanne: *Cum jam senex esset, post exactos nonaginta annos vitæ, post reversionem ipsius a Patmo, Evangelium scribere coactus est*. Hujus autem Evangelii tanta fuit auctoritas, ut, teste Eusebio, *universis per Orbem terrarum Ecclesiis notissimum sine ulla dubitatione suscipiendum fuerit*. Duabus vero potissimum de caussis Evangelii scribendi provinciam suscepisse Apostolum veteres tradunt, ut scilicet ea litteris proderet, quæ ab aliis Evangelistis fuerant prætermissa; & hæreticorum ora obstrueret, qui Christi divinitatem eo tempore inficiabantur. *Perlatis jam* (verba sunt Eusebii) *in omnium, ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannem, & veritatem Scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur. Solam vero narrationem earum rerum, quas Christus circa prædicationis initium gesserat, desiderasse; nam superiores quidem tres Evangelistas ea dumtaxat, quæ post conjectum in vincula Joannem Baptistam unius anni curriculo a Servatore nostro gesta sunt, litteris mandasse perspicuum est*: & post pauca: *His de caussis ajunt Joannem ab amicis rogatum, & tempus ipsum, quod tres Evangelistæ silentio prætermiserant, & res tunc a Servatore nostro gestas, eas videlicet, quæ Joannis Baptistæ carcerem præcesserant, in Evangelium suum conjecisse*. Denique de ejusdem Evangelii præstantia, & Jesu Christi Divinitate in eo præ ceteris testata hæc subdit: *Seriem generis Christi secundum carnem, utpote a Matthæo, & Luca prius traditam, Joannes merito prætermisit, ab ipsa vero ejus divinitate sumpsit initium, quippe quæ a Spiritu Sancto ipsi tanquam præstantiori fuisset reservata*. Eusebio consentit Hieronymus in libro de Viris illustribus, & commentario in Matthæum, quo Evangelii scribendi causas exponit: *Joannes cum esset in Asia, & jam tunc Hæreticorum semina pullularent, Cerinthi, Ebionis, & cæterorum, qui negant Christum in carne venisse, quos & ipse in Epistola Antichristos vocat, & Apostolus frequenter percutit, coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de divinitate Salvatoris altius scribere; & ad ipsum, ut ita dicam, Dei Verbum non*

JESU CHR. AN. 98.

JESU CHR. AN. 98. *tam audaci, quam felici temeritate prorumpere. Unde Ecclesiastica narrat historia, cum a fratribus cogeretur, ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, revelatione saturatus, illud proœmium e Cælo veniens eructavit: In principio erat Verbum*. De Joannis Evangelio non incongrue Paulinus: *transcendit Moysem, qui usque ad caput mundi, & visibilium Creaturarum exordia scientiæ terminos, vel aciem mentis extendit. Joannes igitur... ab ipso intimo, & infinito omnium principiorum principio Evangelii fecit exordium, quo uno omnia diaboli, quæ in Hæreticis latrant, ora clauduntur*. Hæc Paulinus de initio Evangelii Joannis, quod, Eusebio & Augustino testibus, vel ipsi philosophi admirati sunt; prodit siquidem Eusebius Amelium, seu Ammonium Platonicæ Sectæ Philosophum eo Joannis testimonio usum fuisse, *licet auctorem barbarum diceret*. Augustinus vero testatur ab altero ejusdem Sectæ philosopho affirmatum, verba, quibus Apostolus Christi divinitatem prædicat, dignissima esse, quæ aureis characteribus inscriberentur, & in Ecclesiis loco omnibus perspicuo locarentur. Joannis Autographum græce scriptum septimo adhuc sæculo in summa apud Fideles veneratione Ephesi extitisse, meminit Auctor Chronici Alexandrini; sed horum penes eumdem sit fides.

Paull ad Amandum epist. 34.

Euseb. prep. Evang. lib. 11. 19.
Aug. de civit. Dei lib. 10. cap. 29.

Auct. Chron. Alex. p. 930.

JESU CHRISTI AN. 99. CLEMENTIS PAPÆ II.
TRAJANI IMP. 2. COSS. SOSIO SENECIONE II.,
ET CORNELIO PALMA
OLYMP. 219. AN. 3. URBIS 852.

Trajanus Consulatum recusat; Romam redit.
Plin. in paneg. cap. 60.

1. Oblatum Consulatus honorem hoc anno Trajanum recusavisse, ex Plinio ediscimus: *Initio principatus, ut jam exsatiatus honoribus, & expletus, Consulatum recusavit, quem novi Imperatores destinatum aliis in se transferebant*. Tertium tamen sequenti anno cum Frontone gerendum suscepit, quod scilicet, Plinio eodem auctore, *sæpius recusare ambiguam, ac potius illam interpretationem haberet, tamquam minorem putaret*. Verecundia itaque magis, quam fastu Consul processit, cunctisque mirantibus ad Consularem sellam accessit, ut Privatorum more se bene Rempublicam administraturum jurejurando reciperet: *Imperator Cæsar Pontifex M. in verba Prin-*

Principibus ignota stans juravit. Sed de his plura apud Plinium. Hoc tandem anno redux ex Germania Trajanus, & Urbem ingressus est, non quadriga & albis equis, nec hominum humeris vectus, sed sola corporis proceritate excelsior, & erga omnes animo & vultu affabilis; multa fecit ad emendandum, corrigendumque statum Reipublicæ, atque in bonorum gratiam, quos curæ in primis habuit. Civitatibus Italiæ multa largitus est in puerorum alimenta; curavitque vehementer, ut non modo Roma, sed Italia universa abundaret; Quin & in Ægyptum, annonæ penuria laborantem ob Nili siccitatem, frumenta transmisit.

JESU CHR. AN. 99.

Dio lib. 68.

2. Inter Canonicas Epistolas tres quoque Joannis Apostoli merito recensentur: De secunda, & tertia a quibusdam aliquando disceptatum, an vere a Joanne Apostolo scriptæ; & in Sacrarum Scripturarum numero habendæ essent; de prima tamen nullus unquam dubitavit: *Inter Joannis scripta*, ait Eusebius, *præter Evangelium, prior quoque Epistola tum a recentioribus, tum ab antiquis omnibus citra controversiam admittitur; reliquæ autem duæ in dubium revocantur*. Congruit Origenes: *Scripsit Joannes etiam Epistolam admodum brevem. Sed concedamus, si placet, & secundam, & tertiam ab illo scriptam esse, neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt*. Cur autem de his duabus nonnulli dubitarent, ac Joanni potius Presbytero, quam Apostolo tribuendas judicarent, in caussa fuit illarum inscriptio, in qua legitur: *Senior Electæ Dominæ, & Senior Cajo Carissimo*. Sed rem præstat ex Hieronymo cognoscere: *Scripsit autem & unam Epistolam, cujus exordium est: Quod fuit ab initio, quæ ab universis Ecclesiasticis, & eruditis Viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium est, Senior Electæ Dominæ, & sequentis, Senior Cajo carissimo &c. Joannis Presbyteri afferantur, cujus & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur*. Hæc tamen ex aliorum tantum sententia refert Hieronymus; ipse siquidem non primam modo, sed secundam, & tertiam Joanni Apostolo adtribuit, ac inter scripturas canonicas recensuit: *Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, Presbyter Electæ Dominæ; & in alia Epistola Presbyter Cajo Carissimo*. Atque id quidem ex antiqua Ecclesiæ traditione; nam Canones, qui Apostolici dicuntur, tres Joanni Apostolo Epistolas tribuunt; quod

De Joannis Apost. Epistolis tribus. *Eufeb. lib. 3 24.*

Apud Eufeb. lib. 6. 25. Hier. de Vir. Illustr. in Joannem.

Hieron. epist. 85. ad Evagrium. Synod. Laodic. can. 59. Carthag. can. 47. Concil. tom. 1. edit. Hard. apud Cantan. Innocent. ad Exup. Aug. de doctr. Christ. cap. 8.

JESU CHR. AN. 99.

Estius praef. in 2. Joan. epist.
Bar. an. 99. 8.

quod factum etiam constat a Laodicena, & Carthaginiensi Synodo, ab Innocentio I. Papa, Augustino, & aliis, qui Scripturarum Catalogum texuerunt. Praeterea in hisce tribus Epistolis tanta dogmatum similitudo occurrit, ut ab uno, codemque auctore scriptas cuicumque illas attente perpendenti facile appareat.

De inscriptione primae Epistolae S. Joannis Apost.

Vide DuPin. to. 3. dissert. in Script.
Aug. lib. 2. quaest. Evang. cap. 39.
Socrat. lib. 7. 32.

3. Possidius in Indiculo operum Augustini tradidit, harum Epistolarum primam a Joanne Parthis datam fuisse; quod & ipse Augustinus diserte confirmat: *Secundum sententiam hanc etiam illud est, quod dictum est a Joanne in epistola ad Parthos*. Ut ut tamen de hoc sit, illud certum videtur, Haereticos scilicet hanc eamdem Epistolam impie interpolasse, ne ipsius auctoritate opprimerentur: Quare Socrates: *ignoravit Nestorius in Catholica Joannis ita scriptum esse in antiquis exemplaribus: Omnis Spiritus, qui Jesum a Deo separat, non est ex Deo: Hanc enim sententiam a vetustis exemplaribus sustulerunt ii, qui ab hominis dispensatione Divinitatem separare studebant.*

JESU CHRISTI AN. 100. EVARISTI PAPAE 1.
TRAJANI IMP. 3. COSS. TRAJANO AUG. III.,
ET M. JULIO FRONTONE.
OLYMPIAD. 219. AN. 4. URBIS AN. 853.

Plinius Trajano Consuli panegyricum recitat.

Noris Epist. Consul.
Pag. Murat., aliique ad hunc annum.
Plin. lib. 3. epist. 13.
Plin. lib. 10. epist. 20.

1. Ineuntem Christianae aerae annum centesimum tertius Trajani Imperatoris Consulatus illustravit; qui tamen fasces postea abdicavit, sibique Plinium suffecit, qui celebrem adeo pro gratiarum actione Panegyricum Trajano recitavit. Testatur id Plinius ipse in Epistola, qua suam orationem Veconio Romano emendandam misit: *Librum, quo nuper optimo Principi Consul gratias egi, misi exigenti tibi*. Et rursus in Panegyrico: *Nondum biennium compleveramus in officio laboriosissimo & maximo, cum tu optime Principum Consulatum obtulisti*. Quo autem antea munere Trajani beneficio functus fuisset, alibi ita aperit: *Ut primum, mi domine, indulgentia vestra promovit ad Praefecturam Aerarii Saturni*. De altero hujus anni Consule vehementer disputant fastorum illustratores. Quidam Frontonem dicunt, alii Frontinum; de quo consulendi Norisius, Pagius, Muratorius, aliique.

Joannis Apostoli obitus.

2. Interea Joannes Apostolus cum ad decrepitam usque per-

perveniffet ætatem, & inter Difcipulorum manus Ecclefiam peteret, nec pluribus verbis alloqui poffet, fidelium auribus hanc fæpiffime fententiam repetebat: *Filioli diligite alterutrum*. Difcipulis autem quærentibus, cur illud tantum, & tam fæpe inculcaret, refpondit: *Quia præceptum Domini eft, & fi folum fiat, fufficit*. Quo ætatis fuæ anno obierit Joannes, in incerto eft. Si Adonis Chronico habenda fides, nonagefimum octavum annum attigit; centefimum vero, fi Alexandrino potius credendum. Quinimmo ad annum ufque 104., vel 106., & 120. vitam traduxiffe nonnulli exiftimarunt. Illud tantum ex Irenæo, Eufebio, & Hieronymo certo conftat, ipfum ad Trajani tempora perveniffe: *Ephefina Ecclefia*, fcribit Irenæus, *a Paulo quidem fundata, Joannem vero ufque ad Trajani tempora habuit Præfidentem*. Sed quoto Trajani anno excefferit, nihil minus obfcurum; Eufebius anno 2., aut 3. Trajani obiiffe indicat ex Irenæo, Hieronymus vero anno poft Chrifti paffionem 68. defunctum memorat, qui annus juxta Hieronymi Chronologiam cum labenti concurrit: Quocirca nos Apoftoli obitum ad hunc potius annum retulimus: *Interfecto Domitiano*, ita Hieronymus, *& actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu refcifsis, fub Nerva Principe rediit Ephefum, ibique ufque ad Trajanum Principem perfeverans, totius Afiæ fundavit rexitque Ecclefias, & confectus fenio, 68. poft Paffionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem fepultus eft*. Eum Ephefi obiiffe tradit & Polycrates Ephefinus Epifcopus in epiftola ad Victorem Romanum Pontificem: *His accedit Joannes, qui fupra pectus Domini recubuit; qui cum effet Sacerdos, laminam geftavit, martyr denique, & doctor apud Ephefum extremum diem obiit*.

Hieron. epift. ad Galat. c. 6.

Tillem. tom. 1. p. 350.

Iren. lib. 3. cap. 3.

Eufeb. Chron. p. 692. inter. oper. Hieron. to. 8.

Hieronym. de vir. illuftr. in Joan.

3. Dixerat olim Petro Chriftus de Joanne: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Hinc factum, ut exiret *fermo* ille *inter fratres, quod difcipulus ille non moritur*. Quamquam vero Joannes admonuiffet, Jefum non dixiffe *non moritur*, neque Domini verba ita effe accipienda, ac fi ipfe ufque ad noviffimum ejus adventum victurus effet; adeo tamen inducta femel de Joannis immortalitate opinio deinceps invaluit, ut etiam multo poft ejus obitum tempore non pauci certo affirmarent ipfum adhuc vivere, eumdemque venturum cum Enoch, & Elia, fecundi adventus Domini præcurforibus. Dignus, qui in hanc rem proferatur, Auguftinus: *Sed cui placet adhuc*

Error de Joannis immortalitate.

Auguft. in Joann.

JESU CHR. AN. 100. *adhuc resistat, & dicat, & asserat Apostolum Joannem vivere; atque in illo sepulchro ejus, quod est Ephesi, dormire eum potius, quam mortuum jacere contendat. Assumat in argumentum, quod illic terra sensim scatere, & quasi ebullire perhibetur: atque hoc ejus anhelitu fieri, sive constanter, sive pertinaciter asseveret. Non enim possunt deesse, qui credant, si non desunt, qui etiam Moysem asserant vivere: quia scriptum est, ejus sepulchrum non inveniri, & apparuit cum Domino in monte, ubi & Elias fuit, quem legimus, non esse mortuum, sed raptum*: Et post aliqua: *Tradunt etiam, quod in quibusdam scripturis quamvis apocryphis reperitur, quando sibi fieri jussit sepulchrum, incolumem fuisse præsentem, eoque effosso, & diligentissime præparato, ibi se tamquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum: ut autem isti putant, qui hæc verba Domini sic intelligunt, non defunctum, sed defuncto similem cubuisse, & cum mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem, & donec Christus veniat sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare: qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli*. In hujusmodi autem errore versatos adhuc fuisse quosdam sexto Christi seculo, constat cum ex Euphemio Patriarcha Antiocheno, cujus hæc verba legimus apud Photium: *Virginem autem Joannem sic superesse, ut Enoch, & Eliam traditione habemus*. Tum ex Gregorio Turonensi, qui hæc litteris prodidit: *Hic fertur non gustasse mortem, donec iterato Dominus judicaturus adveniat, ipso in Evangelio dicente, sic eum volo manere, donec veniam*. Sed de hoc præstat iterum Augustinum audire: *Huic opinioni supervacaneum arbitror reluctari; viderint enim, qui hunc locum sciunt, utrum hoc ibi faciat, vel patiatur terra quod dicitur, quia & revera non a levibus hominibus id audivimus*. Ac demum: *Si autem* (quod magis creditur) *ideo S. Joannes ait, non dixisse Dominum, non moritur, ne illis verbis, quæ dixit, hoc voluisse intelligi putaretur; corpusque ejus in sepulchro exanime, sicut aliorum mortuorum jacet: restat ut si vere ibi sit, quod sparsit fama de terra, quæ subinde sublata succrescit; aut ideo fiat, ut eo modo commendetur pretiosa mors ejus, quoniam non eam commendat Martyrium, (non enim eum pro fide Christi persequutor occidit); aut propter aliquid aliud, quod nos latet*.

Phot. Bibl. c. 229.

Greg. Turon. hist. Franc. l. 1. 26.

Aug. ut supra in Joannem.

Clemens Romanus Pontifex obiit, cui Evaristus succedit.

4. Clementi Romano Pontifici, tertio hoc Trajani Impera-

peratoris anno vita functo, Evaristus successit, uti diserte scribit Eusebius: *Ex Romanis Pontificibus Clemens anno supradicti Imperatoris* (Trajani) *tertio abiit e vita, Evaristo Sacerdotium relinquens, cum novem totos annos prædicationem Verbi Divini procurasset*. Interea cum obitu Joannis, qui Apostolorum ultimus fuit, non ad Apostolicæ tantum, sed Ecclesiasticæ primi seculi Historiæ finem denique pervenerimus; debitas bonorum omnium Largitori gratias referimus, quod ex tot difficultatibus, quæstionibusque, quibus veluti procellosi maris fluctibus passim obrui videbamur, emergendi vires dederit; Cui sit honor, & gloria per infinita sæcula.

JESU CHR. AN. 100.

SÆCU-

Jesu Chr. an. 101.

SÆCULUM SECUNDUM.

JESU CHRISTI an. 101. Evaristi Papæ 2.
Trajani Imperatoris 4.
Coss. Trajano Aug., et Sexto Pæto.
Olympiad. 220. an. 1. Urbis an. 854.

Imperatorum in Ecclesiam persecutio, ejusque causæ

1. Cum in hoc, quod ingredimur, altero Ecclesiæ sæculo nil magis lectorum attentionem postulet, quam mirabiles in adversissimis sibi temporibus ejusdem Ecclesiæ progressus, atque incrementa; in his paulisper immorari nec inutile, nec injucundum erit. Postquam igitur Claudius Nero, humani generis hostis, & monstrum dictus, primam in Christianos persecutionem excitavit; quotquot usque ad redditam sub Constantino Ecclesiæ pacem secuti sunt Imperatores, omnes pene in eadem Christi Ecclesia oppugnanda totis Imperii viribus incubuerunt; quorum aliqui etsi ingenio mites essent, atque ad clementiam proclives, ut Trajanus, & M. Aurelius, atrociter tamen & ipsi in Christianos invecti sunt, quos publicos hostes, sacrilegos, maximorumque flagitiorum reos arbitrabantur. Cum enim Imperii amplitudinem ac stabilitatem suis diis, eorumque cultui acceptam referri debere existimarent Romani, Deorum hostes eodem loco ac cæteros Imperii hostes habebant, eodemque proinde studio & ardore profligandos destruendosque; nec minus de vexatis ubique locorum Christianis, quam de expugnatis imperii hostibus gloriabantur. Quinimmo cum Christiani a Sacrificiis, festis solemnibus, ludis publicis, aliisque ejusmodi spectaculis, quæ in Imperatorum natalitiis, proque eorum salute peragebantur, sese abhorrere testarentur, incitatius in ipsos, quam in publicos hostes Imperatores ferebantur, quos nempe non religioni solum, sed etiam propriæ saluti adversari existimarent.

Euseb. Hist. lib. 3. c. 33. 35.

Christiani inter publicos hostes computati, & quare.

Magistratus, Sacerdotes, aliique in Christianor. perniciem conspirant.

2. Nec sane deerant, qui conceptum in Christianos odium alerent, ac quibus possent artibus succenderent. Huc referenda Magistratuum & Præsidum avaritia & cupiditas, qua Christianorum bonis inhiabant; huc Sacerdotum & Magorum, quorum magna, ut plurimum, auctoritas erat, zelus & invidia. Etenim cum cernerent ob Christianismum sacra Deorum suorum

rum neglecta ac ludibrio habita, seque auctoritate reditibusque destitui; incredibili in Christianos exardescebant odio, omnemque movebant lapidem, ut citra ullum dignitatum, sexuum, atque ætatum discrimen damnarentur, ac penitus exterminarentur. His autem omnibus si calumnias, quibus Christiani a Judæis potissimum, quasi homines flagitiosi, omniumque criminum noxii traducebantur, adjungamus, de quibus supra egimus an: 34., cuncta jam in certissimam Ecclesiæ perniciem conspirasse videbuntur.

Calumniæ in Christianos.

3. Explorata tamen res est, nostrorum non modo, sed gentilium etiam scriptorum confessione firmata, longe adeo lateque ipso Sæculi hujus initio Christianam Religionem pervagatam fuisse, ut, Plinio Secundo teste, *multi omnis ætatis, omnis ordinis utriusque sexus* inter Christianos numerarentur, iisque non tantum *civitates* abundarent, *sed vici etiam & agri*; eoque jam idololatriam devenisse, ut prope desolata jacerent Templa Deorum, ac rarissimus victimarum emptor inveniretur. Quin pleraque Deorum Oracula, quæ apud Græcos maxima veneratione hactenus fuerant, per idem temporis turpe ad silentium redacta cessasse, nec ullum amplius consulentibus dedisse responsum, Plutarchus rei novitatem admirans testatur commentario in id edito, in quo variis memoratis Oraculis olim mire loquacibus, tum vero mutis, hæc de iis, quæ Bœotiæ colebantur, subdit: *nam, ut alia taceam, Bœotiam, quæ superioribus temporibus ob Oraculorum multitudinem vocalis admodum fuit, nunc prorsus destituerunt Oracula, tamquam omnes siccati, ingensque divinationis quasi æstu quodam abolitæ penuria regionem occupavit. Neque enim alibi hodie, quàm apud Lebadiam Bœotiæ haustum vaticinationis responsa desiderantibus præbet; reliqua partim silent oracula, partim vastata prorsus desertaque jacent*. Cur autem id contigerit, Plutarchus, ut veræ caussæ ignarus, alias hinc inde venari coactus est, ridendas prorsus ac contemnendas. Siquidem cum in primis eam statuat, firmetque regulam, non fuisse Deos, qui oracula ederent e simulacris, sed Genios, qui minores diis habebantur, eos vel omnino esse desiisse, posse enim Genios mori etiam exemplo confirmat, vel inde aufugisse & alio commigrasse scribit; ac ni reversi iterum forent, eorum simulacra veluti sine flatu organa in ævum permansura. Hinc factum, ut falsorum Numinum cultus Romana etiam potentia fre-

Ecclesiæ Progressus.

Epist. lib. 10. 97.

Eusеb. H.ist. lib. 3. 33.

Idololatriæ Collapsio. Oracula obmutescunt.

De Oraculor. defect. T. 1. *op.* 635. *edit. Xiland.*

JESU CHR. AN. 101.

tus, hoc eodem secundo Ecclesiæ sæculo, dæmonum artibus fallaciisque detectis, in contemptum & execrationem deveniret, cum interea fœcundior quotidie, illustriorque Ecclesia evaderet.

Christianæ religionis dilatatio cuinam adscribenda.

4. Sed qui fieri potuit, inquiet aliquis, ut nova & peregrina societas humanis omnibus destituta præsidiis, tot immo procellis agitata, non solum dispersa statim ac dissoluta non fuerit, sed etiam copiosissima prole tam brevi temporis spatio aucta & fœcundata? Certe, si res ad mundanæ sapientiæ regulas expendatur. At ideo Christus hunc voluit dilatandæ suæ religionis modum seligere, ut vel inviti omnes agnoscerent ac faterentur suæ dexteræ opus Ecclesiam hanc esse; ac *quod stultum est Dei*, ut ait Apostolus, *sapientius esse hominibus*; *& quod infirmum est Dei, fortius esse hominibus*. Suis igitur in Martyribus ipse pugnabat, eorum animos internis semper auxiliis, nonnumquam etiam externis ac visibilibus confortabat, eisque tam præsens aderat, ut sæpe mediis in tormentis nullus, aut certe exiguus eis esset dolorum sensus. Ipse, cum bonum ei videbatur, in servorum suorum persecutores palam & graviter animadvertebat, ut totus Lactantii liber testatur; ac tam multa, tamque evidentia pro suis Athletis operabatur prodigia, ut ei inficiari ne ipsi quidem Gentiles auderent. Quæ quidem omnia mirum quantum ad Religionis propagationem conducerent.

1. Cor. 1. 25.

Liber de mortibus persеq.

Hæreses exoriuntur.

5. Sed iidem qui genus humanum in idololatriam pertraxerant maligni spiritus, hominum saluti, quæ per Evangelium operabatur, invidentes aliam nocendi viam arripuerunt, invectis in Ecclesiam hæresibus. Serpere quidem pestis hæc cœpit primo Ecclesiæ sæculo, ut suis locis observavimus; sed haud multos infecit, ac velut Apostolorum præsentiam reverita, brevi compressa est. Hac autem & sequenti ætate adeo crevit ac propagata fuit, ut summum in discrimen Ecclesiam adduceret, ac ejus comparatione levis, minusque pertimescenda visa est Gentilium persecutio. *Postquam*, inquit Eusebius ex Egesippo, *sacer Apostolorum cœtus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant; tunc demum exorta est impii erroris conspiratio fraude & malitia falsorum doctorum, qui, utpote nullo amplius ex Apostolis superstite, post hæc nudo, quod ajunt, capite adversus prædicatio-*

Lib. 4. 7.

cationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt. Hos infra Eusebius idem improbos ac maleficos homines appellat, dæmonis instrumenta & ministros, ad animarum exitium & perniciem comparatos; cujusmodi procul dubio fuerunt Carpocras, Valentinus, Marcio, Tatianus, Montanus, aliique, de quibus in hoc percurrendo sæculo suo loco dicemus. Maximum hi Ecclesiæ Dei damnum inferebant, non solum quod pravis disseminatis doctrinis ejus fundamentum, fidem nempe, evertere moliebantur, ac exitiales inter fideles divisiones excitabant; sed etiam quod perditis moribus nefaria perpetrantes facinora, Christianos, quales ipsi videri volebant, calumniandi ansam Gentilibus subministrabant, ac magis magisque invisam catholicam iis Religionem reddebant. Hinc infanticidæ, incestuosi, aliorumque criminum rei Christiani habebantur; ac si quæ calamitates publicæ contingerent, Christianorum statim sceleribus attribuebantur, quasi dii eorum flagitiis exasperati, Imperium Romanum variis cladibus affligere non cessarent. Hujus rei testes sunt Apologiæ Justini, Quadrati, Athenagoræ, aliorumque doctissimorum virorum hoc sæculo exaratæ, in quibus ejusmodi calumniæ confutantur.

JESU CHR. AN. 101.

Christi Ecclesia adversarios vincit.

6. At vero etsi dira & asperrima quæque ab eis perpessa sit Ecclesia, contra eam tamen prævalere nequaquam potuerunt; nam qui illam adversus Imperatorum conatus tuebatur Deus, idem ab hæreticorum machinationibus securam præstabat; ac sicut furente persecutionum æstu inexpugnabiles invictosque servos suos reddidit; sic erumpentibus hæresibus, viros singulari morum sanctitate ac doctrina præditos excitavit, qui novarum venenum doctrinarum, ut caverent, fidelibus detegerent, easque cum viva voce, tum scriptis exagitarent, ac confutarent. Id inter ceteros hoc sæculo præstiterunt S. Justinus M., Melito Sardensis, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Dionysius Corinthius, S. Irenæus B. Polycarpi discipulus, aliique, de quibus, ut etiam de gloriosis Christi Martyribus, præcipuum ætatis hujus ornamentum, pluribus suo loco differemus. Hæc interim præmissa voluimus, non solum ut totius sæculi imaginem quamdam præ oculis lector haberet, sed etiam ut miram Evangelii propagationem, ac Catholicæ Religionis incrementum, quod maximum hoc sæculo fuit, non hominum industriæ humanisque artibus, sed divino prorsus operi tribuendum esse intelligeret. Nunc historiam prosequimur.

Jesu Chr. AN. 101. Trajanus Ecclesiam persequitur. *Dodwellus dissert. 11. in Cyprian.*

7. Ac prima se offert Trajani in Christianos persecutio; hunc quidem e persecutorum albo expungendum censet Dodwellus, ac in Syria tantum in Christianos nonnullos eum animadvertisse ait, ut in Ignatium Antiochenum Episcopum, Rufum, & Zozimum, quorum Polycarpus in Epistola ad Philippenses meminit. In aliis vero Provinciis Trajani ætate pro Praesidum arbitrio tantum, aut populi furore in Christianos aliquando sævitum contendit; ideoque hujusmodi persecutionem localem tantum fuisse, nec tempore diuturnam, aut suppliciis insignem, ut ea quæ absque Imperatoris jussu, aut auctoritate exerceretur: quod etiam Lactantii auctoritate conatur adstruere, qui post Domitianum nullum ex Imperatorum numero usque ad Decium Ecclesiæ persequutorem agnoscit, cum ait: *Rescissis igitur actis Tyranni*, Domitiani videlicet, *non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit; sequutisque temporibus, quibus multi ac boni Principes Romani Imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in Orientem, Occidentemque porrexit &c. Sed enim postea longa pax rupta est: Extitit enim post annos plurimos execrabili anima Decius, qui vexavit Ecclesiam.* Hæc Lactantius, seu alius quilibet in libro de mortibus persequutorum, cujus auctoritatem utpote Scriptoris antiquissimi, ac fide dignissimi suscipimus quidem, & veneramur; ejus tamen verba hoc sensu accipi commode possunt, ut post Domitianum usque ad Decium nemo ex Imperatoribus generali persecutione Ecclesiam vexaverit; ceterum toto hoc temporis intervallo persecutiones utcumque fuisse, saltem locales, aut ex Praesidum arbitrio, aut populorum, & Sacerdotum tumultu, vel ex specialibus Principum rescriptis, vel etiam publicis, inferius suo loco probabimus; quod sane Trajano imperante contigisse non conjecturis solum, sed certis argumentis facile demonstramus, Eusebii in primis authoritate, cujus hæc sunt verba: *Post Neronis, & Domitiani persecutionem sub hoc, cujus nunc tempora commemoramus, Trajano particularem quandam per singulas civitates populari motu adversus nostros excitatam esse persequutionem accepimus.* Quam utique cruentam fuisse patet vel ex solo *Symeonis* Episcopi Jerosolymitani exemplo, qui cum *constantissime Christi fidem professus esset, tandem sententia Judicis cruci suffixus est.* Quin gravem adeo aliquibus in

Lactant. de mortibus persequut. cap. 3.

Euseb. lib. 3. 32.

in locis fuisse subdit, ut *Plinius secundus, inter Provinciarum Rectores celeberrimus, motus Martyrum multitudine, de eorum numero, qui fidei causa obtruncabantur, retulerit. Cum etenim delatos Christianos post suppliciorum minas morti addixerit, tandem multitudine eorum omnis ætatis, omnis ordinis utriusque sexus*, qui in periculum vocabantur, motus; seu ut ait Tertullianus: *damnatis quibusdam, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit Imperatorem*. Plinii actum, seu ordinem adversus Christianos servatum laudavit Imperator data ad eumdem Epistola, quæ inter Plinianas lib. dec. 98. est; censet tamen, inposterum inquirendos non esse, sed delatos, & in confessione constantes duci oportere: *quo rescripto*, inquit Eusebius, *plurimi ex fidelibus multiplici martyrii certamen subierunt*, cum liberum unicuique esset Christianos accusare. Insuper ex eadem Plinii epistola constat, Trajanum conventus omnes (seu ut vocat hetærias) prohibuisse; a quibus cum Christiani vacare vix possent, hinc etiam in periculum, velut Imperialis edicti contemptores, non semel adducebantur. Ad Trajani quoque tempora, ipso Dodwello fatente, pertinent ea, quæ Tertullianus narrat de Arrio Antonino Bythiniæ Præside, qui dum *instanter* fideles persequeretur, ac *omnes illius civitatis Christiani* sese manu facta ejus tribunali objecissent, quibusdam *duci jussis*, ut loquitur Tertullianus, idest occidi, ceteros dimisit, dicendo si mortem tantopere appeterent, præcipitiis se darent, aut funibus suffocarent. Cum itaque his legitimis, probatisque monumentis constet in Syria, Palæstina, Bythinia, aliisque plurimis in locis sub Trajano vexatos ob fidem Christianos occisosque fuisse, eo vel jubente, vel minimum annuente, eccur inter Ecclesiæ persequutores ipse quoque non recensebitur? Neque obstat, quod Trajanus optimam de se reliquerit famam, immensisque laudibus ab ethnicis scriptoribus celebretur, quod miti ingenio esset, & ab effundendo innocentium sanguine vehementer abhorreret; ut enim in Prologo adnotavimus, plerique ex Imperatoribus, qui ob lenitatem ab ethnicis Scriptoribus maxime laudantur, ut plurimum atrocissimi Christianorum persecutores fuere. Adeo enim in Christianos sævire crudelitatis vitio non dabatur, ut Suetonius inter ea, quæ laude digna a Nerone sancita commemorat, ait ab ipso fuisse *afflictos suppliciis Christianos, genus hominum superstitionis novæ, & maleficæ*. Quo

Jesu Chr. an. 101.

Lib. 3. cap. 33.

Tertull. apol. cap. 2.

Tertull. ad Scapulam.

In Nerone §. 16.

JESU CHR. AN. 101. Quo præcise tempore hactenus afferta sub Trajano persecutio cæperit, definiri non potest. Id tantum ex Eusebii testimonio constat eodem fere tempore, decimo scilicet Trajani anno, Christi CVII. S. Symeonem Hierosolymitanum Episcopum, & Ignatium Antiochenum martyrium consumasse, de quibus ut etiam de ceteris hujus persecutionis Martyribus suo loco sermo habebitur. Certius aliquod indicium ex superius memorata Plinii Epistola peti posse quis crederet; sed incertum pariter est, cui anno consignanda ea sit. Alii enim citius Plinii Proconsulatum ponunt, alii serius. Circa annum 100. in Provinciam eum profectum fuisse volunt nonnulli, quidam circa an. 106., alii tandem nonnisi an. 111. aut 112. Bithiniæ administrationem suscepisse contendunt. Quæ utpote incerta in medio relinquimus.

In Chron. pag. 695. Dupin. Sæc. 1. Tom. 2. pag. 755.

JESU CHRISTI AN. 102. EVARISTI PAPÆ 3.
TRAJANI IMP. 5. COSS. C. SOSIO SENECIONE III.
ET L. LICINIO SURA II.
OLYMPIAD. 220. AN. 2. URBIS AN. 855.

Trajanus contra Dacos proficiscitur, eosque profligat.

1. Decebalo Dacorum Regi anno elapso bellum indixerat Trajanus, haud ferens pactum Dacis ab Domitiano tributum Romanos pendere. Daciam igitur hoc anno ipse cum exercitu petiit; atque in ejus interiora progressus, rejectis omnibus pacis conditionibus, cum hoste congressus est, eumque profligavit; ac Rege ipso ad deditionem compulso, nobile de iis triumphum egit, ac Dacicus exinde appellatus est. Sequenti anno adeptum eum hoc cognomen fuisse probat nummus, ab eruditissimo Norisio e Thesauro Mediceo erutus, cum hac inscriptione.

Dion lib. LXVIII. Noris. epist. Consul. Pagius not. 6. an. 103.

Imperator Cæsar Nerva Trajanus Aug: Germ: Dacius PP. in postica *Trib. P. VII.: Imp. IIII. Coss. V. P. P.* S. C.

Anno Christi 101. Baronius, aliique Dacicum Trajani triumphum alligarunt, ex falsa inscriptione a Panvinio vulgata, ut ait Norisius; apud quem plura de his videri possunt, aut apud Pagium locis supracitatis.

2. Ne-

2. Neque cum veritate conciliari magis possunt, quæ idem Baronius hoc anno memorat de Antiochena quadam Synodo ab Apostolis celebrata, cujus fragmenta & Canones Turrianus jam ante protulerat. Purum enim putumque figmentum hanc Synodum esse, cujus nullum apud veteres vestigium extat, tam evidenter ostensum est a viris eruditis, ut nulla dubitandi ratio remanserit.

JESU CHR. AN. 102. Antiochena Synodus subdititia. *Baron. an. 102. n. 19.* *Nat. Alex. Sæc. 1. dissert. 19.* *Fabrettus in Syntagm. de Column. Trajan. c. 9.*

JESU CHRISTI AN. 103. EVARISTI PAPÆ 4.
TRAJANI IMP. 6. COSS. TRAJANO AUG. V.
ET L. APPIO MAXIMO II.
OLYMP. 220. AN. 3. URBIS AN. 856.

1. De hujus anni Consulibus controversia est, quam more nostro Chronologis discutiendam relinquimus; probabiliora quæ visa sunt, sequimur, præstantiorumque criticorum suffragio confirmata. Habito devictæ Daciæ triumpho, cœpit hoc anno Trajanus magnificentissimum portum ad Centum Cellas extruere, ubi rusticam, sed ornatissimam domum habebat; quo cum esset, ad se Plinium vocavit, eoque Adsessore in litibus dirimendis utiliter usus est.

Trajanus centum cellis portum ædificat.

2. Ad hunc annum refert Dionysius Petavius nescio quem Pseudoprophetam *Elxai* nomine, qui *Ossenis* hæreticis, Trajano imperante, sese adgregavit, idque apud ipsos paravit sibi nomen, ut librum ab eo conscriptum deliriis fabulisque refertissimum, tamquam e Cœlo reciperent, duasque mulierculas, Martham & Marthanam, ex ejus stirpe tanta veneratione prosequerentur, ut pulverem pedibus earum adhærentem & sputa ad Amuleta & philacteria facienda colligerent, quæ morbis præsentissima esse remedia mentiebantur. Quænam vero fuerit hæc Ossenorum seu Sampsæorum, vel Helceseitarum, (confunduntur enim) hæreticorum Secta, non liquet. Inter Judaicas recensendam eam esse communis fere opinio est, quam tamen falsam ostendere conatus est Basnagius, quem, qui vult, adeat. En præcipui Sectæ hujus errores, quos S. Epiphanius commemorat: Christum verbo tenus confitebantur, dicentes magnus rex est Christus; sed eum interim in creaturarum ordinem cogebant; Spiritum Sanctum sexu fæminam, & Christi sororem effutiebant, utrique molem corpo-ream

De Elxai hæretico, ac Ossenorum secta & erroribus.

In Not ad Epiphanium. Hæres. 19. *Theodoret. lib. 2. Hæretic. fabular.* *Epiph. Hær. 50.* *Annal. Polit. Ecc. T. 2. ad an. 104.*

JESU CHR. AN. 103. ream sane portentosam affingentes; sacrificia penitus damnabant ut a Deo aliena, illaque unquam in lege ipsi oblata inficiabantur; aquam numinis prope cujusdam instar colebant, ignem aversabantur; ad Orientem converso vultu precari prohibebant, sed Hierosolymam versus dicebant undequaque prospiciendum; per salem, ac terram, panem, cœlum, æthera, ventumque velut numina dejerabant ex Auctoris sui disciplina. Virginitatem oderant, damnabant continentiam, nuptias imperabant; simulationem in professione Religionis licitam esse contendebant, ullum crimen esse negantes, si quis persecutionis tempore idola veneretur, dummodo id ex animo non faciat; aut si quid ore tenus, non item animo profiteatur. De hoc postremo Ossenorum errore ita scribit: *Fidem negare indifferent quiddam esse asserit. Qui enim interiore cogitatione recte de fide sentiat, tametsi ore fidem perneget, tamen animo firme illi adhæsurum*. Rejiciebant præterea S. Pauli Epistolas, & alia pro arbitrio Scripturæ Sanctæ antiquabant testimonia: Tempore Origenis vires novas sumpsit hæc hæresis, cujus ipse meminit concione in psalmo 80., ut refert Eusebius.

Eufeb. lib. 6. c. 38.

JESU CHRISI AN. 104. EVARISTI PAPÆ 5.
TRAJANI IMP. 7. COSS. SULLA II.,
ET MARCELLO.
OLIMPIAD. 220. AN. 4. URBIS AN. 857.

De Plinii Epist. ad Trajanum, deque ejusdem rescripto. *Eufeb. Chron. p. 693. inter Hier. op. tom. 8.*

1. Hoc anno, si vera scribit Eusebius, *Romæ domus aurea*, a Nerone ædificata, *incendio conflagravit*. Cumque de Christianorum rebus nihil proditum sit, quod ad hunc annum alligari certo possit, ne jejuni eumdem prætereamus; sub hoc referemus quæ Plinii junioris Proconsulatum, seu verius Præturam in Bithinia administratam spectant, ejusque celebratissimam ad Trajanum de Christianis Epistolam, quorum certum tempus ignorari superius diximus. Igitur ut primum Provinciam ingressus est, Imperatorem de itinere, adventuque suo certiorem fecit his verbis: *Sicut saluberrimam navigationem, Domine, usque Ephesum expertus; ita inde postquam vehiculis iter facere cœpi, gravissimis æstibus, atque etiam febriculis vexatus, Pergami substiti. Rursus cum transiissem in onerarias naves, contrariis ventis retentus, aliquanto tardius, quam speraveram, idest 15. Kal: Octobris Bithyniam intravi. Non possum*

Plin. lib. 10. Epist. 28.

possum tamen de mora queri, cum mihi contigerit, quod erat auspicatissimum, natalem tuum in provincia celebrare. Quæ si de quinquennalibus, ut quidam volunt, intelligenda sunt, ea sane ante biennium contigerunt; sed cum singulis annis Natale Imperatoris celebraretur, cuicumque anno aptari hæc posse perspicuum est; nec plane video, cur Pagius, aliique ad Imperatoris decennalia tantum referri hæc posse contendant. Cum vero Proconsulum, & Pro-Prætorum esset non publicas tantum, profanasque res, sed & sacras curare, illudque in primis providere, ut avita religio sarta tecta servaretur; hinc perlustranti Provinciam Plinio admodum fœda visa res est, Religionem aliam a Romana, Christianam scilicet, adeo iis in regionibus invaluisse, ut prope desolata Deorum templa conspicerentur, rarique adhuc essent qui victimas immolarent. Animadvertere igitur in Christianos cæpit, sed eorum multitudine permotus, Imperatorem consulendum censuit hac epistola, quam longiusculam licet, integram fere exhibemus, cum præclarissimum sit de Catholicæ Religionis, veterumque Christianorum sanctitate monumentum: *Solemne est mihi, domine, omnia, de quibus dubito ad te referre: quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam; ideo nescio quid, & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sit ne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri, nihil a robustioribus differant: detur ne pœnitentiæ venia, an qui omnino Christianus fuit, desiisse non prosit: nomen ipsum etiam si flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos an essent Chistiani: confitentes iterum, ac tertio interrogavi, & supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, pertinaciam certe inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem emittendos.* Tum addit libellum sibi sine auctore multorum Christianorum nomina continentem fuisse delatum, quorum aliqui se Christianos fuisse aut esse negaverunt, ac Diis sacrificare jussis, cum obtemperassent, dimittendos censuerat; alii vero se quidem Christianos fuisse dixerunt; nunc vero desiisse, & quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante vi-

Plin. lib. 10. epist. 97.

Jesu Chr. an. 104. giinti quoque; qui non solum Imperatoris imaginem, deorumque simulacra venerati sunt, sed & Christo maledixerunt.

Conventus Christianorum quales essent.

2. Cumque in Christianorum mores, actusque diligenter inquisiisset, nil dignum animadversione præter pravam immodicamque superstitionem se invenisse narrat: summam autem culpæ vel erroris in eo positam esse, quod *soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem: seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursumque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium*: post edictum vero, quo hetæriæ vetabantur, a Conventibus celebrandis Christianos cessasse addit, quod etiam didicerat ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, idest Diaconissæ, quas quæstioni subdiderat, ut ibidem narrat: *quare dilata cognitione ad consulendum te decucurri: Visa est mihi digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim Civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quæ videtur sisti, & corrigi posse. Certe satis constat prope jam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa repeti, passim venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pænitentiæ locus*. Dum autem ait Christianorum quosdam ante triennium, alios vero ante plures annos, ac nonnullos etiam a viginti annis christianæ Fidei abrenunciasse, eos indicat, qui sub eadem Trajani persecutione, sub Domitiano, vel etiam sub Nerone, ante viginti circiter annos a fide desciverant; Hetærias vero, quas haberi juxta Imperatoris præceptum vetuit Plinius, sacros conventus designari constat.

Trajani rescriptum ad Plinium. *Lib. 10. epist. 98.*

3. Hujusmodi Epistolæ hæc reposuit Trajanus: *Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerunt, sequutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt, si deferantur, & arguantur, puniendi sunt. Ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, idest supplicando*

diis

diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent; nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est. Hactenus Trajani rescriptum, quod merito sugillat Tertullianus his verbis. *O sententiam necessitate confusam; negat inquirendos ut innocentes, mandat puniri ut nocentes, parcit, & sævit, dissimulat, & animadvertit? Quid temetipsum censura circumvenis? si damnas, cur non & inquiris? si non & inquiris, cur non & absolvis.* Eusebius etiam specie tantum ejusmodi ordinatione persecutionis incendium restinctum fuisse significat, cum non minor Christiani nominis hostibus facultas suppeteret adversus nostros insidias comparare, *adeo ut*, inquit, *si non palam, & publice, locales tamen in aliquot provinciis persecutiones exardescerent, & plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subirent.* Quod vere dictum ab Eusebio fuisse, inferius manifesto patebit.

JESU CHR. AN. 104.

Tertull. Apol. cap. 1.

Eufeb. lib. 3. cap. 33.

JESU CHRISTI AN. 105. EVARISTI PAPÆ 6.
TRAJANI IMP. 8. COSS. T. JULIO CANDIDO II.
ET A. IULIO QUADRATO
OLYMP. 221. AN. 1. URBIS AN. 858.

1. Cum Dacorum Regi Decebalo impositæ sibi a Trajano superiori bello pacis conditiones asperæ nimis, minimeque ferendæ viderentur, ab iisdem aperte discedere hoc anno cœpit. Hoste propterea a Senatu Romano declarato, adversus eum secundam Imperator expeditionem suscepit, unaque secum habuit Adrianum sibi postea in Imperio successorem; de quo Spartianus: *Secunda expeditione Dacica Trajanus eum* (idest Adrianum) *primæ legioni Minerviæ præposuit, secumque duxit.* Cumque Decebalus viribus, & virtute inferiorem se esse intelligeret, Imperatorem circumvenire statuit, immissis transfugis, qui eum interficerent; sed detectis insidiis, aliisque frustra tentatis, ad pacis tractatus conversus iterum est, quos nullos potuit impetrare. Trajanus interea Apollodori, inter Architectos celeberrimi, opera Pontem lapideum in Danubio extruendum curavit, ut per eum copias facilius immittere, ac tuto reducere posset; quod opus omnium maximum habitum est.

Trajanus bello Dacico iterum proficiscitur.

Spart. in Hadr. cap. 3.

2. Vix aliud memoria dignum hoc anno contra Decebalum

Arabia Trajano subjicitur.

Jesu Chr. an. 105. Dio lib. 68. Chron. Alex. pag. Dio lib. 68.

lum gessit Trajanus, cum victoriam securam magis, quam celerem adipisci vellet, ut habet Dio. Prosperum tamen annum fecit Arabiæ, quæ Petrea dicitur, occupatio, quam in ejus ditionem redegit Palma Syriæ Præfectus; quo ex tempore, ut ait Auctor Chronici Alexandrini, Arabum Epocha ortum habuit. Hunc Palmam Syriæ Præfectum Adrianus, statim ut Imperium adeptus est, interfici jussit una cum aliis viris illustribus, eo quod insidias sibi, cum privatus esset, venando struxisset.

JESU CHRISTI AN. 106. EVARISTI PAPÆ 7.
TRAJANI IMP. 9. COSS. L. CEJONIO COMMODO VEROS
ET L. TUTIO CEREALI.
OLYMPIAD. 221. AN. 2. URBIS AN. 859.

Trajani gesta adversus Decebalum. Dio lib. 68.

1. Cum acriter Romanorum exercitibus Decebalus urgeretur, suaque tueri vix posset, ne in hostium potestatem thesauri, regiaque supellex venirent, captivorum opera converso alibi ad tempus flumine perfossoque solo prætiosiora ibidem abscondit, lapidibus terraque protexit. Dein pristinum in locum restituto flumine, servos, quorum opera usus fuerat, ne cuiquam rem proderent, occidi jussit.

JESU CHRISTI AN. 107. EVARISTI PAPÆ 8.
TRAJANI IMP. 10. COSS. SOSIO SENECIONE IIII.,
ET L. LICINIO SURA III.
OLYMPIAD 221. AN. 3. URBIS AN. 860.

Decebali interitus.

1. Dacico bello finem tandem hic annus attulit. Cum enim hostilibus armis Regia ipsa occupata, res eo devenisset, ut nulla Decebalo spes reliqua esset, ne se Romanorum arbitrio permitteret, violentas sibi ipse manus intulit. Ejus caput una cum thesauris, cujusdam Regis familiaris indicio detectis, Romam missum fuit; sicque Dacia Romanorum in potestatem redacta. Exhausto bello, Trajanus sub anni finem Urbem repetiit, secundum de Dacis triumphum acturus, ut anno sequenti videbimus.

De Simeonis Martyrio. Chron. p. 695.

2. Ad hunc annum, Trajani decimum, Simeonis Cleophæ filii, & Hierosolymorum Episcopi martyrium refert Eusebius, cujus causam & seriem ex Egesippo alibi narrat ubi ait:

ait: litteris proditum ab Egesippo, circa hæc tempora sub Attico consulari legato Syriam administrante accusatum ab hæreticis fuisse; cui duo præcipue objecta sunt, quod scilicet ex stirpe David originem duceret, ac Christianam profiteretur religionem: quare variis tormentorum generibus per dies plurimos excruciatus, constanter adeo se gessit, ut & cuncti, qui aderant, magnopere mirarentur, qua ratione vir centum viginti annos natus tot tormenta perferret. Tandem sententia Judicis cruci suffixus est. Quo vita functo, Hierosolymitani Episcopatus Sedem Justus quidam Judæus capescit. *Quippe*, inquit Eusebius, *ea tempestate innumerabiles ex circumcisione ad fidem transierant*. JESU CHR. AN. 107. *Histor. lib. 3. 33.*

3. Licet Simeonis Martyrii Epocam ab Eusebio in Cronico traditam indubiam certamque non habeamus, cum constet eo in Opere temporum rationem exacte servatam non fuisse, longe tamen a Dodwelli, Pagii, Basnagii, aliorumque opinione absumus, qui ejusdem Martyris obitum ad annum usque Christi 116. differunt, eumque non tam fidei causa, quam quod Davidica stirpe prognatus esset, passum fuisse contendunt. Cum enim, ajunt, hoc tempore turbæ ab Judæis in Palæstina excitatæ fuerint, ad earum fomitem tollendum omnes Davidici sanguinis conquiri jussit Imperator, eosque occidi; inter quos primus Simeon numeratur. Quin tamen concedamus Simeonem ob eam tantummodo causam enecatum fuisse, quod ex Davidica stirpe genitus esset, obstat inprimis Egesippus, dum adnotat Simeonem, eo quod Christianus esset, martyrium subiisse, hancque præcipuam martyrii causam fuisse innuunt varia tormentorum genera, quibus, Egesippo teste, per dies plurimos excruciatus fuit. Ac sane si, ut Dodwello placet, non aliam ob causam in eum animadversum esset, quam quod ad Regiam Davidis stirpem pertineret, cur eadem pœna affecti non sunt ejus accusatores, quos convictos ejusdem generis fuisse loco citato testatur Egesippus? Igitur ut demus Regii sanguinis cognationem inter Simeonis Martyrii causas annummerandam esse, sic inficiari non posse censemus, eidem locum quoque in primis dedisse Christianæ Religionis professionem, quam repetitis quæstionibus, tormentisque tentatam usque ad ultimum spiritum, illæsam illibatamque servavit, ut apud Eusebium videre est. Simeonis Martyrii tempus & causa. *Dodvvell. dissert. II. in Cypr. Basnag. annal. an. 116. Pag. not. ad Baron. an. 109.*

JESU

Jesu Chr. an. 108.

JESU CHRISTI an. 108. Evaristi Papæ 9.
Trajani Imp. 11. Coss. Appio Annio
Gallo, et M. Attilio Metillio Bradua
Olympiad. 221. An. 4. Urbis An. 861.

Trajanus iterum de Dacis triumphat. *Dio lib.68. Murat. an. 109.*

1. Egit hoc anno Trajanus alterum de Dacis triumphum, spectaculis cujuscumque generis per quadrimestre populo exhibitis: quæ seipsa jucunda, lætiora quoque facta sunt adventu legatorum plurimarum gentium longe positarum, ut Indorum, aliorumque, pacem suppliciter postulantium. Tum ad res Urbanas conversus Imperator, Appiam viam, quæ etiam Trajana postea dicta, restauravit, per paludes Pontinas stravit, pontesque magnificentissimos extruxit, aliaque gessit ad Reipublicæ utilitatem, & ornamentum, quæ a Dione commemorantur. *Dio lib.68.*

JESU CHRISTI an. 109. Alexandri Papæ 1.
Trajani Imp. 12. Coss. A. Cornelio Palma II.,
et C. Calvisio Tullo II.
Olympiad 222. An 1. Urbis an. 862

Trajani res gestæ. *Dio lib.68.*

1. Unus fere Xiphilinus, qui Dionem in epitomen redegit, Trajani gesta recolit, sed cum Consules singulorum annorum præterierit, quibus annis ea sint consignanda, certo definiri non potest. Hoc tamen constat, quæ optimum Principem decent, Trajanum sollicite curasse. Pluribus inædificatis Bibliothecis, voluminibus egregie instruxit, publicasque fecit. Licinio Suræ sibi amicissimo e vivis sublato magnificentissime parentavit, statuamque memoriæ ejus erigi jussit; eumdemque honorem aliis etiam tribuit, nimirum Senecioni, Palmæ, & Celso. Sed de his satis, ad res Ecclesiæ convertimur.

Evaristi Papæ obitus, cui succedit Alexander. *Euseb. lib. 4.*

2. Circa *duodecimum annum Imperii Trajani*, ait Eusebius, *cum Evaristus annos octo in Pontificatu exegisset; Romæ Episcopatum suscepit Alexander, quintum a Petro, & Paulo successionis obtinens locum*. Consentit Eusebio Chronicon Damasi, & Bucherii Catalogus, qui Evaristi obitum superioris anni Consulibus Gallo, & Braduæ alligat, & Alexandri initia sub consulatu Palmæ & Tulli reponit, quorum nomina hoc anno in fastis leguntur. Evaristum Martyribus accense-

runt

runt Ado, Florus, aliique martyrologiorum Scriptores, qui *sepultus est juxta corpus B. Petri sexto Kal. novembris*, ut in auctiori chronico Romanorum Pontificum legitur. Ejus obitum anno 108. alligat Pagius; 121. Baronius, anno 110. Dodwellus, & Pearsonius. Facilius puto inter se convenient horologia, quam de annis Romanorum Pontificum Chronologi.

JESU CHR. AN. 109.

Martyr. Rom. die 26. Octob. Pearf. de fucc. Rom. Pontif. Dodw. ibid.

3. Evaristo epistolæ duæ (ut Clementi, Cleto, Anacleto aliisque accidit) falso inscribuntur. Prima ad omnes Episcopos Africæ *data IX. Kal. Aprilis, Valente, & Vetere Coss.*, quam falsam satis ostendit prolixus Idatii, quarti sæculi auctoris, ad Valimarum Arianum insertus locus. Secunda scripta est *omnibus per Ægyptum Dominis conglutinatis fratribus, data Kal. novemb. Gallo, & Bradua Coss.*, in qua, tacito auctoris nomine, Clementis primi Papæ insignis locus ex prima epistola legitur juxta Rufini versionem, ab Evaristi ætate longe remoti; verba quoque S. Leonis I. in præfatione usurpantur: *Unum vos fratres sentire oportet & agere* &c. Unde minime dubium, quin inter spurias Isidori merces sint recensendæ: cum vero idem impostor simile quiddam de singulis fere primis Pontificibus ad Siricium usque commentatus sit, semel de insigni hac fraude hoc loco agere juvabit, ne eadem sæpius adnotando, lectorem inutiliter fatigemus.

Epistolæ Evaristo subditæ.

4. Primis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus quamplurimas Epistolas tributas olim fuisse, nonnunquam ad totius Orbis Episcopos datas, quandoque alicui nominatim inscriptas nullus ignorat. Harum auctor Isidorus vulgo habetur, qui *Mercator*, sive *Peccator* dictus est. Octavo exeunte sæculo, aut nono incipiente eum vixisse eruditi tradunt, quem Episcopum Germano-Francum Blondellus in suo adversus Turrianum libro, qui *Pseudo-Isidorus, & Turrianus vapulantes* inscribitur, existimavit. Alii Hispanum & Monachum, aut etiam Episcopum fuisse scribunt, qui humilitatis causa *peccatoris* titulo se subscriberet, quod ea ætate ab Episcopis sæpe usurpatum fuisse scimus. Nec defuerunt, qui Hincmari auctoritatem secuti, Isidoro Hispalensi Episcopo, viro sanctissimo atque doctissimo, hujusmodi opus tribuendum esse censuerint. Sic ille *Isidorus Hispalensis Episcopus collegit cum epistolis Romanæ Sedis Pontificum, a S. Clemente usque ad B. Gregorium*. Sed hæc opinio explosa merito est, ut ea quæ conciliari nullo modo potest cum iis, quæ in collectione habentur: In ea siquidem Concilii Toletani

De Epistolis primis Pontificibus falso adscriptis, earumque auctore.

Marca de Concord. l. 3. 5.

Coutan. Epist. Rom. Pontif. in præf. §. 10.

JESU CHR. AN. 109.

ni XI. anno 675. habiti, & Concilii XVI. anno 681. mentio fit, cum jam ab annis 40. circiter Isidorus Hispalensis e vivis abiisset.

Isidoriana collectio ex Hispania in Gallias transit.

Schelstrat. par. 1. Antiquit. illustr. diss. 3. Marcha ut supra. Blondell. Du-Pin. Tillemont., Fleury. Orsi. Hincmar. opuscul. contra Nepot. c. 54. Marca lib. 3. 4.

5. Quisquis tamen hic fuerit Isidorus, scire non admodum interest, nec certo definiri potest. In Hispania autem opus istud vulgatum primo fuisse, unde postea in Gallias transierit, verosimile est; nam Hincmarus Gallicanus noni sæculi scriptor, Riculphi Moguntini Episcopi opera vulgatas eas epistolas in Gallia fuisse, diserte testatur his verbis: *De libro Collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculphus Mogontinus Episcopus in hujusmodi, sicut & in capitulis Regiis studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit*. Post Riculphum, qui ab anno 787. ad annum 814. Mogontinæ præfuit Ecclesiæ, sententiæ aliquot ex Apocryphis hujusmodi decretalibus transiere in collectionem canonum Gallicanæ Ecclesiæ, donec integros fere, ut ait de Marcha, *ex Scriniis Ecclesiæ Mogontiacensis in unum corpus compegit Benedictus Levita, jussu Autgarii ejus Ecclesiæ Episcopi, easque Lothario, Ludovico, & Carolo nobilissimis Regibus filiis Ludovici pii inscripsit circa annum* 850. *In iis libris passim e Clementis, Anacleti, Pii, Evaristi, Fabiani, & ceterorum Pontificum &c. Epistolis, quamvis suppresso auctorum nomine, auctoritas petitur: quod usurpatum etiam ab auctoribus additionum, quæ libris capitularium adjunctæ sunt*. Hæc de Marcha de Isidorianarum decretalium receptione; quarum auctoritas adeo paulatim crevit, atque firmata est, ut de iis dubitare aliquando nefas fuerit, cum & in scholis ut genuina monumenta traderentur, & in Burchardi, Ivonis, Gratiani, aliorumque Canonum collectionibus insertæ, non solum a Scriptoribus Ecclesiasticis, ac Juris Canonici tractatoribus, sed Episcopis etiam, ac Romanis Pontificibus, veluti disciplinæ fontes, morumque regulæ haberentur: *Eo deventum est*, subdit idem auctor, *ut tantis nominibus veterum Pontificum cesserint una cum reliquis Episcopis etiam Gallicanæ Ecclesiæ Rectores, qui in Concilio Rhemensi ab Hugone, & Roberto Regibus Francorum coacto anno 892. Anacleti, Julii, Damasi, & aliorum Pontificum Epistolas expendunt in causa Arnulphi, ac si in canonum censum receptæ essent. Quare Burchardus Vormatiensis Episcopus, cum novam collectionem canonum institueret circa annum* 1010., *eam ex seculi sui sensu primo-*

rum

rum Pontificum Epistolis auxit, quibus & selectos ex Augustino, Hieronymo, Gregorio, & Isidoro locos adjunxit. Eamdem rationem secutus est Ivo Carnotensis in ea collectione canonum, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circa annum 1100. *publicavit. Successit Gratianus, qui decretorum corpus nova quidem methodo adornavit, sed collectionem tam Dionysii Exigui, quam Isidori, & Ivonis, in partes dissectam in unum corpus industria sua temperatum compegit, & aliquot legibus, novis Pontificum constitutionibus, & conciliorum ac SS. Patrum locis ampliavit circa annum* 1150: *Gratiani collectionem scholæ omnes adoptarunt, eoque jure ad controversias dirimendas usi sunt Doctores usque ad sæculum decimum quintum.* Tunc primum in dubium ab Hæreticis Viclefistis, postmodum a Magdeburgensibus vocatæ sunt hujuscemodi Epistolæ; quas vindicare, fuisque Pontificibus, quibus ascribebantur, asserere tentarunt contra Magdeburgenses Franciscus Turrianus, & Severinus Binius in notis ad Conciliorum Collectionem. Attamen qui fecuti sunt eruditi viri, accuratiori instituto examine, eas omnes, quæ sunt Syricio anteriores, tamquam suppositas uno ore damnarunt, ut apud Schelestratium Marcham, Tillemontium, Du-Pinium, Dodvvellum, aliosque innumeros videri potest.

Concil. Constant. Sess. 8. inter proscript. Viclefistar. Theses n.38. Coutan. præf. in ep'st. Rom. Pontif. Birteli instit. Juris Canon.

6. Argumenta autem, quibus harum Epistolarum falsitas detecta est ac liquido ostensa, hæc sunt præcipua. Primo quod Sacra Scriptura juxta vulgatam editionem a S. Hieronymo adornatam ut plurimum utatur is auctor; ergo saltem post S. Doctoris ætatem eum scripsisse dicendum est. Præterea si hujusmodi veterum Pontificum Decretales Epistolæ genuini essent illorum fœtus, Auctores ecclesiastici octo priorum sæculorum earum procul dubio meminissent, has citassent interdum Concilia, protulissent Romani Pontifices. At ne unus quidem ante nonum sæculum has Epistolas nominavit; non S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, non Siricius, non Innocentius, non S. Leo, aliique SS. Pontifices, non ullum octo priorum Conciliorum Œcumenicorum, non Dionysius, aut Cresconius Canonum Collectores, non denique Photius vir immensæ lectionis & eruditionis. Accedit styli similitudo, & idem prorsus scribendi character, quod unum eumdemque auctorem manifesto prodit; non enim fieri ulla ratione potuit, ut tot Pontifices diversis temporibus eosdem

Argumenta, quibus falsitas Decretalium probatur.

JESU CHR. AN. 109. *Ant. Aug. de Gratian. emend. cap. 7. 8. 16. &c.*

dictionis characteres servaverint, eumdemque stylum. Sed & Imperatorum leges, quarum in iis mentio occurrit, ex Theodosiano Codice exscriptas fuisse primus advertit Antonius Augustinus; cum tamen Theodosianus Codex duobus tribusve sæculis post Pontifices, quibus illæ epistolæ affinguntur, conscriptus sit. Non absimile imposturæ argumentum ex falsa temporum consignatione eruitur; cum omnes ferme falsis temporum Consulatuumque notis distinctæ sint. Tandem, ne singula persequamur, sat eas est suppositititias censere, quæ compilatæ sunt ex epistolis, operibus, & decretis posteriorum Pontificum, Patrum, & Conciliorum, quod accurate ostendit Blondellus in Prolegomenis Pseudo-Isidori cap. 13., ubi in singulis epistolis notat sententias ex scriptis Auctorum posteriorum delibatas & ad verbum transcriptas, quæ harum Consarcinatorem Epistolarum turpissimi plagii reum constituunt.

JESU CHRISTI AN. 110. ALEXANDRI PAPÆ 2.
TRAJANI IMP. 13. COSS. SERVIO SALVIDIENO ORPHITO, ET MARCO PRISCINIO.
OLYMP. 222. AN. 2. URBIS AN. 863.

Cerdo Patriarcha Alexand. obiit, cui succedit Primus.

Euseb. Hist. lib. 4. c. 1.
Apud Renaudot. hist. Patriarch. Alexandrin. pag. 15.

1. Circa hæc tempora, inquit Eusebius, *Cerdo Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus abiit e vita, quartusque ab Apostolis ministerium ejus Ecclesiæ sortitus est Primus*. Fuit hic, referente Severo in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, ob vitæ integritatem, aliasque præclaras dotes, ex laico ad Episcopalem thronum evectus; eamque Sedem ad annum usque 122. sanctissime gubernavit, cujus gesta, sicut aliorum ejus ætatis, in obscuro remanserunt.

Euseb. Chron. pag. 697. Inter Hieronym. oper. tom. 8. Scaliger. ad hunc locum Murator. hoc anno.

2. Hoc anno *Romæ Pantheon concrematum fuisse*, idem scribit Eusebius; cujus verba non eodem modo ab eruditis accipiuntur. Nam cum integrum adhuc extet Romæ Pantheon, quod vulgo *Rotonda* dicitur, de eo Eusebium locutum fuisse nolunt, sed forte de alio, cujus memoria interciderit, aut etiam conflagratum eum dixit, quod fulmine tactum fuerit ac deturpatum.

JESU

Jesu Chr. an. 111.

JESU CHRISTI an. 111. Alexandri Papæ 3.
Trajani Imp. 14. Coss. C. Calphurnio Pisoni,
Et M. Vettio Bolano
Olymp. 222. an. 3. Urbis an. 864.

1. Cum nil memoria dignum hoc anno suppeditent Ecclesiæ tabulæ, eum taciti prætermimus.

JESU CHRISTI an. 112. Alexandri Papæ 4.
Trajani Imp. 15. Coss. Trajano Aug. VI.,
Et T. Sextio Africano.
Olymp. 222. an. 4. Urbis an. 865.

1. Labente Christi anno 112. forum Trajanus extruxit magnificentissimum, atque ingenti in medio ejus erecta columna, quæ res bello Dacico gestas repræsentaret, elegantissime exornavit; opus posteritati admirationi fuisse, testis est inter ceteros Marcellinus, qui de Constantio Augusto narrat: *Cum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni Cœlo structuram, ut opinamur etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu ineffabiles, nec rursus mortalibus appetendos*. Columna tantum, eaque integra modo superest, in qua explicanda eruditi viri non pauci operam suam collocarunt. Erectam eam Consulatu Trajani Sexto, labenti videlicet anno, inscriptio, quæ etiamnum legitur, prodit.

Trajanus Forum ædificat, ibique columnam erigit. *Cassiod. variar. lib. 7. 6. App. Marcell. lib. 16. 10.*

Fabretti de Columna Trajani.

SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS
IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ
TRAJANO. AUG. GERM. DACICO. PONTIF.
MAX. TRIBUN. POT. XVII. COSS. VI. PP
AD. DECLARANDUM. QUANTÆ. ALTITUDINIS
MONS. ET. LOCUS. TANTIS. OPERIBUS. SIT. EGESTUS

Quæ postrema verba denotant Trajanum Quirinalis montis radices explanasse, ut forum dilataret; quod & a Dione traditum est, ubi ait *eum locum montuosum, quanta est altitudo Columnæ, perfodiisse, forumque eo pacto complanasse*.

2. *Post hæc*, sequitur idem auctor, *bellum intulit Arme-*

Trajanus Persis bellum illaturus, in Orientem proficiscitur.

JESU CHR. AN. 112.

meniis, Parthisque, propterea quod (ut ipse dicebat) Rex Armeniorum, non abs se, sed a Rege Parthorum diadema accepisset; sed revera id bellum suscepit adductus gloriæ cupiditate: Cum Athenas venisset, Legati Chosrois Parthorum Regis eum conveniunt, pacem petunt, ac munera offerunt, obsecrantes, ut delatum Parthamisio Armeniæ Regnum ratum haberet. Ipse vero, repudiatis muneribus, paucis respondit, se, cum primum in Syriam advenisset, provisurum omnia, quæ fieri par esset, ut pluribus narrat Dio. Athenis cum esset, ut eum sibi Civitas promereretur; Hadrianum ejus consobrinum, eique carissimum Archontem renunciavit. *Athenis*, inquit Phlegon, *Archonte Hadriano, qui Imperator factus est; consulibus Romæ Imperatore Trajano VI. & Tito Sextio Africano*. Quibus verbis hunc designat annum; unde Trajani in Orientem profectio vix alio, quam præsenti anno alligari posse censemus. Eum bis in Orientem transiisse aliqui suspicantur, anno scilicet 106., & iterum anno 112; quod nullo veterum testimonio confirmari potest. Unam Trajani expeditionem novit Dio post dedicatum forum; unam & Spartianus in Hadriani vita, nec ante hæc tempora Trajanus Parthici titulum habuit, ut nummi indicant, quibus post sextum consulatum tantum eo titulo decoratur. Scimus quidem huic sententiæ S. Ignatii acta adversari, quibus habetur Trajanum anno 107., Coss. Sura & Senecione secundo, post quartum sui Imperii annum Antiochiæ adfuisse, ubi Ignatium Episcopum ob Christianæ fidei confessionem Romam perduci, ferisque objici jussit. Verum etsi Ignatii acta, ut genuina agnoscamus, notam tamen temporis adscititiam, & aliena manu insertam cum eruditissimis viris asserere non dubitamus.

JESU CHRISTI AN. 113. ALEXANDRI PAPÆ 5.
TRAJANI IMP. 16. COSS. L. PUBLIO CELSO II.,
ET C. CLODIO CRISPINO.
OLYMP. 223. AN. 1. URBIS AN. 866.

Trajani gesta in bello Parthico.

1. Parthico bello intentus, Antiochiæ hoc anno Trajanus adfuit, cui Abgarus Osdrœnorum Rex perhonorificam legationem cum muneribus misit, eidem tamen occurrere, ne Parthos offenderet, ausus non est; cum enim utrosque timeret, utrosque etiam pro viribus sibi conciliare satagebat. Antio-

tiochia decedens, Perfidem ingreditur, cui Satrapæ, Regesque pacem & amicitiam postulantes obviam facti sunt, nulloque adversante Samosatam usque pervenit. Jesu Chr. an. 113.

2. Cum Antiochiæ versaretur Trajanus, hostilem adeo adversus Christianos animum prodidit, ut *omnes Dei cultores existentes vel sacrificare vel mori cogeret*, inquiunt S. Ignatii Acta sincera, ex quibus plura fortissimum hunc Martyrem spectantia hic referemus. Comprehenso igitur a militibus Ignatio, post Evodium Petri Successorem Antiochenæ Sedis Antistite, ac Imperatori oblato, *Trajanus dixit*: *Quis est Cacodæmon, nostras festinans præceptiones transcendere, cum & alteros persuadere, ut perdantur male? Ignatius dixit: Nullus Theophorum vocat Cacodæmonem. Recesserunt enim longe a servis Dei dæmonia; si autem, quoniam iis gravis sum, malum me adversus Dæmones vocas, confiteor. Christum enim habens supercælestem Regem, dissolvo horum insidias. Trajanus dixit: Et quis est Theophorus? Ignatius respondit: Qui Christum habet in pectore. Trajanus dixit: Nos igitur tibi videmur non habere secundum intellectum Deos, quibus utimur compugnatoribus adversus adversarios? Ignatius dixit: Dæmonia gentium Deos appellas, errans. Unus enim est Deus, qui fecit Cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in ipsis, & unus Christus Jesus Filius ipsius Unigenitus, cujus amicitia fruar. Trajanus dixit: Crucifixum dicis sub Pontio Pilato? Ignatius dixit: Crucifigentem peccatum cum ipsius inventore; & omnem condemnantem dæmoniacam malitiam sub pedibus eorum, qui ipsum in corde ferunt. Trajanus dixit: Tu igitur in te ipso Christum circumfers? Ignatius dixit: Etiam: scriptum est enim: Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* 2. Cor. 6. 16.

Ignatius Trajano sistitur.

3. Ignatii constantiam non ferens Trajanus, hanc in eum mortis sententiam protulit: *Ignatium, præcipimus, in se ipso dicentem circumferre Crucifixum, vinctum a militibus duci in magnam Romam cibum bestiarum in spectaculum plebis futurum*. Tranquillo hilarique animo sententiam excepit Ignatius, sua ipse vincula corpori aptavit, ac confestim Antiochia Seleuciam abductus, conscensa navi Smyrnam appulit; ubi viso allocutoque Polycarpo ejus urbis Episcopo, ac olim Joannis Apostoli discipulo, Epistolam ad Romanos dedit, quæ ardentissimum Christi amorem, proque eo patiendi vehemens desiderium spirat. Smyrna solvens, Troadem delatus est

Ignatius Romam deductus, feris objicitur.

JESU CHR. AN. 113. est, unde Neapolim in Macedonia trajecit, perque Philippos & Macedoniam pedibus in Epirum pervenit. Interim omnes Ecclesiæ, per quas transiit, perhonorificas ad eum legationes destinarunt, quas voce & scriptis ipse solatus, & adhortatus est ad constantiam. Tandem trajecto Adriatico & Tyrrheno mari Romam pervenit tertio dec. Kal. Jan. eaque ipsa die, qua, teste Macrobio, *Sigillaria festa* agebantur, bestiis expositus illico, prout in Epistola ad Romanos optaverat, ab iisdem devoratus est, exceptis durioribus ossibus; *quæ in Antiochiam reportata sunt, & in capsa reposita, sicut thesaurus inappretiabilis, ac in Martyris gratiam Sanctæ Ecclesiæ relicta*.

Macrob. Saturn. lib. 1. 10.

Eusebii aliorumque de Ignatio testimonia. *Eusеb. lib. 3. 36.*

4. Licet quæ modo laudavimus Acta ab Eusebio commemorata non fuerint, iis tamen consona omnino sunt, quæ de Ignatio ejusque obitu atque Epistolis tradit ex Irenæo, & Polycarpo, cum ait. *Ignatius, nostra ætate, multorum sermonibus celebratus, secundus post Petrum Antiochensem Ecclesiam sortitus est (idest post Evodium). Hic ob fidem Christi e Syria ad Urbem Romam perductus, bestiis objectus esse dicitur. Et cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus, & cohortationibus suis confirmans monebat in primis, ut sibi a pravis hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primum in lucem emergere cum cæpissent, copiosius pullulabant. Hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit. Itaque cum Smyrnam venisset, in qua tum erat Polycarpus, unam quidem Epistolam scripsit ad Ecclesiam Ephesiorum, in qua Onesimi ipsorum Pastoris mentionem facit. Alteram quoque dedit ad Ecclesiam Magnesiæ civitatis, quæ ad Meandrum sita est, in qua etiam Damam Episcopum nominat. Aliam item ad Ecclesiam Trallianorum, cujus Antistitem tunc fuisse memorat Polybium. Præter has est & alia ejus Epistola ad Ecclesiam Urbis Romæ; in qua orat, atque hortatur Romanos, ne martyrium a se depellentes, ac deprecantes, spe ac voto se fraudare velint.* Cetera ejusdem Epistolæ prosequitur Eusebius, tum hæc subdit: *Postea vero a Smyrna ulterius progressus, cum Troadem venisset, inde ad Philadelphenses litteras dedit, & ad Smyrnæorum Ecclesiam, privatim-*

vatimque ad Polycarpum eorum Episcopum. Cui præ ceteris Antiochensem Ecclesiam vehementissime commendat, enixe rogans, ut omni cura ac diligentia illam fovere vellet. Sequitur deinde: *Hujus porro Ignatii & martyrium, & epistolas commemorat Irenæus his verbis. Quemadmodum dixisse fertur quidam e nostris ob Christi fidem damnatus ad bestias: frumentum ego sum Dei, & ferarum dentibus molor, atque comminuor, ut panis mundus efficiar*. Altero tandem ex Polycarpo de Ignatio ejusque Epistolis adducto testimonio, narrationem suam absolvit Eusebius, cui Athanasius, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoritus, recentiores mitto, per omnia consentiunt, unaque voce Ignatium & eo mortis genere, quod in Actis describitur, occubuisse, & plurimas ab eo Epistolas scriptas fuisse testantur. Res igitur a tot tantisque viris, quorum aliqui eadem vel proxima ætate floruerunt, ut Polycarpus & Irenæus, tradita atque testata eo usque certa videtur, ut historiarum nulla firmioribus comprobari possit aut testibus, aut argumentis. Nihilominus ad ea devenimus tempora, ut nihil pene sit, quod in dubium non revocetur ab iis præsertim, qui cum ab Ecclesia desciverint, suisque præjudiciis teneantur, quæcumque ipsorum erroribus adversantur, ut apocrypha, & fabulosa rejiciunt, quod Actis ac Epistolis Ignatianis accidit. Cum enim, inter cetera, iisdem ex actis, & Epistolis Episcopalis ordinis distinctio, ac excellentia supra Presbyteros dilucide appareat ac comprobetur; ne illustrem Martyrem, tantæque antiquitatis, & auctoritatis Episcopum adversari sibi faterentur, eadem uti supposititia, & apocrypha Blondellus, Salmasius, Dalleus, Basnagius, aliique traducere maluerunt: pessimo sane consilio, ut Cotelerius advertit; cum siquidem adversus verum Ignatium irrita ipsorum futura fuissent tela, falsum idcirco suppositumque habere excogitarunt, in quem jacula dirigerent; quibus imbellem vincendo, invincibilem etiam vicisse viderentur. Et quidem cum fatuum fuisset, post tot veterum testimonia, Ignatium epistolas scripsisse omnino inficiari; ei tamen inscribendas nullatenus esse eas, quæ nunc, sive ex Usseriana, sive Vossiana editione circumferuntur, evincere conati sunt; quo autem exitu, inferius fortasse videbimus. De earumdem numero nunc aliqua prænotamus.

Athan. de Synod. Seleuc. & Arimin. T. 1. Chrysost. Serm. de uno legislat. T. 6. Ed. Par. Hieron. de Viris illustr. c. 16. & alibi. Theodor. Dial. 1.

Blondell. in Apolog. pro sentent. Hieronym. Dalleus de Scriptis Dionys. & Ignat. Basnag. annal. an. 105. Coteler. præf. in epist. Ignat. tom. 2. ap. PP.

5. Veterum plurimi quindecim, aut quatuordecim, aut duodecim saltem Ignatio Martyri Epistolas tribuerunt; videli-

De numero epist. Ignatii Martyr.

Jesu Chr. an. 113.

delicet ad Joannem Apostolum duas, ad B. Virginem Deiparam, ad Mariam Cassobolitem, ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenses, ad Smyrnæos, ad Polycarpum, ad Tarsenses, ad Antiochenos, ad Heronem Diaconum, ad Philippenses. Baronius quidem duodecim tantum Sancto Martyri adscripsit; atque ad Joannem geminas, & ad Beatam Virginem Deiparam datas præteriit. At inter eruditos jam convenit, nonnisi septem fuisse Ignatii Epistolas, quarum post Eusebium Hieronymus meminit; ad Smyrnæos scilicet, ad Polycarpum, ad Ephesios, ad Magnesios, ad Philadelphenses, ad Trallianos, ad Romanos. Nonnulli tamen eam, quæ ad Polycarpum est, rejiciunt; nec aliam nisi ad Smyrnæos Ignatii Epistolam agnoscunt, quæ tamen & Polycarpo dici potest inscripta, quod eidem Ecclesiæ ipse præesset. Sed id cum expresso Eusebii atque Hieronymi testimonio, cui sex alia innituntur Epistolæ, pugnat, tum Polycarpi ipsius auctoritati refragatur, qui in sua ad Philippenses de recepta ab Ignatio Epistola hæc habet: *Scripsistis ad me, & vos, & Ignatius, ut si quis forte in Syriam proficisceretur, vestras litteras eo deferret &c.* ut in antiqua versione legitur: hæc autem verba in Usseriana editione, utpote mutila, desiderantur.

Bar. an. 109. n. 34.

Usser. disser. de Scriptis Polycarpi to. 2. PP. Apost. Basnag. 107. 12.

De epistolis S. Ignatii, earumque argumentis.

6. Ignatii Epistolas ex Medicæo Codice Vossius primum, deinde Usserius vulgarunt, notis illustrarunt, iisque, pro legitimo Ignatii fœtu agnoscendas, argumentis ostenderunt, ut doctissimis quibusque insecutis Scriptoribus, partium studio non abreptis, persuaserint, ac nobis, aliisque etiam fecerint. Si enim in hæc ingredi voluerimus, *aut eadem*, ut cum Hieronymo loquamur, *dicemus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a clarissimis ingeniis occupata sunt meliora*: Ad Superius igitur laudatos Auctores, tum ad Pearsonium & Cotelerium remisso lectore, sat nobis erit in earumdem Epistolarum, eo quo conscriptæ sunt ordine, argumentis partibusque designandis paulisper immorari. Prima, quæ ad Ephesios scripta est, admonet eos, ut Onesymo Episcopo, quem laudibus effert, in omnibus pareant, ut schismata vitent, Hæreticosque a se procul amoveant, qui: *Solent*, inquit, *malo dolo nomen quidem circumferre, sed patrant quædam indigna Deo; quos oportet vos ut feras evitare. Sunt enim Canes rabidi clam mordentes, quos a vobis vitari oportet*. Hortatur præterea, dignis ut mo-

Hieron. Dial. 3. Pelag. in fine.

De Epistola ad Ephesios.

ut moribus vivant, frequenter *ad agendas Deo gratias* conveniant, atque a vitiis & fornicationibus abstinentes, *Christi Crucem*, in qua vita & salus est, jugiter gestent, in eaque glorientur; eorum tandem orationibus se commendat, suasque vicissim spondet. Unum quod tam huic, quam duabus sequentibus Epistolis commune est, hic diligenter contra Novatores adverti volumus, distinctionem scilicet, quam in his S. Martyr ubique ponit Episcopos inter & Presbyteros, quæ sensibilis adeo est ac manifesta, ut eam Clericus ipse agnoverit ac fassus fuerit. Hanc Smyrnæ scripsit Ignatius: *unde*, ait, *Romam vinctus adducor, novissimus fidelium, qui ibi sunt &c.* Cleric., Hist. Eccl. sæc. sec. ad an. 116.

7. In altera Magnesianis data ipsorum charitatem laudat, *secundum Deum bene ordinatam*, quos cum alloqui cuperet, omnes quodammodo vidisse se ait in Dama ipsorum Episcopo, in Presbyteris Basso, & Apollonio, & in Sotione Diacono. Monet autem, ne ejusdem Damæ Episcopi juvenilem ætatem spernant; sed eum ipsi, Presbyterisque honorem ac subjectionem exhibeant, eaque charitate jungantur: *Quemadmodum*, inquit, *Dominus sine Patre nihil fecit, ... ita neque vos sine Episcopo, & Presbyteris quidquam agite ... sed in unum convenientibus una sit oratio, una precatio, una mens, una spes, in charitate, in gaudio inculpato. Unus est Jesus Christus, quo nihil præstantius est. Omnes itaque velut in unum Templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum Jesum Christum, qui ab uno Patre prodit, & in uno existit.* Pluribus deinde contra eos, qui Judaicorum Rituum observantiam urgebant, præmunit, epistolamque ipsam Smyrnæ datam his verbis absolvit: *Salutant vos Ephesi de Smyrna, unde hæc scribo vobis; memores estote mei in orationibus vestris, ut Deum assequar &c.* Epistolæ ad Trallianos, quæ tertia habetur, idem argumentum est; ea insuper iisdem pene verbis concepta, eodemque loco exarata. Nam eorum Episcopi præsertim laudata fide, subordinationem, mutuamque dilectionem inculcat, utque ab hæreticis, quos suis characteribus designat, diligentissime caveant, pluribus hortatur.

De epist. ad Magnesianos.

De epistola ad Trallianos.

8. Præ ceteris celeberrima est ea, quam ad Romanos dedit, atque ad pios animi sensus excitandos accommodatissima: digna sane, ut integra fere exscribatur; stylo tamen, temporique parcentes præcipua elegimus. *Quemadmodum*, inquit, *precatus Deum obtinui, ut viderem divinam vestram faciem,*

De epistola ad Romanos.

JESU CHR. AN. 113. *sicut & plurimum, ut hoc consequerer, expetebam. Vinctus enim in Christo Jesu, spero, me salutaturum vos, si voluntas sit, ut dignus judicer ad finem perduci. Nam exordium constitutum est bene, si modo gratiam meam consequar, ut sortem meam sine impedimento percipiam. Metuo enim charitatem vestram, ne ipsa me lædat. Vobis quippe facile est, quod vultis facere: mihi vero difficile est Deum assequi, si vos mihi non peperceritis. Nolo autem vos hominibus, sed Deo placere, sicut & placetis. Nec enim ego unquam habiturus sum ejusmodi occasionem Deum assequendi: nec vos, si taceatis, præstantiori operi inscribi poteritis. Si enim de me tacueritis, ego Dei fiam: sin autem carnem meam dilexeritis, denuo currendum est mihi. Plus autem mihi tribuere non potestis, quam ut immoler.* Romanos hinc hortatur, ut Deo & Christo Jesu gratias agant, quod Episcopum Syriæ ab Oriente accersitum in Occidentem vocaverit, ut ibidem Martyr fieret; quare hoc præcipue a Romanis efflagitat, ut vires sibi petant ita ut: *Non tantum dicar Christianus, sed & inveniar. Si enim inventus fuero, etiam dici potero, & tunc fidelis esse, cum Mundo non apparebo.* Et post aliqua, *Ecclesiis scribo, & mando omnibus, quod voluntarius pro Deo morior: si modo vos non probibueritis. Obsecro vos, ne intempestiva benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci. Frumentum sum Dei: & dentibus ferarum molar, ut mundus panis inveniar. Blanditiis demulcete potius feras, ut mihi sepulcrum fiant, & nihil de corpore meo relinquant; ne cum obdormiero, molestus cuiquam inveniar. Tunc ero verus Jesu Christi discipulus, quando Mundus nec corpus meum videbit. Deprecemini Christum pro me, ut per hæc organa Dei efficiar hostia. Non ut Petrus, & Paulus præcipio vobis. Illi Apostoli, ego condemnatus: illi liberi, ego etiamnum servus: at si passus fuero, libertus sum Jesu Christi, & resurgam liber. Et nunc vinctus, disco nihil concupiscere. A Syria Romam usque cum bestiis depugno, terra, marique, noctu, ac interdiu, alligatus decem Leopardis, qui est militaris manipulus: qui & beneficio affecti pejores fiunt. At ego eorum injuriis magis erudior. Sed non propter hoc justificatus sum. Utinam fruar bestiis mihi paratis: quas & opto veloces mihi inveniri; quas & blanditiis demulcebo, ut citius me devorent, non ut quosdam veritæ non attigerunt. Sed & si ipsæ volentem*

S. Ignatius Martyrium ardenter concupiscit.

Quæ S. Ignatius pertulerit in itinere.

tem nolint, ego vi adigam. Ignoſcite mihi; quid mihi utile ſit, ego novi. Nunc incipio diſcipulus eſſe. Viſibilium, & inviſibilium nihil expectans, ut Jeſum Chriſtum aſſequar. Ignis, crux, ferarum concurſus, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis contritiones, mala Diaboli tormenta, in me veniant; tantummodo ut Jeſum Chriſtum nanciſcar. Ita ut optabilius ſibi fore teſtetur pro Chriſto mori, quam totius Mundi Regno potiri; quare iterum, iterumque Romanos deprecatus, ne orationibus ſuis ad martyrium ſubeundum impedimento eſſe velint, poſt plurima ſubdit: *Vivens ſcribo vobis, amore captus moriendi. Meus amor Crucifixus eſt: & non eſt in me ignis amans aliquam aquam; ſed vivens, & loquens in me, intus mihi dicit: Veni ad Patrem. Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ: panem Dei volo; qui eſt caro Jeſu Chriſti, qui ex genere Davidis: & potum volo ſanguinem illius, qui eſt charitas incorruptibilis. Nolo amplius ſecundum homines vivere, id autem fiet, ſi vos volueritis.* Et iterum, *Petite pro me, ut conſequar. Non ſecundum carnem vobis ſcripſi, ſed ſecundum Dei arbitrium. Si patiar, voluiſtis: ſin rejiciar, odiſtis. Memores eſtote in precibus veſtris Eccleſiæ, quæ eſt in Syria, quæ pro me Deo paſtore utitur. Solus ipſam Jeſus Chriſtus vice Epiſcopi regat, & veſtra charitas. Me vero pudet, de illorum numero dici. Nec enim dignus ſum, cum noviſſimus eorum ſim & abortivus: ſed per miſericordiam obtinui, ut ſim aliquis, ſi Deum aſſequar. Salutat vos meus Spiritus, & charitas Eccleſiarum, quæ me ſuſceperunt in nomine Jeſu Chriſti, non quaſi obiter prætereuntem. Etenim quæ non convenerunt me in via, quæ eſt ſecundum carnem, in civitatibus me honorifice deduxerunt. Scribo autem vobis hæc e Smyrna per Epheſios merito beatos. Eſt autem mecum cum aliis multis & Crocus, exoptatum mihi nomen. De his, qui e Syria Romam venerunt ad gloriam Dei, credo vos cognoviſſe: quibus & ſignificate, me prope eſſe. Omnes enim ſunt Deo digni, & vobis: quos decet, ut vos per omnia refocilletis; Scripſi autem vobis hæc die ante IX. Kalendas Septembris. Valete in perpetuum, in patientia Jeſu Chriſti.* Hactenus Ignatii epiſtola, quæ ceteris præſtantior habita ſemper eſt, non ſolum ob Romanæ Eccleſiæ, cui inſcribitur, dignitatem, ſed etiam quod mirifice prorſus, ut quiſque videre potuit, animi ſui ſenſus in ipſa ex-

Jesu Chr. an. 113. expresserit, cum ad martyrium veluti ad regales nuptias toto mentis affectu properaret.

Ignatii epistola ad Philadelphenses. 9. Quinta est ad Philadelphenses, Troade ad eos data; quam a laudibus ejus Ecclesiæ Episcopi inchoat Ignatius, quocum, & Presbyteris in summa conjunctione ut vivant, fideles pluribus hortatur. Cum vero inter ipsos nonnulli essent, qui vel ignorantia, vel metu, vel alia quapiam animi perturbatione sese ab unitate Ecclesiæ sejungerent, si pœnitentia ducti, iterum Ecclesiasticis cœtibus inseri postularent, eos recipi oportere declarat. Quanam autem occasione dicta hæc fuerint, nondum liquet. Tum de se ipso loquens Ignatius, cum se honorem Christi Evangelio deferre testatur, quem ipsi Christo tribueret, si adhuc inter homines viveret. Quod quidem contra Judæos vetus tantummodo Testamentum laudantes dictum videtur, quos monet esse cavendos; illisque antiquitatem opponentibus, *mihi vero*, inquit, *pro antiquis est Jesus Christus; illibata antiqua* (dogmata) *Crux ejus, & mors, & Resurrectio, & fides, quæ per eum est*.

De Ignatii epistola ad Smyrnæos. 10. Aliam Troade dedit Ignatius Epistolam, Smyrnæis inscriptam, quam misit per Burrhum Diaconum Ephesium. Cum in eam Ecclesiam Phantasiastæ, Gnostici, Ophitæ, aliique irrepsissent hæretici, qui contenderent Christum verum corpus non habuisse, nec vere mortuum esse, sed κατὰ δόκησιν, hoc est, visum tantum mori, propztereaque ab Eucharistia sumenda abstinerent; ideo incarnationis fidem pluribus adstruit, Christum *vere passum esse* ait, *ut vere semetipsum excitarat, non ut quidam infideles dicebant, visum tantum esse pati*. Quamvis autem in omnibus superioribus Epistolis, præter eam quæ ad Romanos data est, Ignatius Christianos ad obsequium erga Rectores Ecclesiarum hortatus sit; in nulla studiosius id agit, quam in hac, ubi c. VIII. sic loquitur: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, Presbyterium ut Apostolos, Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum; sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit*; In fine, *salutat vos*, inquit, *charitas fratrum, qui sunt in Troade, unde & scribo vobis per Burrhum, quem misistis mecum una cum Ephesiis fratribus vestris, qui omni modo me refocillavit*.

Tertull. de præscrip. cap. 47. Epiph. hær. 26. & 37. Aug. Theod. lib. de Hæres.

De epistola ad Polycarpum. 11. Troade excedens, ultimam ad Polycarpum Epistolam

lam dedit, cum Neapolim tenderet: In hac, quæ sint optimi Pastoris officia, Polycarpum admonet, & Fideles, ut una cum Episcopo sentiant, ipsumque imitentur, exhortatur. Illud autem cum ex hac ad Polycarpum Epistola, tum ex iis, quæ ad Philadelphios, & Smyrnæos datæ sunt, patet, restitutam eo tempore fuisse Ecclesiis Syriæ pacem, quæ Trajani adventu turbata fuerat. Quapropter cum iisdem gratulatur Ignatius, ac *decere*, ait, *ad Dei honorem, ut Ecclesia vestra*, Smyrnæos alloquitur, *eligat sacrum legatum, ut cum ad Syriam usque venerit, congratuletur illis, quod pacem consecuti sunt*. Tandem ad Polycarpum, *quia vero*, inquit, *Ecclesia, quæ est in Antiochia Syriæ, pace, ut relatum est, fruitur per preces vestras, & ego tranquilliori animo &c.* Atque hæc de Ignatii martyrio, ejusque epistolis.

Alii martyres qui in Trajani persecutione passi sunt.

12. Una cum Ignatio alios quoque persecutione eadem martyrii palmam adeptos fuisse, nullus dubitat; ejusdem namque Imperatoris jussu Rufum etiam, & Zosimum Philippenses ob Christi fidem necatos fuisse, apertis plane verbis testatur Polycarpus in sua ad Philippenses Epistola. Sed præter duos neminem alium in Syria passum fuisse contendens Dodwellus inquit: *Polycarpus, qui de istis scripsit in Epistola ad Philippenses, ceteros, si aliqui fuissent, minime omissurus fuisset*. Sed unusquisque profecto mirabitur, alios reipsa Martyres in hac Epistola laudari, Dodwellum non advertisse, vel simulare ausum. En quæ in Epistola habet Polycarpus: *Obsecro vos, ut pareatis præpositis vestris, omnemque patientiam exerceatis, quam spectastis non solum in Ignatio, Rufo, & Zosimo viris beatissimis, sed etiam in aliis civibus & inquilinis vestris &c.* Usseriana autem versio: *Sed & in aliis, qui ex vobis sunt..... ad debitum sibi locum a Domino, cui & compassi sunt, abierunt*. Hæc Polycarpus, quæ Dodwelli commentum, Trajani in Syria persecutionem tribus tantum Martyribus definientis, prorsus evertunt. Quot vero illi fuerint, divinare quis poterit? non ii tamen sumus, ut quæcumque de eorum numero a nonnullis proferuntur, tamquam vera admittamus; sed ea demum recipimus, quæ probatis monumentis, cordatisque testibus constant. Hinc, quæ ex Metaphraste Baronius, aliique referunt, inter dubia computamus. Hujusmodi sunt, quæ de Edessena Ecclesia habet ad an. 107. & seq., quam diu sub Trajano vexatam narrat. Qua in persecu-

Dissert. 11. in Cyprian. §. 18.

Apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 36.

Jesu Chr. an. 113. fecutione cum aliis pluribus Barfimeum quoque ejufdem Ecclefiæ Epifcopum martyrem profert, eique Socios in paffione Sarbellium, & Barbeam Sororem affingit. Quin anno fequenti undecim millia Militum memorat Chriftianæ fidei caufa in exilium primo in Armeniam miffos, poftmodum in Sylvis Montis Ararat, ob Fidei conftantiam cruci tandem affixos; in iifque Romulum virum clariffimum, & domui Imperatoris præpofitum, qui verberibus affectus, tandem capitis obtruncatione martyrium confumaverit. Cum vero hujufmodi Acta nullum Metaphrafte antiquiorem teftem præseferant; merito inter dubia, vel etiam fabulofa rejecta funt a Tillemontio, & Dupinio, apud quos plura videri poffunt.

Bar. Annal. an. 107. 108. & in Notis ad Martyr. Rom. die 29. & 30. Jan. & die 5. Septemb. Tillem. tom. 2. in Trajan. perfecut. not. 4. 5. 6. 7. &c. Dupin. tom. 1. pag. 757.

Tiberiani epiftola ad Trajanum fubdita. *Apud Coteler. tom. 2. p. 181.*

13. Neque pluris facienda eft Tiberiani, Palæftinæ Primæ Præfidis, ad Trajanum Epiftola, in qua fic loquitur: *Defatigatus fum puniendo & neci tradendo Galilæos (qui nobis veniunt fub nomine Chriftianorum) fecundum veftra mandata. Illi vero non ceffant ad cædem fefe patefacere; & licet tam adhortationibus, quam minis multum laboraverim, ut dogmatis illius effe fe profeffores, indicare mihi non auderent; perfecutionem tamen paffi, non quiefcunt. Quæ igitur Imperio veftro vifa fuerint, edicere mihi dignetur Majeftas veftra*: Refpondiffe Trajanum, ex Joanne Malela tradit Suidas, Chriftianos fupplicio non effe plectendos: *Quare Trajanus*, ait Suidas, *omnibus Imperio fuo fubjectis, & eorum Præfectis fimul interdixit, ne fuppliciis afficerentur*. Hanc Tiberiani Epiftolam Ufferius primum edidit, deinde Pearfonius, eamque uti genuinam vulgarunt; fubditam tamen effe, & ab impoftore ad imitationem epiftolæ Plinii Bithiniæ Præfecti confictam, multa fuadent: In primis Eufebii filentium, qui cum & Palæftinus effet, ac fummæ in colligendis veterum monumentis diligentiæ, hanc Tiberiani epiftolam, & Imperatoris refcriptum certe non prætériiffet. Trajani etiam ætate ea Palæftinæ divifio in primam, & fecundam ignota erat. Sed & ipfa epiftolæ infcriptio eam apocrypham effe indicat, dum his titulis nufpiam ufurpatis Trajanum exornat: *Victor* fcilicet, *Triumphator*, *diviniffimus*; idemque evincitur ex inufitato ceteris ejus ævi auctoribus loquendi modo, quo epiftolæ auctor utitur, cum fcilicet plurali numero Imperatorem his verbis compellat: *mandatum veftrum*: *majeftatis veftræ*: *de his rebus decernatis &c.*; de quibus plura apud Dodwellum.

Malela Chron. p. 356.

Tillem. not. 2. in Trajan. perfecut. Dupin. tom. 1. pag. 757. Dodwel. differt. 11. in Cypr. § 23. Bafnag. an. 117. 4. Clerc. Annal. an. 113.

14. Ex

14. Ex eodem Joanne Malela Suidas, & Nicephorus referunt, quod cum Antiochiæ esset Trajanus, non tantum Ignatium morti destinaverit, sed & alios plurimos, qua occasione rem miram sic narrat Nicephorus: *Multos Christianorum interemit* (Trajanus), *in quibus quinque Virgines fidem palam profitentes comburit, & ossibus earum ad summum combustis, cineribusque æri commixtis, ænea quædam, & alia vasa fieri curat, eaque publico lavacro, quod ipse magnificentissime construxerat, dicat. Verum enim vero quicumque eo lavatum ingrediebantur, quamprimum calidas attigissent aquas, caligine simul, & vertigine correpti cum impetu inde procurrebant, & concidebant. Causa autem ejus mali cognita, Trajanus ut alia ex ære puro vasa balneo pararentur, mandat; priora autem illa in fornacibus conflata, in quinque transformat statuas, easque virginum combustarum forma, & habitu pro balneo collocat.* Hactenus Nicephorus, qui sua ætate virginum statuas substitisse narrat, de quibus penes auctorem sit fides. Interea *Ignatio defuncto*, ait Eusebius, *Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ suscepit Heros*, quam Sedem ad annum usque 128. Hadriani Imperatoris 12. tenuit, idest per annos circiter quindecim.

Quinque Virgines martyrio coronantur.
Jo. Malel. Chron. pag. 361. Niceph. lib. 3. 24.

Post Ignatium Antiochiæ Heros ordinatur Episc.
Euseb. lib. 3. 36.

JESU CHRISTI AN. 114. ALEXANDRI PAPÆ 6.
TRAJANI IMPERATORIS 17.
COSS. Q. NINIO HASTA, ET MANILIO VOPISCO.
OLYMPIAD. 223. AN. 2. URBIS AN. 867.

1. Ut in Armeniam pervenit Trajanus, Parthamisiris Armeniæ Rex, ad resistendum impar, epistolis primum, tum præsentia sua Imperatoris gratiam promereri studuit; atque Elegiam Trajano obviam factus, Regium ante pedes diadema posuit, sperans mox ab eo se iterum recepturum; sua tamen spe frustratus est, nam facta Parthamisiro abeundi, quo vellet, facultate, Armeniam Romano Imperio Trajanus adjunxit: Hæc pluribus a Dione adnotata, summatim in ejus Epitome a Xiphillino narrantur. Armenia nullo labore potitus Imperator, Edessam petiit, eique Abgarus Edessenorum Rex occurrens epulum præbuit, filium barbarico more saltantem obtu-

Trajanus Armeniæ Regem deponit.
Dio lib. 68.

obtulit, atque in amicitiam a Trajano recipitur. Adiabenam deinde transcendens, nemine resistente, in interiora Persidis progreditur, parique felicitate Nisibin, Batuinque sine prælio occupat. Verumtamen tot inter prospera nihil admodum de disciplina militari remittebat, cujus exactor erat gravissimus, cunctisque suo exemplo præibat, pedibus ut plurimum incedens, aliaque præstans militis officia, quæ pluribus persequitur Dio.

Dio lib. 68.

Ignatii martyris Reliquiæ Antiochiam delatæ. *Hieronym. de Vir. illust. cap. 16.* *Chrysost. ad popul. Antioch. tom. 2. pag. 592.*

2. Ignatium Antiochenum Episcopum Romæ martyriò coronatum fuisse anno superiori, diximus; cujus Reliquiæ Antiochiam hoc anno delatæ sunt, ut Hieronymus, & Chrysostomus narrant: *Reliquiæ corporis ejus Antiochiæ jacent extra portam Daphiticam in Cœmeterio*, ait Hieronymus; de quarum translatione ad Populum Antiochenum hæc Chrysostomus habet: *Exiguum ad tempus eum vobis ademit Deus, sed majori cum gratia restituit, & quemadmodum pecuniam mutuantes cum fœnore ea reddunt, quæ acceperunt; sic etiam Deus pretiosum hunc thesaurum paulisper suscipiens, ut ostenderet Romæ, majore cum gloria illum vobis retulit. Emisistis eum Episcopum, & martyrem recepistis, emisistis cum precibus, & cum coronis suscepistis.* Commemoratis subinde honoribus, quibus sacras exuvias universæ civitates, per quas transibant, Antiochiam usque prosecutæ sunt, quot ex iis bona tam ipsi, quam ceteri terrarum populi perceperint, percipiantque in diem, sic pergit celebrare: *Non aliter quam thesaurus quidam perpetuus, qui quotidie exhauritur, & nunquam deficit; sic etiam Beatus hic Ignatius cunctis ad se accedentibus benedicens, fiducia & strenua alacritate, magna fortitudine plenos remittit domum. Itaque non hodie tantum, sed quotidie confluimus, spirituales ex eo fructus percipientes. Quisquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo corpora, sed ipsi loculi, & monumenta spirituali gratia conserta sunt.* Hæc Chrysostomus Antiochenus & ipse civis, ac presbyter; quibus profecto patet, quanto in pretio primitivi Christiani Sanctorum martyrum reliquias habuerint, quamque religiose sint venerati. Hinc mirum non est Basnagium, ut tam illustre Sanctorum, Reliquiarumque cultus ac venerationis monumentum nobis eriperet, narrationem hanc de Ignatii Reliquiarum translatione, Hieronymi, Chrisostomi, alio-

Basnag. an. 107. 10.

aliorumque testimonio confirmatam, in dubium revocasse. *Quin etiam*, inquit, *illud quaeritur, cui bono, qua de causa, quando, a quibus ea translatio facta est*. Cui bono, reponimus, tot tantaeque perquisitiones? Rem probatissimorum virorum suffragio testatam habemus. Satis id nobis est; non enim sanioris critices regulae patiuntur factum aliquod cumulate probatum, ob id solum quod nonnullae lateant circumstantiae, improbare. JESU CHR. AN. 114.

3. Justum Simeoni Hierosolymorum Episcopo successisse diximus anno 107. Quanto autem tempore vel ipse, vel qui eum secuti sunt Episcopi, Sedem illam tenuerint, in obscuro est; nec invenire se potuisse Eusebius fatetur. *Quorum tempora*, inquit, *nusquam reperire potui; omnes quippe brevi admodum tempore sedisse perhibentur*. Eorum tamen nomina refert, quae citato loco videri possunt. De successione Episcoporum Hierosolym. Ecclesiae. *Eusebi Chron. pag. 697. H. stor. lib. 4. 5.*

JESU CHRISTI AN. 115. ALEXANDRI PAPAE 7.
TRAJANI IMP. 18. COSS. L. VIPSTANO MESSALA,
ET M. VERGILIANO PEDONE.
OLYMPIAD. 223. AN. 3. URBIS AN. 868.

1. Superioris anni ineunte vere Trajanus hostilem terram ingressus, ac sine certamine copiarum multitudine perterrefactis hostibus, trajecto Tygride, Adiabenam omnem Assyriae partem, Gaugamelam, Arbelam, ubi victus ab Alexandro Darius, in suam potestatem redegerat, tum Babylonem petens, ac Euphrate superato, Chtesiphontem aggreditur, eaque capta, Imperator & Parthicus iterum ab exercitu salutatur, novisque honoribus a Senatu cumulatus est, de quibus plura apud Dionem. Hunc quoque Annum spectare videntur ea, quae Rufi Festi Breviarium complectitur his verbis. *Cholcos in fidem Romanae ditionis recepit. Osraenorum loca, & Arabum occupavit. Cardenos, Marcomedos obtinuit. Anthemusium optimum Persidis regionem, Seleuciam, Ctesiphontem, & Babylonem accepit. Provincias fecit Mesopotamiam, Assyriam.* Trajani gesta in Perside.

2. Jam prosperum fortunae cursum ingens interpellavit calamitas. Antiochia namque, ubi hiemabat Trajanus, quo & innumerabilis undique multitudo confluxerat, terraemotu concussa, tota pene subversa est, innumerosque ruinis oppressit, inter quos Pedo, hujus anni Consul, periit: Trajanus Terraemotu Antiochia concutitur.

JESU CHR. AN. 115.

ipse per fenestram eductus vix evasit. Evagrius quidem, quem recentiorum plurimi secuti sunt, hanc Antiochenæ Urbis cladem anno Trajani tertio alligarunt; in quem errorem inciderat & Baronius, sed altera Annalium editione emendavit. Luctuosam Antiochenorum stragem, urbisque eversionem pluribus quidem prosequitur Dio, quam ideo accidisse Baronius conjectatur, quod sublato Ignatio Episcopo, avulsa veluti animata columna, ipsam urbem prosterni necesse fuerit in vindictam tanti facinoris, & christianorum sanguinis injuste effusi.

Dio in Trajano. Bar. an. 117. n. 5.

De Papia Episcopo Hierapolitano. *Hist. lib. 3. c. 36.* Papiæ elogium ex Eusebio.

3. Hoc tempore vixit Papias Hieropolitanæ Urbis in Syria Episcopus, de quo contraria sibimet Eusebius tradidisse videri posset. *Nam celebrem eum fuisse* scribit, *ac in primis disertum, & eruditum, & Scripturarum peritum*. Alibi vero *mediocri admodum ingenio præditus fuit, ut ex scriptis illius conjicere licet*. Verum priora ea verba a Scholiaste aliquo adjecta, ac in Eusebii textum inserta fuisse ostendit doctissimus Eusebii editor Valesius not. ad eum locum. Ea siquidem pluribus in Codd. desiderantur, nec in suo exemplari unquam legit Ruffinus. Ceterum Papiam Joannis Apostoli discipulum, & auditorem quidam fecerunt, auctoremque erroris illius, quo tradebatur, Electos post carnis Resurrectionem millenario regno in terris fruituros esse: in quem errorem, & ipse ob male intellectam Joannis Apocalypsim prolapsus est, & sui nominis celebritate plerosque sanctitate & eruditione præcellentes pertraxit, ut Irenæum, Justinum, Tertullianum, Lactantium, aliosque: *Papiam*, inquit Hieronymus, *mille annorum Judaicam edidisse Deuterosim* (traditionem) *dicitur, quem secuti sunt Irenæus &c.* Sed in primis audiendus Eusebius: *Papiæ vero quinque omnino feruntur libri, quorum titulus est: de interpretatione oraculorum Dominicorum. Horum quinque duntaxat Papiæ librorum meminit Irenæus his verbis. Testatur, inquit, hæc Papias auditor, & Sodalis Polycarpi, scriptor antiquus in quarto operis sui libro. Sunt enim ab eo quinque libri compositi. Et hæc quidem Irenæus. At vero Papias ipse in proœmio librorum suorum, se quidem Sanctorum Apostolorum spectatorem fuisse non dicit: sed ab eorum familiaribus normam fidei se accepisse testatur his verbis. Nec pigebit, inquit, ea, quæ quondam a Senioribus didici, ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur. Non enim, ut pleri-*

Hieronym. de vir. illustr. in Papiam.

Papias auctor Regni millenarii.

plerique solent, eos unquam sectatus sum, qui verbis affluerent, sed eos potius, qui verum docerent; nec eos, qui nova quædam, & inusitata præcepta, sed illos, qui Domini mandata in figuris tradita, & ab ipsa veritate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quænam essent seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid ceteri Domini discipuli dicere soliti essent; neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ea hominum adhuc superstitum viva voce. Tum post aliqua, quæ ad rem non pertinent, hæc iterum de Papia adnotat: *Idem præterea Scriptor alia nonnulla nudæ vocis traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet Servatoris parabolas, ac prædicationes, aliaque fabulis propiora. Inter quæ & mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore, dicit, quo Regnum Christi corporaliter stet in Orbe terrarum, quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea, quæ arcano quodam sensu, & exempli gratia ab illis dicebantur, non satis pervidisset. Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus.... Plerisque tamen post ipsum Ecclesiasticis Scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate sententiam suam tuentibus: Puta Irenæo, etsi quis alius ejusdem opinionis fautor extitit.* Hactenus de Papia Eusebius, cujus ex verbis collegit Baronius Papiam Joannis Apostoli auditorem minime fuisse; ob idque pœnas Haloixio, Henschenio, & Pagio dedit; immeritas tamen. Licet enim id tradat Irenæus, eumque secutus Hieronymus, qui Papiam inter Joannis auditores, & discipulos recenset; his tamen potior Papiæ ipsius confessio habenda est, qua eorum tantum, qui cum Apostolis conversati fuerant, non vero Apostolorum ipsorum discipulum se fuisse declarat. *Quod si quis*, ait, *interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quænam essent seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent*; Cum itaque sollicitus fuerit scire, quid Joannes Apostolus suis discipulis nunciaret, quomodo ejusdem auditor esse potuit? Neque vero in millenariorum errorem lapsus

Eusეb. lib. 3. 39.

Baron. an. 118. 3.

Pag. not. 5. in an. Baron. 118.

Euseb. lib. 3. 39.

JESU CHR. AN. 115.

tam turpiter esset ex non intellecta Joannis Apocalypsi, si ejusdem Apostoli discipulus fuisset; ab eodem enim germanum de mille annorum Regno sensum hausisset; vel saltem interrogando didicisset.

Cur Papias veterum in Martyrologiis non legatur.

4. Cur Papiæ nomen, nec veterum, nec recentiorum Martyrologiis insertum legatur, hanc aliqui rationem reddunt; ejus scilicet nomen antiquis tabulis, si unquam inscriptum fuit, abrasum postea fuisse, eo quod aliqua docuerit ab Ecclesiæ opinionibus aliena, & maxime ob millenariorum errorem ab ipso profectum. At hæc conjectura minimi momenti est; id enim & Justino, & Irenæo, aliisque sanctitate quidem præstantibus, Millenariorum tamen opinione imbutis, contingere debuisset. Ea itaque probabilior redditur ratio, quod cum primis temporibus ii tantum Martyrologiis inscriberentur, qui martyrio vitam finierant, in iisdem Papiæ locus esse non potuit, quem nullibi constat martyrio e vivis excessisse.

Pag. an. 116. 4.

JESU CHRISTI AN. 116. ALEXANDRI PAPÆ 8.
TRAJANI IMP. 19. COSS. L. ÆLIO LAMIA,
ET ÆLIANO VETERE.
OLYMP. 223. AN. 4. URBIS AN. 869.

Mesopotamia Trajano rebellat.

1. Ctesiphonte Persarum Regia occupata, Trajanus Sinum Persicum ingreditur, animo nova lustrandi Regna Romano adhuc jungenda Imperio. In primis vero Messanam Tigridis insulam invasit, quæ Antabilio Regi parebat; viso inde navigio, quod in Indiam ire festinabat, illuc exercitum transducere concupivit; sed cognita Mesopotamiæ defectione regredi cogitur. Lysium interea, & Maximum adversus rebelles misit, quorum diversus exitus fuit: nam Maximus prælio victus interiit; Lysius vero Quietus, profligatis hostibus, Nisibique recuperata, Edessam expugnavit, direptamque incendit: quam fortunam Seleucia quoque experta est, ut pluribus tradit Dio.

Dio lib. 68.

Trajanus Parthis Regem imponit.

2. Cum vero Ctesiphontem rediisset Trajanus, nec quid & Parthi aliorum exemplo novi molirentur, Regem ipsis dare constituit, ac congregatis in unum Romanis, & Parthis, iisdem Parthamaspatem Regem destinavit, cui & Diadema imposuit. In Arabiam deinde profectus, ut rebelles Agarenos subi-

subigeret, Atræ obsidione frustra suscepta, regionis æstu, penuria victus, periculisque plurimis inde, re infecta, discedere coactus est.

Judæorum furor, & clades.

3. Hoc etiam tempore Judæi adversus Romanos iterum rebellarunt, & Cyrene primum, deinde & aliis in locis Romanos æque, ac Græcos incredibili furore adorti, crudelissime necarunt; nam eorum carnes & viscera, ut rabidi canes, devorabant, obliniebantur sanguine, pellibus induebantur; multos etiam ferris dissecuere medios, bestiis alios objecere, aut inter se pugnare coegerunt; ac ducenta viginti hominum millia hoc facto interierunt. Sed & in Ægypto, & Cypro Artemone Duce eadem fere patrarunt, desiderataque sunt ad ducenta quadraginta hominum millia. Unde factum est, ut Judæo in Insulam Cyprum venire non liceret, quod si forte vi tempestatis illuc appulisset, occidebatur. Hos Judæorum tumultus Trajanus repressit, misso Lysio Quieto, aliisque, qui vicem rebellibus rependerunt, ingenti eorum exciso numero. Hæc memoriæ prodita sunt non solum a Dione, sed etiam ab Eusebio, qui rem gestam his in historia verbis persequitur: *Salvatoris nostri doctrina, atque Ecclesia magis ac magis in dies efflorescens, continuis incrementis augebatur. Judæorum autem calamitates novis subinde cladibus cumulabantur. Nam cum Imperator annum jam Imperii octavum decimum attigisset, rursus Judæorum tumultus exortus maximam gentis illius multitudinem extinxit. Quippe Alexandriæ, & per totam Ægyptum, ac Cyrenaicam, velut a violento quodam, & seditioso dæmone exagitati Judæi, adversus Græcos, & Gentiles, qui una cum ipsis habitabant, tumultum excitare cœperunt. Progressa deinde in majus seditione, sequenti anno bellum non mediocre conflarunt, Lupo tunc temporis totius Ægypti præfecturam gerente. Et primo quidem conflictu forte Judæi Gentiles superaverant. Qui mox Alexandriam confugientes, Judæos, qui in ea Urbe degebant, captos interfecerunt. Horum igitur auxilio destituti Judæi, qui Cyrenem incolebant, duce Lucua, Ægyptiorum regionem prædationibus, ac latrociniis infestare, & præfecturas ejus vastare instituerunt. Itaque Imperator Marcium Turbonem adversus eos misit cum pedestribus, ac navalibus copiis, & cum equitatu. Hic multis præliis consertis, belloque in longum tempus protracto, infinita Judæorum millia, qui partim ex Cyrenaica provincia, partim ex Ægypto*

Dio lib. 68.

Euseb. hist. lib. 4. cap. 2.

Jesu Chr. an. 116.

pto Lucuæ Regi ipsorum opem laturi confluxerant, *neci dedit*. *Sed Imperator veritus*, *ne Judæi*, *qui Mesopotamiam habitabant*, *incolas perinde aggrederentur*, *mandavit Lysio Quieto*, *ut eos extra Provinciæ fines deportaret*. *Qui instructa adversus illos acie*, *ingentem eorum multitudinem prostravit*; *ob quam* victoriam Legatus Judææ ab Imperatore est designatus. Quomodo *autem Hadrianus Trajani successor eosdem acerbiori adhuc* clade affecerit, inferius suo loco dicemus.

JESU CHRISI an. 117. Alexandri Papæ 9.
Hadriani Imp. 1. Coss. Quintio Nigro,
Et C. Vipstanio Aproniano.
Olimpiad. 224. an. 6. Urbis an. 870.

Trajani obitus, & sepultura. *Dio lib. 68.*

1. Præsens Christi annus 117. Trajano supremus fuit; Nam ex infelici adversus Agarenos expeditione revertens, in morbum incidit, ac Hadriano in Syria cum exercitu relicto, Italiam versus iter suscepit; sed ingravescente morbo, perlatus Selinuntem, Urbem Ciliciæ Trajanopolim postea noncupatam, fato functus est Augusti die decima, feria secunda, cum imperasset, ut Dio habet, *undeviginti annos*, *menses sex*, *dies quindecim*, *ætatis vero suæ sexagesimo primo cum mensibus sex*, *diebus quindecim*. Morbo, an veneno interierit, in incerto est; cum plura eaque invicem adversantia a scriptoribus traduntur. Ejus cineres, ut habet Aurelius Victor, seu ossa, ut tradit Dio, Romam translata sunt, *ipse inter divos* relatus, teste Eutropio, *solus omnium intra Urbem sepultus*; *ossa collata in urnam auream in Foro*, *quod ædificavit*, *sub Columna sita sunt*, *cujus altitudo centum quadraginta pedes habet*. *Hujus tamen memoriæ delatum est*, *ut usque ad nostram ætatem*, *non aliud in Senatu Principibus acclametur*, *nisi felicior Augusto*, *melior Trajano*.

Aurel. Victor de Cæsar. Dio lib. 68. Eutrop. in Breviario.

Hadrianus imperium suscipit. *Dio lib. 69. Spart. in vita Hadriani.* An a Trajano adoptatus fuerit. *Dionis lib. 59.*

2. Defuncto Trajano sine liberis, Hadrianus, cum non procul abesset, magnasque copias in Syria haberet, Photinæ Augustæ favore Imperium obtinuit. An vero adoptatus a Trajano fuerit, quove in anno, magna inter eruditos quæstio est, quæ ad institutum nostrum non pertinet. Certe adoptio hæc, si ulla fuit, a Trajano morti proximo facta fuerit oportet; nam, teste Xiphilino, Trajani mors per aliquot dies, ut adoptio suum sortiretur effectum, cela-

ta

ta fuit; quod minime fuisset necessarium, si eadem, ut quibusdam placet, superiori anno contigisset. *Apronianus Pater meus*, inquit Dio, *qui Ciliciæ præfuit, quique res ejus omnes certo cognovit, mihi singula recensuit, atque illud in primis mortem Trajani per aliquot dies in occulto fuisse, ut Adoptio prius emanaret, idque ex litteris ejus ad Senatum cognitum fuisse, quibus non ipse* (Trajanus scilicet) *sed Photina subscripsit, quod in alio nullo negotio factum fuerat*. Sed omnem prorsus excludere adoptionem videntur Eutropius & Spartianus, quorum ille sine aliqua voluntate Trajani, sed operante Photina Hadrianum Imperatorem creatum fuisse scribit; alter vero Trajano in animo fuisse Neratium Priscum, non Hadrianum successorem Imperii relinquere.

Norisius, Pag. not. ad an. 117. Dodwell. dissert. 2. Cyprian. Dio lib. 69. in Hadriano. In Vit. Hadr. c. 4.

3. Ut ut sit, hoc Anno Christi 117. Ælius Hadrianus Trajani consobrinus Romanum est assecutus Imperium, quod per annos 21. & menses aliquot tenuit. Princeps fuit ingenio varius ac multiplex, cui una cum vitiis quædam inerant non spernendæ dotes animi. Humanissimum fuisse testatur Dio, quosque in privata vita inimicos habuit, Imperator tantum neglexit, ut uni, quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, *evasisti*: iræ tamen, suspicionibusque, vel consiliis amicorum obtemperans, principia finemque imperii sui præstantissimorum virorum sanguine respersit. Artium in eo studium pene omnium fuit, etiam minutissimarum, ut canendi, psallendi, pingendi &c., quarum peritos, tamquam æmulos obterere consueverat. Præstanti memoria præditus, locos, negotia, milites absentes suis quemque nominibus recensebat. In obeundis Provinciis assiduus ac diligens. Idem tamen, ait Tertullianus in Apol., *Omnium curiositatum explorator*, superstitiosus, ac vaticinationibus, ceterisque magicarum artium nugis præter modum addictus: eoque magis a Christiana Religione alienus, quam persecutum aliquandiu fuisse inferius probabimus.

Hadriani mores. *Spart. Hadr. Dion. 66. Vict. Epit. Eutrop. 8. Par. 2. lib. 4. c. 6. Euseb. in Chron.*

4. Adepto Imperio, ut bello Parthico finem faceret, provincias, & Regna, a Trajano Romano Imperio addita, sui juris esse jussit Hadrianus, & omnia trans-Euphratem, ac Tigrim reliquit, exemplo Catonis, qui Macedonas liberos pronunciavit, quos subjugare non potuerat; eaque de causa, non in Trajanum invidia, ut quidam scripserunt, Armenia, Mesopotamiaque sponte recessit; ut apud Dionem, & Spartianum vide-

Hadrianus provincias quasdam liberas facit.

Dio lib. 69. Spart. in Hadr. vita cap. 4. 5. 6.

JESU CHR. AN. 117.

videre est. Dum adhuc Antiochiæ esset, ad Senatum scripsit; veniam petens, quod sine Senatus Consulto Imperium auspicasset, cum salutatus ab exercitu recusare nequiverit, nec sine Imperatore diu consistere Respublica posset.

JESU CHRISTI AN. 118. ALEXANDRI PAPÆ 10.
HADRIANI IMP. 2. COSS. HADRIANO AUG. II.,
ET FUSCO SALINATORE.
OLYMPIAD. 224. AN. 2. URBIS AN. 871.

Hadrianus Romam venit, ejus liberalitas, & gesta.

1. Pacatis in Oriente rebus, Hadrianus hoc anno, quo iterum Consul fuit (nam suffectum Consulatum antea gesserat) Antiochia digressus, per Illyricum Romam rediit, divinis Trajani memoriam honoribus prosecutus est, sibique oblatum a Senatu triumphum, Trajano debitum, *recusabat*, inquit Spartianus, *atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem*: Quarum rerum numismata adhuc extant. In primis vero magna liberalitate Romanorum animos sibi devincire studuit. Nam non solum aurum coronarium, quod post partas victorias, vel susceptum Imperium, vel Cæsarum adoptionem exigebatur, Italiæ remisit, in Provinciis minuit; sed etiam pecuniam omnem, quæ fisco a privatis debebatur, condonavit, Syngraphis ad debitorum securitatem in foro Trajano incensis. *Ut primum Romam venit*, ait Dio, *quidquid aut fisco Principis, aut publico populi Romani ærario debebatur, remisit, definito tempore annorum sexdecim, ex quo, & quousque id beneficii collatum esse voluit*; cujus indulgentiæ hoc anno Populo Rom. exhibitæ, præter Dionem, & Spartianum, testes sunt numismata & inscriptiones, quarum altera hæc leguntur, quod *unus omnium, & solus Principum novies millies centena millia sextertius remiserit*, quæ, juxta Aldi Manutii computum, ingentem summam viginti duarum myriadarum cum dimidio scutatorum aureorum conficiunt.

Dio lib. 69.

Spart. cap. 7.

Bar. Pag. ad an. 120. Mabill. analector. tom. 4. Aldi Manutii differt. 13. apud Saleg. to. 1. supplem. ad op. Grevii. & Gronovi.

JESU

JESU CHRISTI AN. 119. SIXTI PAPÆ 1.
HADRIANI IMP. 3. COSS. HADRIANO AUG. III.,
ET RUSTICO.
OLYMPIAD 224. AN. 3. URBIS AN. 872.

1. *Anno principatus Hadriani tertio*, ait Eusebius, *Alexander Romanæ Urbis Episcopus fato functus est; cum decem annos administrationis explesset, cui successit Sixtus*. Ejus memoria quinto nonas Maii celebratur, ipsumque inter Martyres martyrologia recensent; latiori quidem significatione Martyrem fuisse dictum verosimile est, ac religionis causa multa pertulisse non est dubitandum; pro Fide tamen sanguinem fudisse non constat: quem ideo neque Irenæus, Eusebius, aut Hieronymus Martyribus inscribunt. Nec ejus acta, in quibus Martyr prædicatur, nos commovent, utpote quæ, teste ipso Baronio, *nimia antiquitate mendosa sint*, eaque continent, quæ nullatenus cum ejus temporis historia conciliari possunt, ut a Viris doctis adnotatum est. Ut genuina quidem vindicare conati sunt Bollandus, & Schelestratus; sed quo exitu alii dijudicent. Alexandro tres epistolas Isidorus affinxit. Prima ad omnes Orthodoxos inscripta est, multaque continet ex Patribus, & Conciliis recentioris ætatis, ac præsertim insignem ex Idatio locum: certissima suppositionis indicia. Secunda ad omnes Episcopos; tertia vero ad omnes Sacerdotes, quam pariter spuriam ostendunt inserta S. Scripturæ testimonia juxta Hieronymi versionem, ut apud Blondellum aliosque videre est.

Mors Alexandri PP. cui Sixtus succedit. *Euseb. lib. 4. 4.* *Martyr. Hieron. a Florent. edit.* *Bol. Bolland. die 3. Maji.* *Baron. an. 132.* *Tillem. not. in Alex. tom. 2. pag. 590.* *Pearf. oper. post in Alexand.* *Schelestrat. antiquit. Eccles. dissert. 2.* Epistolæ tres Alexandro subditæ.

2. De gestis Alexandri Papæ hæc inter cetera narrat auctor Pontificalis: *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum*, quæ & in Epistola prima eidem supposita leguntur; *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus*. Hinc factum, ut benedicendæ aquæ ritum Alexandro Pontifici communiter vindicent antiqui Auctores, qui de Ecclesiæ ritibus scripserunt. Quem sane antiquissimum esse, atque a primis usque temporibus ab Ecclesia tam Orientali, quam Occidentali usurpatum tuto asseri posse videtur, ejusque meminit Auctor Constitutionum Apostolicarum,

De aquæ benedictæ usu, ejusque institutione. *Coutan. p. 5. 4.* *Valf. Strabo de ritib. Eccl. cap. 29.* *Honor. August. de Gemma Animæ l. 3. c. 27.* *Lib. 8. 29.*

Jesu Chr. an. 119.

Ritus benedicendi fontes baptismatis antiquissimus.

Martene de antiq. eccles. ritibus p. 165. seq. ad 200. Idem de antiq. Ecclesiæ disc. p. 108. 114. 460. Cyp. ad Jan. epist. 70. Ambros. de his qui init. cap. 5. Victor de persec. Vandal. lib. 2.

3. Præ ceteris vero ea aquæ benedictio solemnior erat, quæ ad baptismatis usum in vigiliis Paschatis, Pentecostes, aut Epiphaniæ peragebatur; cujus ritus antiquitatem comprobant testimonia SS. Patrum, qui tertio, quarto, & sequentibus seculis floruerunt, ut Cyprianus, Ambrosius Victor Vitensis, vulgatus Dionysius Areopagita, Cyrillus Jerosolymitanus, Gregorius Nissenus, Basilius, qui ex Apostolica traditione descendere ait, quod *benedicimus aquam baptismatis*. Illud quoque ab iisdem Scriptoribus docemur, consuevisse fideles aquæ hujus ab Episcopo benedictæ partem aliquam domum deferre, ut ejus aspersione domos, vineas, agros aspergerent; cum enim memoria tenerent dictum ab Apostolo: omnem *creaturam per verbum Dei, & orationem sanctificari*, certoque crederent, per aquæ lavacrum in baptismate mundari homines & sanctificari, earumdem aquarum aspersione sperabant quoque se suaque ab incursionibus maligni spiritus posse tueri. Nec sua ipsos fallebat opinio; cum innumera prope miracula Deus per aquæ benedictæ aspersionem, quæcumque illa fuerit, vel quovis tempore Crucis signo sanctificata, operari dignatus sit, ut mox videbimus.

Aquæ benedictæ efficacia miraculis comprobata.

Hær. 30. n. 10. 12. Hier. in vita Hilar. Theod. hist. lib. 5. cap. 21.

4. Narrat Epiphanius, quod cum Josephus Comes adhuc Judæus, auditis quæ a Christianis de aquæ benedictæ efficacia prædicabantur, rei experimentum capere voluisset, hominem furiosum per Tiberiense agrum concursantem prædicta aqua aspergens, signoque Crucis obsignans, liberaverit, Judæorumque præstigias dissolverit. Eodem ferme tempore S. Hilarion aurigæ magias eadem aquæ aspersione (ut de eo S. Hieronymus scribit) penitus dissipavit. Sed & Sanctus Marcellus Apameæ Episcopus omnem diaboli conatum, ne Jovis Apameni famosum delubrum combureretur, obnitentis, aquæ benedictæ usu, & signo Crucis superavit, ut Theodoretus testatur. Ex his autem innumerisque aliis, quæ passim apud probatissimos occurrunt Historicos, inferri potest, quam immerito Novatores aquæ benedictæ usum rejiciant, Catholicosque irrideant, quod ea præsidium sibi ad abjiciendos demones, morbosque fugandos comparare posse confidant. Basnagius inter alios cum multa adversus aquæ benedictæ usum congerat, inepte satis interrogat: *Quid mali fecit oleum, cur non eadem frequentia, ut de aqua fit, benedicatur?* Non ignoravit tamen Calvinista historicus, in Galiis natus, & usque ad Calvinistarum expulsionem

fionem enutritus, non aquam tantum, fed & oleum ad cathecumenos, & infirmos inungendos benedici, quod fi non eadem frequentia, nil certe peccavit oleum, nifi quod per flumina, aut fontes ut aqua non fluat; fed ego infipientior Bafnagio, fi pluribus cum eo de his difputem.

JESU CHR. AN. 119.

Bafnag. an. 130.

5. Quatuor menfibus Hadrianus tertium confulatum egit, quem & præclare geftis nobilitavit; pueris enim puellifque orphanis, quibus etiam Trajanus alimenta fubminiftraverat, incrementum liberalitatis adjecit. Plurimorum Senatorii ordinis, nobiliumque Matronarum inopiæ occurrit; fpectacula, eaque magnificentiffima populo exhibuit, quibus munera viris, ac mulieribus feparatim contulit; & ne in pofterum mulieres cum viris promifcue lavarentur, vetuit. Cum interim accepiffet Sarmatas, Roxelanofque tumultuari, præmiffis exercitibus, Mœfiam hoc vel fequenti anno petiit. Roxilani autem Schytica gens erat, de qua Strabo: *Super Boryfienem vero habitant Roxilani cognitorum noviffimi Schytarum*. Sub hoc quoque anno refert Eufebius alteram contra Sauromatas expeditionem, qui, Romanorum quorumdam audaciam admirati, Imperatoris arbitrio fe commiferunt. Quod & præftitit, tefte Spartiano, Alanorum Rex Phatafmanes. Querebatur hic de imminutis ftipendiis: re ad Hadrianum delata, ejus judicio acquievit.

De Hadriani geftis.

Spartian. in Vit. Hadri. c. 6.

Dio lib. 69.

Hadriani in Sarmatas expeditio.

Murat. an. 120. pag. ibid.

Bafnag. an. 119.

Eufeb. in Chron.

Cap. 7.

6. Interea infidiæ adverfus illum ftructæ vulgantur: veræ an falfæ, incertum. Auctores Nigrinius Ælii Veri focer, quem etiam fibi fucceflorem deftinaverat, Lufius Quietus, Palma, & Celfus; qui omnes Senatus judicio alius alio necati funt. Palma Terracinæ, Celfus Bajas, Nigrinus Faventiæ, Lifius in itinere.

Quatuor viri Confulares occiduntur.

JESU CHRISTI AN. 120. SIXTI PAPÆ 2.
HADRIANI IMP. 4. COSS. L. CATILIO SEVERO,
ET T. AURELIO FULVO.
OLYMPIAD. 224. AN. 4. URBIS AN. 873.

1. Sumptum fuperiori anno de quatuor Confularibus viris fupplicium magnam Hadriano invidiam conflaverat; *ad eam refellendam*, ait Spartianus, *ftatim Romam venit, Dacia Turboni credita, titulo Ægyptiacæ præfecturæ, quo plus haberet auctoritatis, ornato*; ideft delatis Præfecti Auguftalis ornamentis, quibus Ægypti Præfectus utebatur. Senatum ingref-

Ad Urbem Hadriani reditus.

Hadriani vita cap. 7.

JESU CHR. AN. 120. gressus, quæ adversus Consulares Viros facta fuerant, excusavit, juravitque iterum, se nunquam Senatorem nisi ex Senatus sententia puniturum, congiarium duplex populo dedit, & in concione dixit: *ita se Rempublicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam*. Quæ etsi Romanis accepta fuerint, contraria tamen dictis illico subsecuta sunt; nam Lelium Attianum, & Similem, viros nobilitate, dignitate, atque virtutibus præstantes officio movit, nec valuit ingrati animi notam effugere, cum plurimis Attiano beneficiis obstrictus teneretur. In Campaniam deinde profectus est, ejusque in oppidis non pauca reliquit beneficentiæ monumenta. Cumque terræmotu Nicomedia corruerit, ac Nicenæ Urbis plurima fuerint eversa, *ad earum restaurationem, Hadrianus de publico est largitus impensas*. Hæc pluribus Dio, & Spartianus prosequuntur.

Euseb. in Chron.

De Hadriani in Ecclesiam persecutione. *Sulpic. Sev. lib. 2. 45. Hier. epist. 70. Euseb. lib. 4. 26. & in chron. August. de civit. Dei lib. 13. cap. 52. Dodwell. dissert. Cyprian. 11. pag. 75. n. 30. 31. 32.*

2. Quartam adversus Ecclesiam persecutionem excitasse Hadrianum, tradit Sulpicius Severus, quam & sævissimam fuisse innuit Hieronymus epistola ad Magnum, dum de Quadrati Apologia Hadriano oblata ait: *Tantæ admirationis omnibus fuisse, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium*. Eusebius tamen, aliique quartam persecutionem Antonino adscribunt: Quare primum e persecutorum albo expungendum omnino Dodwellus contendit; quinimmo *nullos in ea persecutione Martyres factos* fuisse verosimile asserit, quod præcipue probare conatur ex Justini Apologia, ubi S. Martyr Hadriani exemplum Antonino proponit, ut Ecclesiæ pacem impetraret; hinc *qua fronte*, ait Dodwellus, *eo nomine usurus, si ipsemet Hadrianus persecutus fuisset?* Recte tamen illius exemplum Antonino memorasse Justinum inde patet, quod ipse motam paulo post represserit persecutionem; quare Antoninum merito deprecatur, ut agnita Christianorum innocentia, Hadriani exemplo, persecutioni finem faceret: Hanc Justino mentem fuisse inde patet, quod Hadriani rescriptum ad Minucium Fundanum Apologiæ suæ inseruerit, quo jusserat, ne fideles deinceps, nisi servato juris ordine, ac de crimine convicti damnarentur; *Monebat*, ait Eusebius de Sereniano loquens, *iniquum videri, Christianos, nullo objecto crimine, tumultuosis vulgi clamoribus gratificandi studio, indicta causa occidere*. Rescripsit Imperator, *ne quis post hac sine objectu criminis, & legitima accusatione con-*

Euseb. lib. 4. 8.

de

demnaretur. Sed quid conjecturis rem agimus; cum aperte Justinus indicet quamplurimos sub eodem Imperatore Martyres fuisse? nam de conversione sua agens, quam illo imperante contigisse constat, se ex Martyrum fortitudine Religionis Christianæ veritatem agnovisse testatur; *Nam & ipse ego cum Platonis doctrina delectarer*, inquit, *ac de criminibus in Christianos conjectis audirem, eos autem ad mortem, & alia omnia, quæ videntur metuenda, impavidos cernerem, fieri non posse intelligebam, ut in nequitia & in voluptatum amore viverent; Quis enim libidinosus & intemperans, ac humanæ carnis epulas in bonis numerans, mortem amplecti possit, ut bonis suis careat &c.* Hinc quisquis frequentes ab Hadriano patratas cædes, & propensissimum ad omnis generis superstiones genium attenderit, non tam facile Martyrologiorum fidem rejiciet, in quibus aliquot Martyres sub eodem coronati leguntur; quibus addendus est *Marius* dux Militum, qui pro fide occisus dicitur *tempore Hadriani Imperatoris*, ex inscriptione in Cœmeterio Callisti reperta, ubi *cum lacrymis & metu a benemerentibus depositus* legitur, haud dubie *cum metu* ob ingruentem persecutionem.

JESU CHR. AN. 120.

Just. Apol. 2. n. 12. pag. 100.

Aringhius BoldettiRom. Subteran. lib. 3. 22.

3. Hanc equidem nullo proposito edicto excitatam fuisse, testatur Tertullianus; sed vigebant adhuc antiqua Romanorum edicta, quibus novæ & peregrinæ religiones vetabantur; vigebat etiam Trajani rescriptum, quo Plinio Bithyniæ Præsidi jusserat, Christianos quidem inquirendos non esse, delatos tamen pœna afficiendos. Cujus atrocitatem sententiæ nec altero Hadriani rescripto ad Minucium Fundanum, In Asiæ Proconsulatu Serenii Graniani Successorem, cessasse arbitramur. Consulerat quippe Granianus Cæsarem, quidnam in eorum causa agendum sibi esset, cum ad necem postularentur absque legitima accusatione, aut intentato crimine, sed tantum confusis clamoribus; Imperator vero ad eum, *accepi*, inquit, *litteras a Serenio Graniano V. clarissimo decessore tuo. Nec sane mihi videtur res sine inquisitione prætereunda, ne & homines turbentur, & delatoribus malefaciendi occasio præbeatur. Si igitur in hac petitione Provinciales aperte contendere possint adversus Christianos, ita ut pro Tribunali respondeant, in id unum incumbant, nec petitionibus, solisque clamoribus utantur. Multo enim justius fuerit, cognoscere te, si quis accusare voluerit. Si*

Hadriani rescriptum ad Minucium Fundanum.

Tertull. In Apolog. cap. 3.

Euseb. lib. 4. 9.

JESU CHR. AN. 120.

Si quis ergo accusat, & ostendit quidpiam contra leges ab iis factum, tu pro gravitate delicti statue. Sin mehercule, calumniæ causa, quispiam hoc intenderit, operam dabis, ut pro gravitate criminis in illum animadvertas. Istiusmodi rescripto persecutio in Christianos fervens compressa aliquatenus est, cum eos tumultuariis populi clamoribus absque ulla criminis probatione occidi prohibuerit. At illam haud omnino extinxit, non solum enim Gentilibus eosdem accusandi inposterum potestas fuit, sed etiam tales deprehensos pœnæ juxta Trajani rescriptum Plinio datum subjecit.

Quo sensu Hadriani rescriptum interpretetur Justinus.

4. Justinus quidem in sua ad Antoninum Imperatorem Apologia, dum Hadriani rescriptum recitat, beniguiori sensu ejus verba interpretatur; quasi jusserit, christianæ Religionis causa molestiam nemini inferendam esse; sed tunc in eos, ut ceteros homines animadvertendum, cum contra leges peccassent, quam judiciorum formam justam, & æquam esse ait, & ab Antonino servandam. Constat tamen & sub eodem Hadriano, & sequentibus Imperatoribus quamplurimos nullo alio crimine convictos, nisi Religionis, martyrio coronatos fuisse; unde non immerito eo Hadriani rescripto mitigatam magis, quam extinctam persecutionem diximus; quod exploratum faciunt certissimumque sincera, quæ subjicimus, nonnullorum Martyrum hujus ætatis acta.

Acta S. Symphorosæ, & septem filiorum.

5. In his primum sibi locum vindicat S. Symphorosa, quæ una cum filiis septem gloriosum certavit agonem, matrumque christianarum exemplar extitit. Ejus Acta Julio Africano, Origenis amicissimo, celeberrimoque Scriptori tribuuntur, tantæque antiquitatis, & auctoritatis existimantur, ut de iis dubitare nulla sit ratio. Horum Sanctorum neci occasionem præbuit sumptuosissimi illius palatii dedicatio, quod in Villa Tiburtina ab Hadriano ædificatum fuisse testis est Spartianus. Cum enim Imperator hanc Regiam domum, quam sibi ad delicias construxerat, nescio quibus piacularibus cæremoniis lustrari jussisset, hanc occasionem arripuere sacerdotes Symphorosam incusandi, nihil omnino Diis placiturum, nisi prius Symphorosa aut iis sacrificaret, aut ipsa sacrificaretur. Comprehensa igitur & ad Hadrianum adducta, eam his verbis, inquiunt acta, idem est adhortatus: *Aut cum filiis tuis sacrifica diis omnipotentibus, aut te ipsam cum filiis tuis sacrificari faciam. Beata Symphorosa respondit:* Et

Et unde mihi tantum boni, ut ego merear cum filiis meis offerri hostia Deo? Hadrianus Imperator dixit: Ego te diis meis sacrificari faciam. Beata Symphorosa respondit: Dii tui me in sacrificium accipere non possunt, sed si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos dæmones tuos magis exuro. Hadrianus Imperator dixit: Elige tibi unum ex duobus, aut sacrifica Diis meis, aut malo interitu finieris. Beata Symphorosa respondit: Tu existimas, quod possit animus meus aliquo terrore mutari, cum ego desiderem cum viro meo Getulio, quem pro Christi nomine interfecisti, requiescere. Tunc Hadrianus Imperator jussit eam duci ad fanum Herculis, & ibi primo alapis cædi, & post hæc capillis suspendi. Sed cum nulla ratione nulloque timore posset eam a bono proposito revocare, jussit eam alligato ad collum ingenti saxo in flumen præcipitari. Cujus corpus colligens frater ejus Eugenius, principalis curiæ Tiburtinæ, in suburbana ejusdem civitatis sepelivit.

JESU CHR. AN. 120. Symphorosæ confessio fidei, & Martyrium.

6. Matris constantiam imitati sunt filii, de quibus referunt acta: *Alia die jussit Hadrianus Imperator, simul omnes septem filios ejus sibi præsentari, quos cum ad sacrificandum idolis provocaret, & nullo pacto eos videret suis minis atque terroribus consentire, jussit circa Herculis templum septem stipites figi, & ibi eos ad trochleas extendi. Et primum Crescentem præcepit in gutture transfigi; secundum Julianum in pectore pungi; tertium Nemesium in corde percuti; quartum Primitivum in umbilico vulnerari; quintum Justinum aversum per dorsum perforari gladio; sextum Stracteum in latere vulnerari; septimum vero Eugenium a summo usque deorsum scindi. Altera vero die veniens Hadrianus Imperator ad fanum Herculis, jussit corpora eorum simul auferri, & projici in foveam altam, & imposuerunt Pontifices nomen loco illi, ad septem Biothanatos. Post hæc quievit persecutio anno uno, & mensibus sex; in quo spatio omnium Martyrum honorata sunt sancta corpora, & constructis tumulis condita cum omni diligentia, quorum nomina descripta sunt in libro vitæ. Natalis vero sanctorum Martyrum Christi beatæ Symphorosæ, & septem filiorum ejus Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justini, Stractei, & Eugenii, celebratur sub die XV. Kalendas Augusti. Eorum corpora requiescunt in via Tiburtina milliario ab urbe octavo, regnante Domino Nostro Jesu Christo, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum.*

Septem Filii Symphorosæ martyrium subeunt.

JESU CHR. AN. 120. *lorum. Amen*. Hactenus Symphorosæ acta ab Julio Africano, uti diximus, litteris consignata, fortasse in Libris *de Chronographia*, quos accuratissime conscriptos fuisse testatur Eusebius. Verum quidem est ejusmodi opus jamdudum periisse, unde prælaudata Acta Africano adscribenda esse pro certo affirmare non audet Ruinartius; de eorum tamen sinceritate non dubitat, quam bene adstruunt aliunde petita argumenta, quæ apud Tillemontium videri possunt. Horum Martyrum memoria die 18. Julii Romano Martyrologio recolitur, a Rabano die 21. ejusdem mensis, ab Usuardo, & Adone die 21. Junii. In via Tiburtina supersunt adhuc rudera veteris Ecclesiæ, ut Aringhus notat, quæ olim sub eorum nomine Deo consecrata fuerat, hactenusque ad *septem Fratres* vocabulum retinet; quem locum Pontifices *ad septem Biothonatos* dixerunt, ut habent acta, idest *ad septem interfectos*, quo etiam vocabulo utitur Lampridius in Heliogabalo, eodemque bis in libro de anima Tertullianus.

Euseb. lib. 6. 21.

Tom. 2. hist. Eccles. pag. 595.

Aringh. Rom. subter. lib. 4. 17.

Tertull. de anim. cap. 57.

JESU CHRISTI AN. 121. SIXTI PAPÆ 3.
HADRIANI IMP. 5. COSS. M. ANNIO VERO II.
ET L. AUGURIO
OLYMPIAD 228. AN I. URBIS AN. 874.

Ortus Marci Aurelii

Capitolin. in Marc. Aurel. vita. Spartian. in Hadrian. c. 9. Dio lib. 69.

1. Hoc anno natus est Marcus Aurelius, qui post Antoninum Pium imperavit; cujus avus fuit Annius Verus hujus anni Consul. *Natus est Marcus Romæ*, ait Capitolinus, *sexto Kal. Majas in Monte Cælio in hortis, avo suo iterum, & Augure Consulibus*. Ex Campania iisdem temporibus Romam reversus Hadrianus boni liberalisque non Imperatoris modo, sed privati quoque civis munere functus est. Consulum enim & Prætorum judiciis intererat, amicorum convivia non respuebat, eosque ægros frequenter visitabat, ac comitem se omnibus munificumque præstabat. Compositis autem in Urbe & Italia rebus, lustrando Imperio animum admovit; & cunctas Romanæ ditionis provincias peragrare statuit, ut per se omnia componeret. Cujus peregrinationis initia, etsi sequenti anno ab aliquibus alligentur, plurimi tamen ad labentem spectare tradunt. Itaque relicta Italia *in Gallias, indeque in Germaniam transiit, ac postea Britanniam petiit, in qua multa emendavit*; *murumque* referente Spartiano, *per octoginta millia passuum*

Hadrianus Imperii provincias peragrare statuit.

Pag. an. 121. Basnag. ibid. Spart. in Adrian. cap. 12.

passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret. Magnificentissimi operis vestigia cerni adhuc testatur Cambdenus in descriptione Brittanniæ. Ea relicta, *in Galliam transgressus*, inquit Spartianus, *in honorem Plotinæ Basilicam apud Nemausum opere mirabili extruxit. Post hæc Hispanias petiit, & Tarracone biemavit; ubi sumptu suo ædem Augusti restituit*.

JESU CHR. AN. 121.

3. Cum adhuc in Galliis versaretur Hadrianus, tumultuati sunt Alexandrini ob inventum Apim, *qui cum*, ait Spartianus, *repertus esset multos post annos, turbas inter populos creavit, apud quem deberet locari, omnibus studiose certantibus*. Hæc postrema Spartiani verba non facile conciliari possunt cum iis, quæ de Api Ægyptiorum numine tradiderunt Strabo, Plinius, Marcellinus, aliique; ex his enim constat Apim vitulum fuisse, cui certa quædam inesse debebant signa & notæ, quæ cum raro reperirentur in vitulo, raro quoque Apis inveniebatur; cum vero appareret, eum veluti divinum quiddam excipiebant Ægyptii, festa peragebantur, ac sacerdotes ad id delecti, primum in Neilopolim perducebant, in qua diebus quadraginta alebatur; tum in sumtuosam navim, habitaculum aureum habentem, vitulum imponentes Memphim usque ductum, in Vulcani fano collocabant. Id circa Apim usitatum Ægyptiis fuisse præfati testantur Auctores. Unde igitur tumultus a Spartiano memorati ob locum, in quo Apis collocari deberet? Hallucinatum eum fuisse suspicari licet. Ac fieri facillime potuit, ut quæ mota fuit hoc anno ob aliquod numen inter ipsos seditio, eam ob deligendum Api locum Spartianus natam crediderit. Sane quæ ab his colebantur numina, tam diversa erant, sibique contraria, ut dissidii causam inde exortam nemo mirari debeat. *Diversis oppidatim vicatimque numinibus*, inquit Athanasius, *aliis aliorum Deos profligantibus, plane consequitur, ut nihil sit firmi, & ut omnes tandem profligentur. Quippe cum qui apud alios sunt dii, aliorum diis pro victimis mactentur ac libamina fiant, ac rursus quæ istic sunt victimæ, alibi deorum vicem & locum obtineant. Ægyptii certe bovem, & quem Apim nominant vitulum sacris colunt, sed eos alii Jovi sacrificant, non quod plane illos ipsos, qui pro numine consecrati sunt, sed quia alios ex eodem armenti genere occidant, eosdem illos occidere & immolare videntur*. Hæc Athanasius, cui

De Ægyptiorum Seditione ob inventum Apim. *In Adr. c. 12.*

Herod. lib. 3. c. 28.

Diod. lib. 1. c. 4.

Athan. Orat. cont. Gent. n. 26.

JESU CHR. AN. 121. cui consentit Herodotus. Ex his ergo caussis potius ortos dixerim Ægyptiorum tumultus, quos de locando Api autumat Spartianus.

Cur hæreses recenseantur. 4. Interea cum ab Hadriani persecutione aliquatenus Ecclesia respiraret, novis Hæreticorum fraudibus infectabatur, cujus nomini non minima derivabat infamia, cum illorum deliria & scelera Christianis tribuerent Gentiles, apud quos nulla Catholicos inter & hæreticos distin-

Baron. an. 120. n. 21. ctio erat: *Sed quorsum dicet aliquis* (ait Baronius) *quæ profundo, perpetuoque fuissent silentio sepeliendæ, hujusmodi sordes suo putore aerem corrumpentes, hinc inde ex industria, veluti scopa collectæ, produntur in lucem?* Multiplici tamen ratione id fieri demonstrat; in primis harum rerum notitia mentem illustrat, & de agendis Deo gratiis, qui de talibus tandem pestibus liberavit nos, admonet; sed & absolutissimi historici munus est, non tantum bella externa scriptis prosequi, sed & civilia cum acciderint, utpote externis periculosiora, cum

Ad Corinth. 1. 11. ex Apostoli sententia: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*; ita opus est, hæreses propalari, ut quæ qualisve Ecclesia Catholica sit, pariter innotescat. Sed quæ fuerint hæreses, quæ hoc præcipue tempore ad hominum perniciem ex inferis prodierint, docet Eusebius his verbis: *Porro Ecclesiis jam per universum Orbem instar clarissimorum siderum fulgentibus, & vigente per omnes nationes fide in Dominum ac Servatorem nostrum Jesum Christum, malignus ille Dæmon, utpote veritatis inimicus, & humanæ salutis hostis semper infestissimus, omnes machinas adversus Ecclesiam movens, prius quidem externis eam persecutionibus oppugnaverat: tum vero hac via ipsi præclusa, improbis quibusdam, ac maleficis hominibus, tanquam instrumentis & ministris utens, ad exitium ac perniciem animarum comparatis, alias belli artes tentavit; nihil non comminiscens, ut præstigiatores, ac subdoli homines Religionis nostræ vocabulum sibi assumentes, tum eos ex fidelibus, quos forte deceperant, in profundum exitii gurgitem abducerent; tum fidei nostræ ignaros, vitæ ipsorum exemplo deterritos, ab via, quæ ad salutare Dei verbum ducit, procul averterent. Igitur ex Menandro illo, quem Simonis successorem fuisse supra retulimus, exorta venenata quædam bestia bilinguis ac biceps duarum hæreseon inter se discrepantium duces constituit: Saturninum domo Antiochenum, & Basili-*

silidem Alexandrinum. Quorum ille quidem in Syria, hic vero apud Ægyptum impiæ doctrinæ scholas condidit. Et Saturninum quidem eadem fere cum Menandro ementitum esse declarat Irenæus. Basilidem vero specie arcanorum quorumdam, portentosas fabulas commentum, opinionis impiæ machinamenta in immensum extendisse. Hæc de duobus horum temporum hæresiarchis Saturnino, & Basilide Eusebius; quorum Saturnillus, seu Saturninus antiquior fuit, ut ex Tertulliano colligitur, qui, facta istius mentione, subjungit: *Postea Basilides Hæreticus erupit &c.*

Tertull. de hæresi cap.46.

Saturnini dogmata.

5. Saturnini autem dogmata hæc erant. Unum esse Patrem ignotum, qui Angelos, aliasque Potestates creaverit; septem ex horum Angelorum numero Mundum condidisse, hominesque efformasse, alios natura bonos; alios vero malos; ac quemque Angelum terrarum orbis partem regendam suscepisse; ipsos vero lucidæ cujusdam imaginis, quæ illis e Cœlo apparuerat, & quam detinere apud se minime potuerant, exprimendæ desiderio, ad hominem fingendum fuisse excitatos, ac dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem*: Sed cum figmentum illud erigi non posset, nec quicquam agere, ac reptantis instar vermiculi jaceret; divinam virtutem, cujus in similitudinem esset factus, scintillam vitæ immisisse, quæ ipsum animavit, erexit, perfecit. Hanc porro scintillam vitæ post dissolutionem animalis reverti ad cælestem illam, a qua prodierat, virtutem affirmabat; Deum quoque Judæorum ex Angelis unum esse; Salvatorem vero a Patre missum, ut & Judæorum Deum in ordinem redigeret, malosque homines profligaret, & iis, qui sibi crederent, salutem afferret. Uxores ducere, liberosque gignere a diabolo esse ajebat: unde plerique discipulorum ejus animatis omnibus abstinebant. Christum incorporeum fuisse blasphemabat, nullaque forma præditum, nec reipsa hominibus apparuisse, sed omnia ab eo specie tenus peracta; prophetias tandem quasdam ab Angelis, quasdam vero a Satana esse revelatas. Hæc de impiis Saturnini dogmatibus habentur apud Irenæum, Epiphanium, Theodoretum, Philastrium, & Augustinum. Addit Tertullianus, ipsam quoque futuram resurrectionem negasse.

Iren. de Hæres lib. 10.22. Epiph. Hæres. 23. Theod. Hæres. Fab. lib.1. Philast. de Saturn. c.3. August. de Hæres. c.1.

De Basilide, ejusque erroribus.

6. Saturnino condiscipulus apud Menandrum fuit Basilides genere Alexandrinus, qui in Ægyptum profectus, ibi hæreseos suæ venena sparsit, cujus hæc præcipua sunt capita ex

JESU CHR. AN. 121. iisdem Scriptoribus hausta, qui recensita prioris dogmata litteris prodiderunt. Ingenitum unum esse principium, sive summam virtutem, quam barbaro vocabulo *Abraxax* nominabat; ab hac procreatam Mentem, a Mente Verbum, a Verbo Prudentiam, a Prudentia Virtutem & Sapientiam prodiisse; ab utraque porro conditos fuisse Principatus, Potestates, & Angelos; ab his supremum cœlum factum, & alios rursus Angelos propagatos; ab illis alterum cœlum, & aliam rursus Angelorum propaginem; atque ita deinceps, donec 365. cœli perfecti essent. *Eos autem*, prosequitur Irenæus cui & præcedentia debentur, *qui posterius continent Cœlum, Angelos, quod etiam a nobis videtur, constituisse ea, quæ sunt in Mundo, omnia, & partes sibi fecisse Terræ, & earum, quæ super eam sunt, gentium. Esse autem principem ipsorum eum, qui Judæorum putatur esse Deus. Et quoniam hic suis hominibus, idest Judæis, voluit subjicere reliquas gentes; reliquos omnes Principes contra stetisse ei, & contra egisse. Quapropter & reliquæ resiluerunt Gentes ejus Genti*. Christum specie tenus mortalibus apparuisse dicebat, ipsumque neutiquam esse passum, sed Simonem illum Cyreneum in suam commutasse figuram, quem Judæi Christum reputantes, neci tradiderunt. Hinc Martyrium damnabat, quod non pro Christo Martyres occumberent, sed pro Simone illo, qui Christus falso habitus fuerat; soli animæ repromissam esse salutem, corpus vero minime resurrecturum; prophetias ab Angelis factas, legem vero a Principe Judæorum latam esse. Hinc ab Hieronymo scriptum Præf. in Epist. ad Titum, Basilidem illorum unum esse, *qui vetus laniant Testamentum*. Ajebat insuper animas in altera vita peccasse, non omnia peccata dimitti a Deo, sed sola involuntaria; peccatorum tamen non alias pœnas esse, nisi transmigrationes animarum post mortem. Non solum impurus homo Evangelium viginti libris commentari ausus est, sed aliud suo nomine inscribere vulgareque præsumpsit. Magicis quoque variisque incantationibus, & imaginibus seu Amuletis Basilidianos usos fuisse testatur Irenæus loc. cit., ac confirmari potest duabus gemmis ex lapide Amathisto, quas ære incisas Baronius exhibet, quæque Basilidis disciplinam exprimunt. Prior etenim hominem repræsentat, cujus membra variis sunt inscripta nominibus, manu una clypeum, altera tenet bidentem, & virga super caput; in postica Leo visitur caput Tauri inter ungues tenens. Gem-

Iren. lib. 1. c. 23.

Clemens Stromat. l. 1. 249.

Origen. in Luc. h. 1. Hieron. Præf. in Matt.

Gemma altera monstrum exhibet, constans duobus serpentibus, & obscura figura; in postica hæc verba leguntur: *ABPA CAZ*: quod verbum sanctum, & salutare Basilidianis erat; eoque tanquam medicamine ad curandas infirmitates utebantur. Hujuscemodi superstitiosæ observantiæ meminit & Serenus Samonicus antiquus medicus ex Basilidis Schola, qui præcepta medica carmine scripsit heroico, de his hæc habens, ut apud Baronium legitur:

Inscribis chartæ quod dicitur ABPACADABPA,
Sæpius, & super repetis; sed detrahe summam,
Et magis, atque magis desint elementa figuris
Singula, quæ semper rapies, & cetera figes,
Donec in angustum redigatur littera conum:
His lino nexis collum redimire memento.

Et in fine:

Talia languentis conducent vincula collo,
Lethalesque abigent (miranda potentia) morbos.

Sed de *Abraxa*, aliisque portentosis horum hæreticorum inventis adeundus Cl. Montfauconius, ubi innumera pene exhibet ipsorum superstitionis monumenta. De Basilidis obitu hæc prodit Hieronymus: *mortuus est Basilides, a quo Gnostici in Alexandria, temporibus Hadriani, qua tempestate & Chocibas Dux Judaicæ factionis Christianos variis suppliciis enecavit*. Hunc tamen usque ad Antonini senioris tempora vixisse tradit Clemens Alexandrinus, cui plerique subscribunt. Post se reliquit Basilides Isidorum filium paternæ impietatis hæredem & propagatorem, ut auctor est idem Clemens; qui & addit, Isidorum commentaria edidisse in Prophetam Parchor, ex quibus & aliqua profert in stromatum libris. Basilidis deliria validissime confutavit, Eusebio teste, Agrippa Castor, ejus ætatis scriptor celeberrimus, cujus & Hieronymus meminit.

Antiquit. T. 2. P. 2.
Hier. de Vir. ill. 21.
Clem. Alex. lib. 7.
lib. 2. 3.
Hier. ut supra cap. 21.

7. Saturnino, & Basilidi affinis impietate, & ætate fuit Carpocrax, quos etiam impudentissima libidine superavit: *Carpocratem*, ait Eusebius, *iisdem vixisse temporibus, scribit Irenæus, alterius sectæ, quæ Gnosticorum dicitur, conditorem: Hi magi-*

De Carpocrate, ejusque hæresi.
Euseb. 4. 7.

Jesu Chr. an. 121. *magicas Simonis præstigias non clam, ut ille, sed palam & publice tradendas esse censebant: & philtris arte magica curiose elaboratis, paredrisque & somniorum immissoribus quibusdam spiritibus, aliisque hujusmodi maleficis, tamquam maximis ac pulcherrimis rebus, gloriabantur. Consequenter etiam docebant, quicumque ad perfectionem mysteriorum, seu potius flagitiorum, quæ apud ipsos agebantur, pervenire vellent, eos turpissima quæque perpetrare oportere: quippe qui Mundi hujus principes, ac rectores, ut ipsi vocant, aliter evitare non possent, nisi unicuique eorum debita munera per obscænissimam libidinem persolvissent.* Alexandrinus genere erat, & ex uxore Alexandrina filium fusceperat nomine Epiphanum, qui & Patrem impietate vicisset, si per ætatem licuisset; sed anno decimoseptimo sublatus, *ut Deus Samæ (quæ est urbs Cephalenæ)* ait Clemens, *honore affectus est; quo in loco templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, museum ædificatum est, & consecratum, & cum est nova luna, convenientes Cephalenes tempore quo natus, & relatus in Deos est Epiphanes, sacrificant, libantque, & convivantur, & hymnos canunt.* Librum & Epiphanes de justitia reliquit, cujus partes quasdam recitat Clemens, sectamque patris multum adjuvit. Hujus hæresis ortum mulieri cuidam vindicat Origenes: *Celsus porro novit, & Marcellianos a Marcellina, & Harpocratianos* (Carpocratianos) *a Salome oriundos*. Ad hæc autem capita Carpocratianæ sectæ dogmata redigi possunt: Mundum ab Angelis conditum; Christum ex Maria & Joseph fuisse procreatum; Animas, quæ peccaverunt, mitti in corpora, ut rite expiarentur; experiri omnia oportere, ne egressæ istinc animæ opere aliquo prætermisso, ob id rursus in corpora mittantur. Hoc vero ipsum esse, quod in Evangelio dicitur, *esto consentiens adversario tuo dum adhuc es in via*; nam & custodiam corpus esse interpretabantur, & novissimum quadrantem migrationem animarum, quas accessionibus ad corpora singulis ultimas actiones obire necesse sit, nullum ut amplius scelus ac flagitium supersit. Uxores juxta Platonis disciplinam communes esse censebant. Hæc de iis memoriæ prodiderunt Irenæus, Clemens, Augustinus, Theodoritus, & Epiphanius. Cum vero præter hæc impia, quæ disseminabant, dogmata, nefanda quoque patrarent; merito Epiphanius eos *ad Ecclesiæ Dei probrum, & offendiculum adornasse, ac submisisse Satanam scribit*, quip-

Clem. Alex. strom. lib. 3.

[1] Orig. contra Celsum lib. 5.

Matt. 5. 25.

Iren. lib. 1. 24. Clem. strom. lib. 3. August. de hæresi cap. 7. Theod. hæres. fab. lib. 1. Epiph. hær. 27.

quippe qui Christianorum sibi nomen indiderint . Commentum autem est , Carpocratianos a Beato Barnaba in Cypro fuisse damnatos , ut apud Prædestinatum a Sirmondo editum legitur . — Jesu Chr. an. 121. *Sirmond. in Prædestin. c. 7.*

8. Qui a Carpocrate , Basilide , Saturnino , Nicolao , aliisque hæreticarum Sectarum conditoribus prognati sunt , *Gnosticorum* nomine appellari voluerunt , quod est natura sua honorificum ; ac virum multiplici & exquisita rerum , divinarum præsertim , cognitione præditum sonat : unde Clementi Alexandrino Gnosticus idem est ac Philosophus . *Hæc ergo* , inquit , *tria noster sibi vindicat Philosophus . Primum quidem contemplationem , secundum autem præceptorum exequutionem , tertium bonorum virorum constitutionem , quæ quidem cum convenerint , efficiunt virum Gnosticum* . Quod & monuit ubi ait : *Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse , vel appellari debuisse gloriantur* . Præter errores suis a Præceptoribus acceptos hi peculiariter Gnosticis tribuuntur . Principes *369.* ceu minores Deos invehebant , cuique Cœlo insidentes , & Christum in octavo collocabant cum Barbelloue seu universorum parente . Christum negabant de Maria natum , sed per Mariam ostensum asserebant ; eos , qui monasticum vitæ genus amplexi essent , aut castitatem professi , deridebant , quod frustra id sibi imposuissent laboris ac molestiæ ; jejunia damnabant & execrabantur , non secus ac martyria ; nedum communes ipsis fœminæ erant, sed in omni libidinum genere effusi, ea etiam, quæ non tam crimina , quam monstra , uti præclare dixit Tertullianus , exercebant . Omnia singulatim referre nimis abhorret animus . S. Epiphanius , qui hæc coactus enarrat hæresi *26.* , ea a mulieribus Gnosticis , quæ ipsum adhuc juvenem ad suas partes trahere tentaverant , didicit ; cumque rem omnem , & personas ad Episcopos detulisset , LXXX. fere ex impuris hominibus exulare jussi sunt . — De Gnosticorum erroribus. *Clem. Alex. strom. lib. 2.* *Epiphan. Hæres. 26.*

9. Ex adeo fœda Gnosticorum disciplina maxima in Ecclesiam derivasse incommoda , certum exploratumque est . Gentiles enim , cum tot flagitia scirent a Gnosticis perpetrari , qui de Christiano nomine gloriabantur , illa etiam a Christianis veris patrari sibi persuadebant , ac perversa de religione nostra opinione decepti , eam execrabantur , velut sectam omnibus nequitiis deditam , & impuris mysteriis deformem . Hinc Tertullianus : *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii , & pa-* — Ob Gnosticos Christiani male audiunt. *Iren. de hær. lib. 1. 24.* *Tertull. Apol. cap. 7.*

JESU CHR. AN. 121.

Lib. 4. Hist. Eccl. c. 7.

& pabulo crudæ, & post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones, scilicet, tenebrarum, & libidinum impiarum inverecundiam procurent. Similiter Eusebius, *his*, ait, *diabolum usum fuisse ministris, ut gentibus, quæ erant a fide alienæ, copiam & tamquam ansam præberet sacrosancto Dei verbo petulanter impieque obtrectandi: eo plane consilio, ut, fama de flagitiosa istorum vitæ ratione passim dissipata, turpem ignominiæ notam universæ Christianorum multitudini inureret. Unde certe accidit, uti nefaria quædam opinio de nobis excitata, eaque ab omni ratione alienissima, per infidelium animos longe lateque pervaderet, quod videlicet tum nefando concubitu matres & sorores violare, tum etiam scelerato alimenti genere uti non vereremur*. Ac eosdem hæreticos in causa fuisse dicit, cur plerique gentilium nullam cum Christianis vellent *societatem conjungere, ac ne aures quidem præbere sustinerent: utque adeo nefariis illorum flagitiis consternati ac deterriti erant*.

S. Epiphan. Hæres. 27.

Christianum nomen a calumniis vindicatum.

10. Verum suæ opitulatus est Deus Ecclesiæ per viros sanctissimos atque doctissimos, qui ejus defensionem susciperent, objectasque calumnias omnino diluerent: quod quidem egregie præstiterunt primi Christianæ Religionis Apologistæ Justinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, aliique. Hi non solum quæ imponebantur crimina constanter inficiati sunt, sed ne in suspicionem quidem objectorum flagitiorum Christianos venire posse ostenderunt, exposito eorum vitæ instituto. Quomodo enim inquiunt, mactati infantis ac in cœnam appositi, vel nefariorum concubituum rei censeri possunt ii, qui ab infantium expositione, apud Gentiles frequentata, summopere abhorrebant, ac ab ipso animalium sanguine abstinentes, nec cruentis gladiatorum ludis interesse licitum putabant? *Sed vel omnino*, ait Justinus, *Matrimonium non inimus, nisi ad liberorum educationem, vel si a nuptiis refugimus, perpetuo nos continemus*. Qua etiam ex occasione narrat Christianum quemdam, ut, quæ a Gentilibus de promiscua effusaque libidine Fidelium vulgabantur, falsa esse probaret, libellum Felici Alexandriæ Præsidi obtulisse, quo postulabat, ut licentiam medico castrandi se concederet; quod cum negatum esset; nihilominus in proposito castitatis servandæ perseverasse adolescentem, conscientiæ suæ testimonio contentum. Quapropter Justinus æque ac ceteri Ecclesiæ Apologistæ Gentiles,

Justin. Apol. cap. 54. Tertullian. Apol. cap. 7. Theoph. ad Autol. lib. 3.

Justin. Apol. pag. 61.

les, aliosque illius hostes fidenter provocant, ut diligentissime in Christianos inquirant, ac vel unum ex congestis in ipsos criminibus suis instructum probationibus proferant. *Enim vero*, inquit Athenagoras, *si vera sunt ista, nulli parcite generi: animadvertite in hujusmodi facinora: una cum conjugibus, & liberis radicitus nos extirpate, occidite; si quidem mortalium quisquam ad instar ferarum vivit*. Et Tertullianus: *dicimur*, ait, *sceleratissimi &c. dicimur tamen semper, nec vos quod tamdiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruitis*. Videatur Minutius Felix in Octavio, Eusebius, ac Epiphanius.

Tertull. Apolog. c. 7. Minut. Felix in Octav. p. 21. Euseb. lib. 4. cap. 7. Epiphan. Hær. 27.

11. Unde autem factum sit, ut Gentilium etiam curiosissimos, & diligentissimos fugerit, quæ esset in Christianorum cœtibus disciplina, quive ipsorum mores, quod & Celso, ut ex Origene scimus, contigit; ita ut quæ ab hæreticis fiebant, ea catholicis adscriberent; hæc etiam ratio reddi potest, quod primis Ecclesiæ sæculis ejus mysteria occultabantur, nec ea nisi fidelibus patebant. Quam Arcani disciplinam in usu fuisse multis probat Albertinus Calvinista, eamque fusius, & enucleatius exponit doctissimus Schelestratius. Quis autem in Patrum lectione tam hospes, ait Casaubonus, ut ei sit ignota formula in Sacramentorum potissimum mentione passim adhibita: *Norunt initiati, quod dicitur*; quæ formula in unius Chrysostomi tantum scriptis ad minimum quinquaginta locis occurrit. Notum etiam illud Augustini: *Cathecumenis Sacramenta fidelium non producuntur*; & alibi: *Nesciunt Cathecumeni, quid accipiant Christiani*; & Cyrillus eosdem Cathecumenos alloquens: *Sciunt*, inquit, *initiati vim hujus poculi; scietis vos quoque paulo post*. Eamdem Arcani disciplinam & apud Philosophos usitatam fuisse notissimum est. De Pithagora scribit Jamblicus: *Cum externis, &, ut ita dicam, profanis, si quandoque usus ferret, congrediendum esse, nequaquam sua sacramenta enunciabant, sed per symbola, & arcanas tesseras obscure, & latenter sibi mutuo sensa mentis velut ænigmatibus significabant*. Idem de Platonicis, & Epicureis testatur Clemens Alexandrinus. At Sancti Patres, qui Ecclesiæ mysteria occultarunt, id non Philosophorum exemplo, sed Christi præcepto observarunt, quo dictum est: *Nolite Sanctum dare canibus, nec projicere margaritas ante porcos*. Hinc cum Fidelibus cuncta paterent, eadem Gentilibus, Ju-

De disciplina arcani in Ecclesia observata.

Orig. contra Celsum lib. 1.

Albert. de reticentia mysteriorum. Schelestr. dissert. de disciplina Arcani. Casaubon. in Baron. exercit. 16. Chrysost. hom. 27. in Matth. Aug. in Joann. tract. 96. Cyrill. Hier. cathec. ad baptizandos. Jambl. lib. 2. de vit. Pithag. cap. 28. Clem. Alex. Strom. lib. 5. Matth. cap. 7.

JESU CHR. AN. 121.

Judæis, & Cathecumenis obvolvebantur.

Quænam Arcani disciplina continerentur.

12. Non omnia tamen Religionis Dogmata vel Ritus hæc Arcani disciplina amplectebatur; sed ea tantum, quæ abstrusiora sunt, & ab humanæ rationis captu remotiora, ut E. G. Trinitatis, & Eucharistiæ mysterium. Hinc Origenes Celso secretum & latebras Christianis objicienti, eorumque doctrinam *Clancularium* appellanti, respondet per totum Orbem notiorem esse Evangelicam prædicationem, quam Philosophorum placita. *Quis enim*, inquit, *Jesum, e Virgine natum, Crucifixum ignorat? quis Resurrectionem ejus multis creditam, & denunciationem judicii reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus, & justis præmia? Quin & resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus. Quæ cum ita se habeant, perabsurdum est, doctrinam hanc vocare clanculariam. Quod vero quædam sunt, quæ non annunciantur quibusve, id non solius doctrinæ Christianæ proprium est, verum etiam philosophicæ. Nam & illi exteriorem, & peritiorem doctrinam habebant, & alii Pythagoram audiebant, contenti ipsius auctoritate, alii secrete discebant rationes non evulgandas in profanos, nondumque purgatos*. Hæc Origenes: ex quibus patet, aliquos non solum Ecclesiæ ritus, sed etiam dogmata quædam, juxta illius temporis disciplinam, occultata fuisse. Altum siquidem in enumeratione dogmatum, quæ palam prædicabantur, Origenes silentium servat de sanctissimæ Trinitatis mysterio, de Eucharistia, de aliis denique Sacramentis.

Orig. contr. Celsum lib. 1.

Mysterium Trinitatis celari solitum.

13. Atque ad Dogma Trinitatis quod attinet, licet Apostoli illud coram Judæis non reticuerint, quia idem mysterium in propheticis sermonibus antiquitus acceperant; quarto tamen Ecclesiæ sæculo disciplina Arcani conclusum fuisse, testes sunt Cyrillus Hierosol. & Chrisostomus. Quorum primus Cathechesi VI. agens de mysteriis symbolo contectis ait: *Hæc mysteria, Sacramentaque nunc patefacit Ecclesia Dei, qui ex Catechumenis excedit; nec moris est Gentilibus exponere: non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus, neque palam apud Cathecumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur*. Chrysostomus vero homilia 40. in primam ad Corinthios Epistolam expresse profitetur, se non audere loqui de

de forma baptismatis, & symbolo, quibus Sanctissimæ Trinitatis mysterium exponitur: *Non audeo*, inquit, *propter eos, qui non sunt initiati: si enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogunt, vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quod ejus a me fieri poterit, recte, & adumbrate.*

Cur nulli tractatus de septem Sacramentis occurrant primis Ecclesiæ Sæculis.

14. Ex hac autem Arcani disciplina factum est, ut de septem Sacramentis antiqui Patres vix commentaria ediderint; cum enim necesse fuisset de vario Sacramentorum ritu, de materia, & forma, quibus conficiuntur, deque eorumdem administratione non panca dicere, quæ simul profanis, & a Christiana Religione alienis, abscondita vellent; hinc non omnia litteris mandarunt, cum facilius, quæ scripta sunt, in vulgus edantur; nec de his nisi inter Fidelium cœtus agebatur, prout necessitas, aut occasio ferebat. Ea itaque de causa in re hujusmodi pertractanda se se adeo contraxerunt Ecclesiæ Patres, Scriptoresque sacri, qui tribus primis floruerunt seculis, ut laudabilem hanc agendi rationem Novatores, ut solent, ad eorum deliria consovenda vertentes, eam exinde deducant, nempe quod illis alia de Sacramentorum numero mens esset. Purum sane putumque commentum; tanta enim fuit semper Ecclesiæ cum Orientalis, tum Occidentalis in septenariis Sacramentis agnoscendis consensio, ut & ipsi Schismatici etsi ab Ecclesia Latina disjuncti, nobiscum tamen veterem eorum Ecclesiam sensisse professi sint duabus in Synodis superiori sæculo habitis, Constantinopolitana scilicet, & Hierosolymitana.

Harduin. Concil. tom. 11. pag. 171. & 179.

JESU CHRISTI AN. 122. SIXTI PAPÆ 4.
HADRIANI IMP. 6. COSS. ACILIO AVIOLA,
ET CORELLIO, SEU CORNELIO PANSA.
OLYMP. 225. AN. 2. URBIS AN. 875.

De Hadriani gestis in Hispania, & Athenis. *Apud Tillem. Murat. Pagium.*

1. Cum Tarracone hiemaret Hadrianus, e gravissimo evasit periculo, non sine gloria. Cum enim per viridaria spatiaretur, hospitis servus gladio armatus in eum furiosus irruit, quem retentum ipse aulicis accurentibus tradidit; & ubi furiosum esse constitit, medicis curandum dedit. Hispaniis excedens, quo abierit, in obscuro est, diffidentibus Historicis. Eusebius in Chronico, Athenas eum petiisse, innuit, ubi

Euseb. pag. 705. tom. 8. inter Hieron. op.

Jesu Chr. an. 122. *Athenienſibus leges petentibus, ex Draconii, & Salonis, reliquorumque libris jura compoſuit*; ibique hiemaſſe hoc anno tradit Pagius ex eodem Euſebio. Alii vero in Syriam profectum ex Spartiano probare ſatagunt.

Mors Primi Epiſcopi Alexandrini, cui ſuccedit Juſtus. Euſeb. lib. 4. 4. Renadot. hiſt. Patriarch. Alexand. pag. 16.

2. *Mortuo Primo Epiſcopatus ſui anno duodecimo, Alexandrinæ Eccleſiæ Sacerdotium ſuſcepit Juſtus*, ait Euſebius ad annum Hadriani tertium; non tamen eo tunc id eveniſſe tradit, ſed tantum eo circiter tempore, *Mortuo &c.*; quo triennium comprehendi debet, ut anni ejuſdem Sedis duodecimi inveniri poſſint. De Juſto Primi ſucceſſore præter nomen vix quidpiam fide dignum in antiquis monumentis extat, ut a Renadotio in Patriarcharum Alexandrinorum hiſtoria adnotatur.

JESU CHRISTI an. 123. Sixti Papæ 5.
Hadriani Imp. 7. Coss. Q. Arrio Pætino,
Et Ventidio Aproniano.
Olymp. 223. an. 3. Urbis an. 876.

De Hadriani geſtis. Spart. in vita Hadriani cap. 12.

1. Syriam hoc anno, Athenis relictis, petiit Hadrianus; moxque, ut ait Spartianus, *bellum Parthicum Hadriani colloquio repreſſum eſt*; nimirum cum ad bellum inclinarent Parthi, Imperatoris colloquio, quod cum Choſroe aut ejus duce habuit, ſopitum remanſit. Ex Syria in Aſiam pertranſiit, ibique plurima contulit beneficia. Nam, teſte Chronico Alexandrino, *Nicomediæ, & Niceæ fora condidit, & quatuor regiones, ac mœnia, quæ Bythiniam ſpectant. Cyzici præterea Fanum excitavit, & pavimentum marmore ſtravit; nec in paucis aliis illuſtribus oppidis delubra haud pauca a fundamentis extruxit, alia inſtauravit, ſtatuaſque multas, ac diverſas poſuit*; de quibus inſcriptiones, & Numiſmata apud Gruterum, & Mediobarbam videri poſſunt.

JESU CHRISTI an. 124. Sixti Papæ 6.
Hadriani Imp. 8. Coss. M. Acilio Glabrione,
Et C. Bellicio Torquato.
Olympiad. 225. an. 4. Urbis an. 877.

Hadrianus Eleuſinis myſteriis initiatur.

1. Inter celeberrima Græcorum ſacra Eleuſina myſteria numerabantur, quibus, ut adnotat Pagius, hoc anno cum in Græcia adhuc eſſet, initiari voluit Hadrianus: vir ſane mor-

mortalium omnium, teste Spartiano, curiosissimus; qui non solum sacra, aut publica, sed *etiam amicorum occulta omnia exploraret*. Quo ritu Eleusina mysteria peragerentur, exequitur Pausanias. Ea occasione innumera Athenis, aliisque Græciæ civitatibus largitus est dona, uti habent Dio & Spartianus in Vita Hadriani cap. 13.

JESU CHR. AN. 124. *Spart. in vita Hadr. cap. 2. Pauf. lib. 1. p. 25. Dio lib. 69.*

JESU CHRISTI AN. 125. SIXTI PAPÆ 7.
HADRIANI IMP. 9. COSS. CORNELIO ASIATICO II., ET VETTIO AQUILINO.
OLYMP. 226. AN. 1. URBIS AN. 878.

1. Nil memorabile hoc anno occurrit, quam Hadriani in Siciliam, inde Romam adventus; cujus meminit nummus cum hac inscriptione: *Adventui Aug. S. C. Siciliæ, vel S. C. Restitutori Siciliæ*. Unde patet & Siculos ab eodem beneficiis affectos fuisse.

Hadriani in Urbem reditus. *Spart. in vita Hadr. cap. 13. Pag. ad an. 127. Bar.*

JESU CHRISTI AN. 126. SIXTI PAPÆ 8.
HADRIANI IMP. 10. COSS. M. ANNIO VERO III., ET L. VARIO AMBIBULO.
OLYMP. 226. AN. 2. URBIS AN. 879.

1. Occasione Decennalium, quæ acta hoc anno sunt, Hadrianum Patrem Patriæ appellatum fuisse, uxoremque ejus Sabinam Augustam renunciatam scribit Eusebius in Chronico; de quo tamen multi dubitant: nec desunt Nummi, qui illum jam antea eo titulo donatum exhibent.

Hadrianus Decennalia celebrat. *Euseb. pag. 708.*

2. Per id temporis cum acerbissime in Asia vexarentur Christiani, cumque illic Serenius Granianus Proconsul eos nullo objecto crimine, sed insanis vulgi clamoribus, quibus Præsides plerumque parebant, ad necem rapi videret; rei indignitate commotus Cæsari per epistolam retulit, satis quid de negotio ipse sentiret ostendens, uti habet Justinus, & Eusebius. Ea accepta, Hadrianus Minutio Fundano, Serenii Successori illa rescripsit, quæ superius ex Eusebio protulimus. Proconsules vero ac Præsides in ejusmodi causis diversa agendi ratione usos fuisse patet, prout vel ad clementiam, aut ad immanitatem erant propensi. Hinc factum est, ut dum alicubi iniquo Præsidum in Fideles animo dira ferveret persecutio,

De Minucii Fundani ad Hadrianum epistola. *Justin. Apol. 1. sub finem. Euseb. lib. 4. 8.* Præsidum varia agendi ratio in Christianorum causis.

JESU CHR. AN. 126.

Tertull. ad Scap. cap. 4.

tio, alibi ipsis annuentibus Præsidibus nulla molestia afficerentur. Plurima in utramque partem Tertullianus profert exempla, interque alios Arium Antoninum nominat, Asiæ Proconsulem, qui Christianos *instanter* persequebatur: *Cincius Severus* e contra *Thysdri in Provincia Bizacena* Præses, *ipse dedit remediam, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent: Vlterius & Asper, qui modice vexatum hominem, & statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos, & adsessores, dolere se incidisse in hanc caussam*. Ex quo etiam factum vidimus, quod quidam Præsides, veluti in re dubia Imperatores consulendos censuerint, ut Plinius, & Serenius, quorum ille Trajanum, hic Hadrianum suis epistolis adierunt.

Quadratus, & Aristides libellos pro Christianis Hadriano offerunt.

Eus. Chron. pag. 305. tom. 8. Oper. Hier. Lib. 3. 37. & lib. 4. cap. 3. Euseb. lib. 5. 17.

3. Cum itaque pro arbitrio, & absque causa vexarentur Fideles, Quadratus, & Aristides Philosophi Christiani, capta ex decennalibus occasione, qua & fontibus indulgentia præstabatur, libellos pro Christianis Hadriano obtulerunt. Quadratum eodem ævo, quo Philippi Evangelistæ filiæ, floruisse, & prophetica gratia illustrem fuisse ait Eusebius; isque idem fortasse est, quem Miltiades apud eumdem scriptorem inter Prophetas recenset: *In eodem libro universos novi testamenti Prophetas enumerat, inter quos Amiam quamdam, & Quadratum*. De oratione vero, seu Christianæ fidei apologia hæc idem Eusebius: *Huic*, ideft Hadriano, *Quadratus obtulit orationem, quam pro defensione Religionis nostræ idcirco conscripserat, quod quidam malevoli homines vexare nostros atque incessere conabantur. Extat hodieque apud plerosque ex fratribus hæc oratio, quam nos etiam habemus: ex qua & ingenium ejus viri, & rectam Apostolicæ fidei doctrinam perspicue licet cognoscere. Porro idem scriptor suam ipsius antiquitatem satis declarat his verbis. Servatoris autem, inquit, nostri opera semper conspicua erant, quippe quæ vera essent: iis scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt: adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint*. Hæc de Quadrato. Deinde: *Aristides quoque vir fidelis religionis nostræ sectatoribus, Apologeticum pro fide nostra, perinde ac*

ac *Quadratus, Hadriano Cæsari nuncupatum reliquit. Qui quidem liber etiam nunc servatur a plurimis.* Eadem fere de Quadrato, & Aristide Hieronymus in epistola ad Magnum, & libro de Viris illustribus, qui & addit, Quadratum Atheniensium Episcopum fuisse, ac Apologiam suam Imperatori, dum Athenis esset, obtulisse. Hæc sane incerta sunt, tum ob Eusebii silentium, tum etiam quod si hoc anno Apologiam Quadratus obtulit, ut idem innuit Eusebius, Romæ certe, ubi Imperator erat, id præstitisse dicendum est, non Athenis; quo vero ad illius Episcopatum, cum nemo ante Hieronymum dixerit, incertum quoque: immo hunc ab altero Quadrato Atheniensi Episcopo cum eruditissimis Viris distinguendum credimus.

JESU CHR. AN. 126.

Hier. epist. ad Mag. 70. de Vir. illustr. cap. 19. 20.

4. Interea Serenii Graniani relatione motus, ac Quadrati, Aristidisque Apologiis persuasus Hadrianus, quemquam Christianæ Fidei causa inposterum vexari prohibuit, quinimmo, si Lampridio fides, eo usque factus est christianæ Religionis fautor, ut Christo templa extrui mandaverit: *Severus*, inquit Lampridius, *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris fieri jusserat, quæ hodie idcirco, quia non habent numina, Hadriani dicuntur, quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed probibitus est ab iis, qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda*; Hadrianea templa sua ætate superfuisse, testatur Epiphanius, his verbis: *Erat Tiberiade Templum ingens olim extructum, quod Hadrianum, ni fallor, appellabant. Quod cum imperfectum hactenus mansisset, oppidani publicas in balneas commutare studebant.* Lampridio quidem hæc narranti fidem præstare nonnulli detrectant, quorum argumenta, verius dixerim sophismata, copiose solideque refutat Huetius.

Hadrianus Templa Christo ædificat.

Lamprid. in Sever. vita cap. 43.

Epiphan. hær. 30.

Casaubon. Basnag. an. 126. Cleric., ad an. 130. Huet. demonst. Evang. prop. 3. n. 23. pag. 37.

JESU CHRISTI AN. 127. SIXTI PAPÆ 9.
HADRIANI IMPERATORIS 11.
COSS. GALLICANO, ET TITIANO.
OLYMP. 226. AN. 3. URBIS AN. 880.

1. Quanto tempore Romæ substiterit Hadrianus incertum est. Inde in Africam transiisse, tum repetita Urbe, statim Orientem petiisse Spartianus scribit, apud quem de illius ge-

Hadriani peregrinationes

Spart. in vita Hadrian.

Jesu Chr. an. 127.

gestis, & peregrinationibus hoc & sequenti anno plura videri possunt, non enim cum eo orationem nostram diu peregrinari instituti ratio patitur.

De Sibyllis, eorumque Carminibus. *Baron. apparat. num. 18. Giorgius Bullus advers. Suich. cap. 4. Nat. Alex. secul. 1. dissert. 1. Valesius not. in Euseb. pag. 635. edit. Vales. Taurin. Basnag. an. 4. ante ær. Vulg. Cleric. an. Dupin. dissert. sur la Bible tom. 3.*

2. Primis Ecclesiæ sæculis extitisse nonnullos, qui pietatis prætextu, ac falso religionis zelo apocryphos libros ediderint, nemo est, qui ignoret, plurimaque Tom. 1. protulimus exempla. An autem Sibyllina quæ dicuntur carmina, quæque octo libris in Bibliotheca Patrum extant, ejusdem farinæ sint, in magna controversia est, quæ præteriri omnino non potest, cum multam habeat cum rebus Ecclesiæ affinitatem. Sibyllinis enim Oraculis veterum Patrum non pauci ad Gentiles revincendos, iisque christianam Religionem insinuandam frequenter usi sunt; atque eos optimo id quidem jure fecisse multi contendunt, qui ea, quæ a Patribus adhibita sunt, Sibyllarum oracula pro genuino ipsarum fœtu habent. Alii e contra eadem conficta, ac pro Sibyllinis venditata, ipsisque Patribus imposita fuisse censent. Quibus id rationibus evincere utrique conentur, inferius videbimus; nunc de Sibyllarum nomine, ac numero pauca addimus.

De Sibyllarum nomine, ac numero.

3. Card. Baronio *Sibylla* commune nomen est; quippe quod generatim tribuatur *fœminis fatidicis*, quæ a *consiliis Dei denunciandis* ita dicuntur; non quidem a Θεος & βȣλαι, ut ipse sentit; sic enim *Theobulæ* vocandæ forent, non *Sibyllæ*, sed a Σῖȣ βυλὴ *Dei consilium*. Σιὸς pro Θεὸς Æolice, vel potius Dorice; quod etymon veteres, & ex his Lactantius ac Isidorus tradunt. Aliis, Salmasio præsertim, placet, Fatidicas mulieres ab ipsarum prima, cui *Sibyllæ* nomen erat, ita appellatas fuisse: nec desunt, qui ab hebraico fonte repetendam putent vocis originem, uti Vossius in Etymol: Magis etiam de ipsarum numero certatur. Hæ sunt Clementi Alex. Sibyllæ: *Samia* videlicet, *Colophonia*, *Cumana*, *Erythraea*, *Phyto*, *Taraxandra*, *Macetis*, *Thessala*, *Thesprotis*. A Lactantio autem, cui subscribit Baronius, decem numerantur. *Ceterum Sibyllas decem numero fuisse, easque omnes Varro numeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse de Persis, cujus mentionem facit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam Libyssam, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de Divinatione composuit. Quartam Cumæam in Italia, quam Nævius*

Lib. 1. c. 2. Lib. 12. c. 12. Etymol. Salm. in Solin. pag. 56. Clem. Strom. lib. 1. 214. Lactant. 1. c. 6.

rius in libris belli Punici, Piso in Annalibus nominat. Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythæus affirmat suam fuisse civem. Sextam Lamiam: septimam Cumanam, nomine Amalthεam, quæ ab aliis Demophile, vel Evophile nominatur, eamque novem libros attulisse ad Regem Tarquinium Priscum.... Octavam Hellespouticam in Agro Trojano natam. Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtam, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea juxta Ripas amnis Anienis. Ipsi vel Ethnici de suarum Sibyllarum numero incerti erant, teste Tacito, qui, una seu plures fuerint, in dubio ponit. Quod mirari nemo debet, cum vix ulla extiterit regio, aut ætas, quæ divinatricem sibi fœminam non vindicarit. *Tacit. Annal. lib. 6. 1. 3.*

4. Jam vero a Gentilibus Sibyllarum oracula, carminibus expressa, ac libris collecta, qui *Sibyllini* dicebantur, agnita fuisse, ac summo in pretio habita, in dubium revocari non potest; neque alia iis utendi ad oppugnandam Ethnicorum Idololatriam Evangeliumque stabiliendum Patribus ratio fuit, nisi quod eorum maxima apud Gentiles auctoritas erat; eos autem in Romanorum potestatem hac ratione venisse narrat Dionysiius Halycar.: *Quædam Mulier non indigena Regem* Tarquinium Superbum *adiit, novem Sibyllinorum oraculorum libros vendere volens. Sed recusante Tarquinio libros emere tanto pretio, quantum illa petebat, abiit, & tres eorum cremavit. Nec multo post allatos reliquos eodem pretio vendere volebat. Judicata autem delira Mulier, quod idem pretium pro paucioribus libris peteret, quod ne pro pluribus quidem accipere potuisset, denuo digressa, dimidium reliquorum partem exussit, & allatis reliquis tribus, eamdem pecuniæ summam petiit. Tarquinius consilium mulieris admiratus, Augures accersivit, & re illis narrata, quid esset faciendum quæsivit. Illi vero cum ex quibusdam signis cognovissent, donum divinitus missum aspernatum a Rege fuisse, jussit eam pecuniam numerari, quam petebat, & oracula, quæ supererant, redimi. Illa autem mulier, cum libros tradidisset, utque diligenter asservarentur, monuisset, nunquam postea inter homines visa.* Rem paulo aliter Latini exequuntur, sed inter omnes convenit, Plinio teste, *Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse, ex quibus duo cremati ab ipsa. Quem librum*, inquit Solinus, *ad Cornelium usque Syllam, Pontifices nostri consulebant.*

De Sibyllarum Libris. *Dion. Hal. l. 4. c. 8.* *Solim. c. 2.*

Jesu Chr. An. 127. Plin. lib. 13. c. 13.

bant. Usque ad Syllam inquit; nam hujus temporibus una cum Capitolio igne absumptus est. Non ideo tamen apud Romanos ejusmodi oracula defecerunt; nam ut citato loco Dionysius addit, Legati in varias partes a Senatu missi, qui carmina Sibyllina conquirerent, eorumque exemplaria describerent, multa ex variis locis detulere, in quibus supposititia quædam extitisse, illisque inserta idem testatur. Postquam vero defuncto Lepido, Pontificatum maximum Augustus suscepit, quidquid Fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoritatibus vulgo ferebatur, *supra duo millia contracta undique cremavit, & solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito*.

Suet. in Aug. c. 31.

An Sibyllar. libri & Oracula genuina sint.

5. Hactenus dicta certiora sunt, atque omnium, qui de Sibyllis egerunt, testimonio firmata. Quæ vero sequitur de earum libris, & Oraculis quæstio: an scilicet genuina ea sint, vel spuria habenda, ob veterum recentiorumque scriptorum dissentionem, incerta adeo, intricataque est, ut vix obscurior in historiæ decursu inveniatur. Qui pro illorum veritate, auctoritateque decertant, veterum quidem nonnullorum Patrum testimonio innituntur, qui Sibyllas Deo afflante ea oracula edidisse, ut Græcis Gentilibusque Prophetarum loco essent, asserere non dubitarunt, easque christianæ Religionis insinuandæ causa Gentilibus objecerunt. Salva tamen debita Patribus reverentia, hac in quæstione falso eos rumore deceptos fuisse multa suadent: Hinc qui ex SS. Patribus cautiores doctioresque fuere, suam de Sibyllinis oraculis sententiam, vel in suspenso reliquerunt, vel a Christianis potius conficta fuisse tradiderunt. Præ ceteris unus audiatur Augustinus, qui de cunctis, quæ sacris Codicibus non continebantur, Oraculis hujusmodi judicium confidentissime ferre non dubitavit, ac nihil esse *firmius* ad christianæ Religionis veritates fulciendas, quam sacra veteris Testamenti Vaticinia: *Quæcumque*, inquit, *aliorum*, non Judæorum, *Prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratia proferuntur, possunt putari a Christianis conficta; ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si recte sapuerint, quam ut divina prædicta de Christo proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt Codicibus*. Suppositionis autem indicia, nec pauca, aut levia sunt; atque in primis adeo aperti in eisdem occurrunt de Christo sermones, ut Evangelia ipsa vix clarius

Aug. de Civ. l. 18. c. 23. & 47.

rius de eo egerint, nec talia in Prophetarum scriptis inveniantur. Si hæc, uti fingitur, tot ante Christum natum sæculis cognita, ac vaticinata sunt, jam Hebræorum privilegium, quod ipsis tantum credita fuerint eloquia Dei, prorsus evanescit; ac falsum illud Davidis: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*; quod inter bona, eisdem peculiariter tributa, primarium Apostolus quoque recenset. Hæc porro Judaici Populi præstantia non modo nulla foret, si egregia de Christo oracula Gentibus communia fuissent, sed etiam plurimum hac in parte Ethnicorum honori concedere deberet, cum longe clariora sint Sibyllarum, quam Prophetarum Vaticinia. Nec intelligi facile potest, cur hæc in antiquis earum libris tantopere jactata oracula Apostoli numquam citaverint, aut nullam eorumdem mentionem fecerint, Paulus præsertim, qui Poetarum carmina non semel adhibuit. Sed graviora adhuc imposturæ indicia iidem libri suppeditant, quos absurdissimis scatere commentis, apertissimisque repugnantiis facili negotio demonstrari potest. Sibyllarum una fingit se esse nurum Noachi, ejusque temporibus suum edidisse librum, in quo Moysis ortum, & populi Israelitici liberationem vaticinatur. At constans est omnium ferme Patrum sententia, nullum ante Moysen Scriptorem extitisse sive sacrum, sive profanum. Qua de re legendi sunt Tertullianus Apologetici c. 19., Lactantius, & S. Augustinus. Multa quoque in ipsis reperiuntur, quæ superstitioni, & Idololatriæ impense favent. Testis Cicero in Verrem: *P. Minucio, & L. Calpurnio Coss. editum est ad libros Sibyllinos, in quibus inventum est Cererem antiquissimam placari oportere.* Anno insuper Dom. LXV., quo gravis Urbis ex igne casus accidit, *petita sunt a Diis placita, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano, Cereri, Proserpinæ, ac propitiata Juno per Matronas primum in Capitolio apud proximum Mare.* Eo demum tempore, quo Marcomanni cuncta vastarent, libri Sibyllini, referente Vopisco, inspecti sunt, inventumque certis in locis sacrificia fieri oportere, quæ Barbari transire non possent. Horum ergo materia plerumque profana erat, scelesta, & ad Ritus Numinum confirmandos, exercendosque tota comparata. Jam vero absurdissimum esse, quis non videt, Sibyllas diserte & præcepisse cultum dæmonum, & prohibuisse, nec non evertisse simul, ac statuisse Christi

Psal. 147. *v.*19.

*Ad Rom.*3. 2.

*Ad Tit.*1. 12. *Actor.*17. 28.

Lact. lib. de vera Sapient. c. 5. *Aug. lib.*18. *de Civ. Dei c.* 38. *Cic. Orat. in Verr.* IX. *n.* 105. *Tacit. Annal. lib.*15. 10.

Vopisc. Aurel. c. 19.

Jesu Chr. An. 127.

Religionem? Sic E. G. in verfibus, quos P. Gabinius, M. Otacilius, L. Valerius Romam attuliffe dicuntur:

Lact. lib. 1. c. 6.

Unus, qui folus regnat Deus, atque fupremus,
Hunc colite, hunc illum, folus qui regnat in Orbe.

Blond. in oper. gallic. de Sibyllis an. 1649. edit. Gerard. Joan. Vossius de Poetis Graec. c. 1. Basnag. Annal. Pol. Eccl. ad annum ante Christum 4.

En homines ad unius Dei dumtaxat adorationem invitantur, qui Cereri, Vulcano, Proferpinæ, aliifque dæmonibus fupplicandum jubentur. Quin & multa falfo animadvertuntur prædicta; veluti E. G. in lib. 8. Roma peritura dicitur anno a conditione fua 948. Chrifti fcilicet 195. Severi Imperatoris tertio. Aliaque id genus plurima, quæ apud Blondellum, Joannem Voffium, & Bafnagium præcipuos Sibyllinorum Librorum impugnatores videri poffunt.

Sibyllinorum librorum Auctor.

6. Sed quinam tandem hujus operis fabricator, aut certe adulterator? Judæus ne, an Chriftianus? Unus, an plures? Hæc ceteraque hujufmodi ne hi quidem, qui de Sibyllis ex profeffo tractarunt, definire aufi funt, cum nonnifi meræ aliquot fuppetant conjecturæ. Ex iis vero Natalis Alexander: *Auctorem*, infert, *profeffione Chriftianum fuiffe*, *Linguæ Hebraicæ*, *veræ Theologiæ*, *imo Hiftoriæ & Geographiæ penitus ignarum*. Incongruum hic non effet de altero quoque libro, a veteribus interdum Patribus fub nomine Mercurii Trimegifti citato, verba facere; ne tamen longius deflectamur, contenti fumus de eo id tantum fubnectere, quod neminem hodiedum latet, Mercurii nequaquam effe; fed a Chriftiano homine fecundo definente feculo confictum, atque in vulgus editum: de quibus plura, fi lubet, vide apud Natalem Alexandrum Seculo 1. art. 17.

JESU CHRISTI AN. 128. TELESPHORI PAPÆ I. HADRIANI IMP. 12. COSS. TORQUATO ASPRENATE, ET ANNIO LIBONE. OLYMP. 226. AN. 4. URBIS AN. 881.

Hadriani gesta.

1. Hadriani per Orbem Romanum peregrinationes, & gefta ita defcribit Spartianus, ut ea per annos diftingui certo non poffint. Currenti vero eum Syriam Ægyptumque peragraffe, aliquot ex numifmatibus conjectatur Pagius: nec fortaffe fallitur, dum ait ad hunc annum ea fpectare, quæ contra Antio-

Antiochenses, eodem Spartiano teste, meditatus fuerat; quos *ita odio habuit, ut Syriam a Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum Metropolis Antiochia diceretur*.

Sixti Papæ obitus, cui succedit Telesphorus. *Euseb. lib. 4. 4. in Chron. pag. 708.*

2. Hoc eodem tempore Sixtus Papa I., cum sedisset annos novem, & menses aliquot, ab anno scilicet Christi 119., Hadriani tertio, quo eum Eusebius Alexandro successisse tradit, ad labentem, e vita discessit; ac *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum septimus suscepit Telesphorus annis* 11. Eusebius idem in Chron.

Epistolæ Sixto adscriptæ. *Ceutan. p. 55. Blondell. Isid. vapulans.*

3. Ex Isidori officina duæ Sixti circumferuntur epistolæ, quas viri docti apocryphas habent. Harum una ad omnes Christifideles inscribitur; ad totius vero Ecclesiæ Episcopos altera, cui hic titulus: *Sixtus universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, omnibus Episcopis in Domino salutem*; quo quidem solo titulo suppositam scimus. Nam Gregorio Papa I. testante, compertum est, Romanos Pontifices se Universalis Ecclesiæ Episcopos appellari passos nequaquam fuisse, eaque de causa hujusmodi titulum, utpote ambitiosum & superbum, in Joanne Constantinopolitano Episcopo idem merito reprehendit, ut suo loco videbitur.

SixtoPapæ liber falso adscriptus. *Hier. ad Ctesiphon. epist. 133.*

4. Cum Sixto Romano Pontifici ac Martyri commentarium quoddam Sixti Philosophi Pythagorici inscripsisset Rufinus, quod in latinum antea transtulerat, a Hieronymo vapulari meruit: *Illam autem temeritatem*, de Rufino loquitur, *immo insaniam quis digno poterit explicare sermone, quod librum Sixti Pythagorei hominis absque Christo, atque Ethnici, immutato nomine, Sixti martyris, & Romanæ Ecclesiæ Episcopi, prænotavit? in quo, juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur: ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla fit Christi mentio; ut Episcopum, & martyrem sine fide Christi fuisse contendat*. Alibi vero conqueritur Hieronymus, hunc librum Rufini fraude per multas provincias legi, quod sibi quoque accidisse ingenue fatetur S. Augustinus. Sed & alia eidem Sixto inscribuntur decreta a Burchardo, aliisque Canonum Collectoribus; nihil sane præseferentia speciali animadversione dignum, nisi quod de quodam Epistolarum Antiquarum genere, quæ *formatæ* dicebantur, in iis mentio

Retract. lib. 2. 42. Alia decreta Sixto Papæ inscripta.

Jesu Chr. an. 128.

tio habeatur, de quibus, aliisque veterum Epistolarum spec bus pauca sunt dicenda.

De formatis Epistolis, eorumque usu. *Optatus contra Parmen. lib. 2.* *Aug. epist. 44. n. 3.*

5. Sciendum itaque, formatarum Epistolarum usum, quæ peregrinaturis dabantur in signum Ecclesiasticæ communionis, antiquissimum esse: unde Optatus Milevitanus de iisdem: *Cum quo*, idest Romano Pontifice, *nobis totus Orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat*. Et Augustinus ad Eleusium: *Hic*, de Fortunio Tuburficensi Donatistarum Episcopo agens, *primo asserere conatus est, ubique Terrarum esse communionem suam. Quærebam utrum epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, possent, quo vellent, dare, & affirmabam, quod manifestum erat omnibus, hoc modo illam facillime terminari posse quæstionem*. Hæc Augustinus; quibus docet eos Ecclesiasticæ communionis habitos fuisse participes, qui formatas ubique dare poterant epistolas, vel ab aliis Episcopis, & præcipue a Romano Pontifice recipere.

Literarum diversa nomina.

6. Quæ autem dicebantur formatæ, seu *communicatoriæ*, eædem, ut Auctor est Atticus, *canonicæ* appellabantur, quas etiam Theophilus Alexandrinus in epistola prima Paschali, *pacificas* nominat, & in tertia *Ecclesiasticas*. Sed pacificæ quoque, seu communicatoriæ eæ dicebantur, quæ pauperibus peregrinantibus concedebantur, ut ab aliis fidelibus recipi, & adjuvari mererentur. *Commendatitiæ* tamen, ut Chalcedonensi Concilio decernitur, ab Episcopis iis tantum dabantur, qui illustriores merito, aut dignitate erant, Clericis scilicet peregrinantibus, aliisque dignioribus viris, ut honore debito exciperentur. Harum se apud Corinthios non indigere Apostolus testatur, quibus apprime notissimus erat. *Numquid egemus*, ait, *sicut quidam commendatitiis Epistolis ad vos, aut ex vobis. Epistola nostra vos estis*. Qui etenim illas secum ferebant, quocumque pergerent, honesto viatico a Christianis alebantur; unde in Peregrino Luciano: *Suscepta secunda peregrinatione egreditur, vagaturus satis sibi viatici in Christianis repositum esse existimans*. Eisdem similia quodammodo erant Diplomata, quorum meminit Plinius, postea tractoriæ epistolæ dicta, ut ex Codice titulo de Tractoriis, & Stativis constat; harumque litterarum exemplar videri potest apud Cujacium.

Concil. Chalc. can. 11. *2. ad Corinth. 3.* Lucianus in Peregrini vita. *Plin. epist. lib. 10. 121. 122.* *Cod. Theod. lib. 8. cap. 6.* *Cujac. tit. de Tractoriis.*

Formatæ epist. Clericis datæ.

7. Sed inter omnes enumeratas frequentiores erant Epistolæ, quæ ab Episcopis Clericis peregrinaturis dabantur, atque

que idcirco *Clericæ* dictæ, ut ad communionem, & ad sui ordinis ministerium admitti possent; nam, ut ait Siricius Papa in epistola ad Galliæ Episcopos: *Innocens Clericus sine litteris Episcopi sui, vel formata, in aliena Ecclesia non potest ministrare*. Quod & Zosimus Pontifex ad eosdem Galliæ Episcopos confirmat, dum statuit, neminem a Romana Sede suscipiendum, sive Episcopum, sive Presbyterum, sive Diaconum, nisi Arelatensis Episcopi litteras secum habeat: *Placuit Apostolicæ Sedi*, ait, *ut si quis ex qualibet Galliarum parte sub quolibet Ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel alio Terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit, quibus Sacerdotium suum, vel locum Ecclesiasticum, quem habet, Scriptorum ejus adstipulatione perdoceat. Quod ea gratia statuimus, quia plurimi se Episcopos, Presbyteros, sive Ecclesiasticos simulantes, quia nullum documentum formatum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reverentiam promerentur. Quisquis igitur, prætermissa supradicti formata, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, aut deinceps inferioris gradus sit, ad nos venerit, sciat, se omnino suscipi non posse*; & post pauca: *Hoc autem privilegium formatarum Sancto Patroclo fratri, & Episcopo nostro, meritorum ejus contemplatione concessimus*. In Africa vero Primates, seu Episcopus senior provinciæ, qui Metropolitani vices gerebat, formatas epistolas dabat, ut Concilio Carthaginensi anni 397. statutum est: *Nullus Episcoporum naviget sine formata Primatis*. Ab Episcopis clerici accipiebant, ut altero Carthaginensi concilio anni 407. legitur: *Formatæ, quæ a Primatibus* (tribuuntur Episcopis) *vel a quibuscumque Episcopis propriis clericis dantur, habeant diem Paschæ*; Concilium Antiochenum anni 341. hæc de Epistolis formatis canone 7. & 8. statuit, *Nullum absque formata peregrinorum clericorum suscipi oportet. Neque Presbyter ad regiones longinquas formatas, idest canonicas epistolas dare, & ad finitimos Episcopos, simplices epistolas mittere præsumat. Vicariis vero Episcopi, qui a Græcis Chorepiscopi vocantur, formatas facere liceat*. Ex singulari autem privilegio Patroclo Arelatensi Episcopo concessit Zosimus, ut in omnibus Galliarum Ecclesiis ab ipso tam Episcopi, quam clerici formatas acciperent. Quo etiam spectat Sixti tertii Pontificis epistola ad Proclum Episcopum,

JESU CHR. AN. 128.

Zosimus apud Coutan. epist. 1. pag. 935.

Codex can. Eccl. Afric. can. 56. Concil. tom. 1. Hard.

Apud Coutan. p. 1164.

Jesu Chr. an. 128.

Dodvvell. Differt. inter Cyprian. 2.

De Decretalibus Epistolis Rom. Pontificum.

pum, qua eum monet, ne ullum Sacerdotem ad se ex Illyrico venientem suscipiat, sine Thessalonicensis Episcopi formata Epistola, de quarum litterarum stylo, ac forma plura videri possunt apud Thomassinum, & Dodwellum.

8. Inter Ecclesiasticas epistolas *Commonitoriæ* quoque, seu *Memoriales* recensentur, quæ legatis dabantur, ut, quid ipsis in legatione suscepta agendum esset, tenerent; ipsarumque aliquot inferius proferemus exempla. Rursus quæ a Synodis scribebantur, Synodales dictæ, si ad omnes Christi fideles inscriberentur, *Encyclicæ*, vel etiam *Catholicæ* vocabantur; quæ vero a Pontificibus Romanis, cum quidpiam servandum, vitandumque decernerent, proficiscebantur, *Decretales* ut plurimum appellatæ sunt: *Decretales epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab Urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas* scribit Gelasius. Sed nec omittendæ *Tractoriæ*, cum a Metropolitano vel Primate ad Synodum Episcopi convocabantur, adhibitæ, quarum sæpe Augustinus meminit: cum autem iidem Episcopi ad hæreticos, schismaticos, vel paganos scriberent, privatas tantum mittebant epistolas, absque ullo Ecclesiasticæ communicationis symbolo. Hinc Augustinus datam ab se ad Donatistas commemorat, non quidem *communicatorias, quas jam olim propter suam perversitatem ab Unitate Catholica, quæ toto Orbe diffusa est, non accipiunt; sed privatas, quales nobis uti etiam ad Paganos licet*. Tandem Ecclesiasticis epistolis & illæ annumerantur, quas Christi Confessores in carceribus detenti, & martyrio proximi, ut lapsis indulgentiam poscerent, Episcopis dabant; de quibus Cyprianus, nosque fusius anno 57. num. 5. sermonem habuimus.

Gelas. Conc. Rom. quibus tom. 4. Labb.

Aug. epist. 59. & lib. contra Donat. post collat. cap. 24.

Aug. epist. 43. n. 1.

JESU CHRISTI AN. 129. TELESPHORI PAPÆ 2.
HADRIANI IMP. 13. COSS. P. JUVENTIO CELSO II.,
ET Q. JULIO BALBO.
OLYMP. 227. AN. 1. URBIS AN. 882.

De morte Antinoi, ejusque Apotheosi ab Hadriano facta.

Euseb. chr. pag. 708.

1. Mortuo Herone Antiocheno Episcopo, *Cornelius quarto loco Episcopus constituitur*, inquit Eusebius ad hunc annum; cui etiam mortem alligat Antinoi, juvenis ab Hadriano in deliciis habiti. Antinoi obitus aliam alii causam reddiderunt. Dio ut certum affirmat, quod immolatus fuerit. Putant aliqui,

qui, ut ejus extispicio futura venaretur Hadrianus, superstitionibus ac magicis Sacris addictissimus; quod & ab Heliogabalo factum tradit Lampridius. Alii cum Spartiano voluntariæ Antinoum sese morti obtulisse censent, ut vitam Hadriano prorogaret; recepta siquidem erat apud Gentiles opinio posse alicujus fata produci, si ejus vicem subiret alter, victimæ succidaneæ instar, quod & Victoris testimonio confirmant, qui ait: *Hadriano cupiente fatum producere, cum voluntarium ad vicem Magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum objecisse se referunt*. Ac sane non admodum verisimile videtur Hadrianum delicias suas Antinoum luce privare voluisse, ut volontaria ejusdem oblatione futura cognosceret; quem postmodum tantopere deflevisse, ac divinos ei honores detulisse pluribus narrat Pausanias. Quin Dione, Spartiano, & Eusebio testibus, de ejus nomine condidit in Thebaide Urbem Ἀντινοόπολιν appellatam, ubi Prophetas, Oracula quasi ab eo excepta edituros, quæ Hadrianus ipse composuisse ferebatur, constituit. De nummis Antinoi, quæ etiamnum extant, videri possunt Baronius, Casaubonus, aliique.

Lamprid. in Heliog. c. 8.

Pausan. lib. 8.

2. Tam impiam Antinoi consecrationem, & attributam catamito divinitatem, ejus ævi Scriptores ecclesiastici gentilibus merito exprobrarunt. Justinus in Apologia, quæ posterior dicitur, *non absurdum*, inquit, *videtur Antinoi, qui nuperrime vixit, mentionem hic facere, quem omnes tanquam Deum colere per vim, ac metum instituerunt, cum quis esset, & unde oriundus, probe cognitum haberet*; non illepide Tertullianus: *De Pædagogiis aulicis nescio quem Cinedum Deum facitis*; & Theophilus Antiochenus Episcopus ad Autolicum, *taceo*, inquit, *Templa Antinoi*: Prudentius denique, ut ceteros sileamus, hæc Symmacho consulari exprobrat:

Antinoi dedicationem Gentilibus Christiani exprobrarunt.

Eus. h. lib. 4. 8.

Tertull. Apol.

Inter Justini opera p. 413.

Quid loquar Antinoum cælesti in Sede locatum!
Illum delicias nunc divi Principis: illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili
Hadrianique Dei ganymedem.

Prud. in Symmac. lib. 1. v. 271.

3. Cum autem non solum Christiani, qui in Ægypto erant, sed Judæi quoque & Gentiles novam hanc divinitatem spernerent, ac deriderent; postquam Hadrianus inde discessit, ad Severianum hujus anni Consulem suffectum, qui & Ægy-

Hadriani Imp. ad Severianum epistola.

JESU CHR. AN.129. pti Præfecturam gerebat, epistolam dedit, multa contra Ægyptios, Christianos, Judæos, & Gentiles in ea congerens, quæ summam ipsius Christianarum rerum inscitiam produnt. Hanc Epistolam ex Flegonte recitat Vopiscus in Saturnino, qua postquam dixit Imperator, se comperisse Ægyptum totam levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem: *Illi*, inquit, *qui Serapin colunt, Christiani sunt, & devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Aliptes. Ipse ille Patriarcha, cum in Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum. Unus illis Deus nullus est; hunc Christiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & Gentes*. Hæc Hadrianus, quæ nihil veri, nihil certi habent; cum falsum, absurdumque sit, Christianos Serapidem coluisse, multoque minus Serapidis Sacerdotio fungi. Sed nec Judæus, sive Archisynagogus, sive Patriarcha, aut alius, nisi ejurata Moisis lege, Serapidem adorabat. Unde vel Christianam, ac Judaicam Religionem omnino ignoravit Hadrianus, vel calumniatus eos est. Patriarchæ autem nomine, cujus in Epistola mentio, Judæorum potius, quam Christianorum Præsulem designari, censent eruditi, quod iis temporibus Alexandrinus Episcopus nondum Patriarcha vocaretur. Fieri autem perfacile potuit, ut ab impostore aliquo deceptus ea de Christianis Imperator crediderit, quæ a Basilidianis, Carpocratianis, Gnosticis perpetrabantur; hi enim, ut supra ostendimus, etsi Christiano nomine gloriarentur, fidem tamen oblata occasione abnegabant, ac Deos venerabantur, quorum quamplurimos Alexandriæ tunc temporis fuisse constat.

Bevereg. in can. Apost. lib. 2. §. 16. Cod. Theod. lib. 16. tit. 8. de Judæis.

De Agrippa Castore, & Hegesippo.

4. Hadriani ætate complures eruditione ac pietate insignes viri pro christiana Religione scriptis & factis certarunt. De Quadrato, & Aristide jam supra egimus. His addendi Agrippa Castor, & Hegesippus. De Agrippa hæc ex Eusebio Hieronymus: *Agrippa cognomento Castor, vir valde doctus, adversus* 24. *Basilidis hæretici volumina, quæ in Evangelium confecerat, fortissime disseruit, prodens ejus universa mysteria, & Prophetas enumerans. Barcaban, & Barcob, & ad terrorem audientium alia quædam barbara nomina, & Deum maximum ejus Abraxas*. Hos Castoris libros Eusebius viderat, fortasse & Hieronymus, quos nunc deperditos dolemus. Castori

Euseb. hist. lib. 4. 7. Hier. de Vir. illustr. cap. 21.

Jesu Chr. an. 129.

flori Hegesippum addimus, qui Hadriani etiam ætate floruit; licet ad Aniceti Pontificis, vel etiam Eleutherii tempora pervenerit. Quinque libros Ecclesiasticæ Historiæ scripsit sermone simplici, ut Apostolorum, quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Nonnisi quædam ipsorum modo extant fragmenta, quæ refert Eusebius in variis Hist. Eccl. libris, una cum præcipuis illius vitæ actionibus; ac enim merito commendat, quod ut disciplinæ Ecclesiasticæ peritior evaderet, per varias, celebrioresque Ecclesias peregrinationem susceperit; ipsumque insuper testatur, *Cum Romam proficisceretur plurimos Episcopos adiisse, & ab omnibus unam, eamdemque audiisse doctrinam: Corinthiorum quidem Ecclesiam in recta fide permansisse usque ad Primum, ejusdem loci Episcopum, quocum familiariter collocutus fuerat, dum Romam navigaret; Romam vero cum venisset, mansisse apud Anicetum, cujus tum Diaconus erat Eleutherius. In singulis autem Episcoporum successionibus, & per singulas Urbes eadem mansisse, quæ per Legem, ac Prophetas, & a Domino ipso prædicata fuerant.* Hactenus Eusebius de Hegesippi diligentia in addiscenda ex Ecclesiarum traditionibus fidei veritate: quibus nos quoque docemur, quanti a majoribus transmissa facienda sint. An Hegesippus Romanorum Pontificum catalogum texuerit usque ad Anicetum, Soterem, & Eleutherium, ob variam Eusebii lectionem dissentiunt eruditi, quorum sententias in re dubia longum & superfluum esset exponere. Id unum addimus, libros quinque de Judæorum bello, & Hierosolymitano excidio, quorum numquam Eusebius meminit, nostro Hegesippo non esse tribuendos; eosque nihil aliud continere, quam epitomen male digestam librorum Josephi de bello Judaico, cujus etiam nomen præseferunt; unde per amanuensium errorem factum est, ut ex Josephi, aut Isephi nomine, Igisippi, aut Hegesippi insereretur.

Lib. IV. c. 21.

Euseb. lib. 2. 23. lib. 3. 20. & 32. lib. 4. 8. 11. 22. Vales. in Euseb. lib. 4. Dupin. bibl. tom 1. Pears. dissert. 1. de Success. Rom. Pontif. Basnag. an. 156. Mabil. Itiner. Ital. Dupin. ut supra &c.

5. Verum quo tempore ab his aliisque viris eruditione, & moribus Ecclesia Dei illustrabatur, eodem & alii eam oppugnare, ac infamare aggressi sunt; inter quos Celsus secta Epicureus, qui cum neque sacros veteris aut novi Testamenti libros legisset, nec Judæorum, Christianorumque Religionem satis nosset, plura, mendaci fama per vulgus accepta, adversus utramque congessit. Hinc factum, ut nonnisi absurda, & falsa Judæos contra, & Christianos objiceret, quæ ab Origene

De Celso Epicureo, ejusque scriptis.

JESU CHR. AN. 129. Orig. advers. Celsum lib. 1. ne confutata sunt, ubi de Celso hæc habet : *Enim vero duos quosdam accepimus fuisse Celsi nomen sortitos, alterum & priorem Neronis temporibus, alterum Hadriani, qui & postea fuit, & in Christianam Religionem invectus est*. Is ab Hadriani Imperio usque ad Commodi tempora vitam retinuit, ut indicat Lucianus in Pseudomate ; Celsum enim in initio operis alloquens : *Tu quidem*, inquit, *carissime Celse levem forte quandam, & facilem provinciam tibi mandare videris, cum injungis, ut Alexandri Abonotichitæ impostoris vitam ad te transmittam &c.* Opus autem inscripsit *veri sermo* ; cumque novisset ex Judæis progenitos esse Christianos, hos sibi effingens subsistere non posse, si illos destruxisset, multa in Moysem evomuit mendacia ; Judæum deinde cum Christiano disputantem inducit ; utrisque demum subsannans, eorum Religionem deridendam propinat. Quapropter illum pluribus coarguit Origenes, atque Evangelicæ Fidei imperitum omnino fuisse evincit, ut apud ipsum videre est.

JESU CHRISTI AN. 130. TELESPHORI PAPÆ 3.
HADRIANI IMP. 14. COSS. Q. FABIO CATULINO,
ET M. FLAVIO APRO.
OLYMPIAD. 227. AN. 2. URBIS AN. 883.

Hadrianus templa Veneri, & Fortunæ ædificat. *Euseb. in Chron. Prudent. contra Symm. lib. 1.*

1. Labenti anno *Templum Veneri ab Hadriano Romæ ædificatum fuisse*, narrat Eusebius. De quo Prudentius :

Delubrum Romæ colitur, nam sanguine & ipsa
More Deæ, nomenque loci, ceu numen habetur ;
Atque Urbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura Deabus.

Templi formam abse excogitatam ac delineatam misit Hadrianus Apollodoro Architecto celeberrimo, qui Trajano percharus fuerat, non ut sententiam exquireret, sed ut magnum ædificium absque ejus opera fieri posse ostenderet : quem, cum in multis enormiter peccatum fuisse vere palamque rescripsisset, iræ & doloris impatiens interfici jussit. *Dion. lib. 69.* Aliud quoque *Fortunæ Urbis* Templum Romæ hoc eodem anno ædificasse memorat Ætheneus : *Celebrantur*, inquit, *Parilium dictæ quondam feriæ, nunc Romanas appellant, extructo, dedicatoque For-*

Fortunæ Urbis templo ab optimo, & humanissimo Imperatore Hadriano.

2. Cum ex Ægypto in Palæstinam venisset Hadrianus, Hierosolimam reædificari jussit, instauratamque Æliam Capitolinam posthac vocari voluit. In colle vero, ubi olim Templum extructum fuerat, ædem Jovi sacram erigendam curavit; quod Judæorum animos adeo exacerbavit, ut de bello Romanis inferendo cogitaverint. Pagius quidem chronici Alexandrini auctoritate, anno 119. Hadriani in Palæstinam adventum, novæque urbis instaurationem alligandam censuit; bellum vero a Judæis adversus Romanos susceptum ad annum 132. differt. Sed cum hanc novæ urbis reædificationem, susceptamque Templi constructionem cum Judæorum rebellione conjungant Dio & Spartianus, certum licet annum non designent, haud videtur probabile, tot inter utrumque, quot Pagius vult, effluxisse annos. Neque hac in re admodum facienda Alexandrini Chronici Auctoritas, cum multa a vero habeat aliena, ut E. G. quod Hadrianus, dum Hierosolymis versaretur, Judæorum Templum everterit, quamvis, antea a Vespasiano factum, nemo sit, qui ignoret. Sane ex quo, erecto Jovis Templo, sacra sua profanari viderunt Judæi, eos arma sumpsisse Xiphilinus etiam testatur. *Cum autem*, inquit, *in Urbem Hierosolymam, quæ eversa fuerat, quamque Æliam Capitolinam appellavit, Coloniam deduxisset, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curavisset, magnum bellum, & diuturnum moveri cæpit, Judæis graviter ferentibus, quod exteræ nationes in urbem suam habitatum venissent, quodque in ea fieri externa sacra viderentur*; quo tempore tamen Hadrianus in Ægypto, aut in Syria moratus est, nil adversus Romanos tentarunt. Belli deinde seriem prosequitur, de qua inferius. Præter recensitam rebellandi occasionem, aliam quoque Judæos habuisse Spartianus indicat: *Moverunt ea tempestate & Judæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia*, idest circumcidere pueros; cum enim ex Hadriani legibus prohibita esset eviratio, etiam circumcidendi facultatem eis ademptam fuisse facile credimus.

Hadrianus Hierosolymam instaurat., & Æliam Capitolinam vocari jubet.

Pag. not. 4. ad an. 119.

Dio lib. 69. Spart. in Hadrian.

Murat. an. 130.

Dio lib. 69.

Spart. in Hadrian. cap. 16.

3. Nova autem urbs, quam ex Hierosolymitanis ruderibus excitare Hadrianus instituit, aliud sortita est nomen ac locum, nam Ælia inposterum dicta, nec ejus circuitu Mons Sion, regiis olim ædificiis præclarus, fuit comprehensus. Unde

Ubi Ælia ædificata fuerit.

Not. 6. an. 134.

Jesu Chr. an. 130. de Pagio assentiri non possumus scribenti, non novam exædificare ei in animo fuisse, sed antiquam Urbem restituere; nam ut a Valesio, & Basnagio adnotatum est, si veterem rursus erigere voluisset, id & eodem loco fecisset, idemque indidisset nomen. At neutrum horum factum est; Æliam siquidem non Hierosolymam novam Urbem appellatam summo veteres consensu tradunt. *Hierosolyma, quæ nunc dicitur Ælia Capitolina*, ait Ptolomeus. Eusebius vero: *Urbs, & Colonia Civium Romanorum effecta, in honorem Ælii Hadriani Imperatoris, Ælia nuncupata est*. Hieronymus etiam, quem in suas partes Pagius advocat, idem confirmat: *Ipsa Metropolis tua prius Jebus, postea Salem, tertio Hierosolyma, & nunc Ælia*; ultimum ergo nomen fuit Ælia, non Hierosolyma. Sed & loco distinctam eam fuisse, testatur Eusebius his verbis: *Mons Sion, qui apud Judæos antea celeberrimus erat &c.* ob magnificentissimum Templum olim extructum, cultumque Dei, ac Prophetarum oracula, Sacerdotum, Levitarumque ministeria, *per viros Romanos in nulla re a reliqua regione differens aratur, & colitur, ut nos quoque ipsi inspexerimus, boum opera locum arari, & seminari. Ipsa vero Hierusalem, tanquam pomorum custodia, corrupto vetere, qui in ipsa erat, fructu, effecta est, ac potius lapidum collectio*. Quin residuorum locorum demolitione, eo tunc, ut novæ Urbi locus fieret, peracta, impleta fuisse Prophetarum vaticinia super Hierusalem, adnotavit Cyrillus Hierosolymitanus: *Etiam nunc*, inquit, *Cucumerariis locus ille repletus est. In monte Moria, ubi templum olim fuerat, alterum Jovi Capitolino ædificatum est, & Calvariæ Mons, qui extra Hierosolymæ mœnia erat, Æliæ muris inclusus fuit*.

Valesf. in Euseb. lib. 4. c. 6. Basnag. an. 132. Ptolom. lib. 5. Eusebius lib. 4. 6. Euseb. demonstr. Evang. lib. 8. cap. 3.

Loca Sancta Hierosolymis a Gentilibus violata.

4. De erectis vero statuis in loco Passionis, & Resurrectionis Jesu Christi hæc habet Hieronymus: *Ab Hadriani temporibus usque ad Imperium Constantini per annos circiter* 180., *in loco Resurrectionis simulacrum Jovis; in Crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur*. Altaris etiam, super quod Sacrificia Veneri offerebantur, meminit Eusebius: *Supra illud solum, sub quo Sepulchrum Domini occultabatur, infaustum prorsus animarum sepulchrum extruxerunt, obscuram mortuorum simulacrorum cavernam in honorem Veneris ædificantes, ubi execranda sacrificia super profanis, & impuris altaribus offerebant*. Sed & Paulinus ad Severum in loco Passionis simu-

Hier. epist. 58. ad Paulinum. Euseb. vita Const. lib. 3. cap. 26. Paulin. epist. 31.

simulacrum Jovis consecratum tradit; & Bethlem Adonis fano profanatam deplorans, *me miserum*, ait, *etiam ista pro me Dominus omnipotens perpeti non recusavit; ut ubi pro salute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum sacrilegio sperneretur!* & post aliqua de iis, quæ Bethlem fiebant, addidit: *Ubi agnoverat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ibi Principes hominum inficiati Salvatorem Deum, infames hominum amores, mortesque coluerunt; prodita novo sidere Regis æterni ubi cunabula supplices cum suis opibus adoravere Chaldæi, ibi barbaras libidines sacraverunt Romani; ubi natum Salvatorem cum exercitu Angelorum concinentes cælesti gaudio salutaverunt illustrata nocte pastores, ibi Veneris amasium mixtæ semiviris planxere meretrices. Proh dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem compensare poterit? Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagiebat, illic Veneris lamenta fingentium lascivis luctibus infamis ritus ululabat; & ubi Virgo peperit, adulteri colebantur. Mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora nostris proxima Constantini.* Hæc Paulinus, qui ab Eusebio, & Hieronymo in eo solum differt, quod Adonis, sive Veneris fanum in Bethlehem ædificatum tradit, cum primi in Calvariæ monte, ubi passus Dominus fuerat ac resurrexerat, Jovis Venerisque delubra fuisse testentur.

An Templa Jovi, & Veneri ab Hadriano Æliæ extructa fuerint.

Orsi H. Ecl. lib. 3. n. 31. *Eufeb. lib. 6. 11.* *Origen. lib. 1. n. 51.*

5. Hæc autem, quæ ab Eusebio, Hieronymo, Paulino, Severo, Ruffino, Socrate, aliisque litteris prodita sunt, de excitatis ab Hadriano Jovi & Veneri Templis in loco, ubi Salvator noster passus fuerat, & resurrexerat, in dubium ab eruditissimo viro, ac de Ecclesiastica Historia optime merito revocantur. Qui fieri enim potest, inquit, ut Hadriani tempore, idest secundo ineunte sæculo, ea loca a Gentilibus violata fuerint; cum sciamus eadem tertii sæculi initio, eoque etiam medio, Christianis ita venerationi fuisse, ut, Origene & Eusebio testibus, religionis causa illuc peregrinarentur. Et sane Origenes contra Celsum scribens, speluncam Betlehemiticam ætate sua a Fidelibus frequentatam, ac veneratione ab omnibus fuisse habitam testatur. Qua ratione conciliari hæc possint cum iis, quæ hactenus dicta sunt de erectis ibidem sub Hadriano Jovi Venerique templis, eruditissimo historico relinquimus; nobis historiam scribentibus, non conjecturas sectantibus, sat est, hæc a quamplurimis, probatisque scriptoribus tradita fuisse. Quin tamen ea probemus, quæ in suæ opi-

JESU CHR. AN. 130. opinionis confirmationem adnotat, in primis illud obstat; quod si ob cultum iis locis a Christianis ad medietatem usque tertii sæculi præstitum fieri nequit, ut ea execrandis Idolis illuc suffectis fuerint violata, neque postmodum id factum dicendum esset; nam innumeris quoque testibus probari potest, eadem loca non secus, ac antea, Fideles postea pari studio, ac religione prosecutos fuisse, atque frequentasse. His etiam adde, quod si eo intermedio tempore (idest ab ineunte sæculo tertio ad Eusebii ætatem) fuissent Idolorum statuis, delubrisque deturpata, Eusebium tantæ impietatis auctores certe non latuissent. Is tamen, ab impiis quondam hominibus, seu potius ab universo dæmonum genere, impiorum hominum opera, ea Idola ibidem erecta fuisse, tradit; eaque longe ante ætatem suam contigisse indicat, ac se hujuscemodi abominationis auctores fatetur penitus ignorasse. Quod vero etiam ex quo Jovis Venerisque simulacris violata fuerunt, a Christianis ob redemptionis nostræ memoriam frequentata & venerata fuerint, hanc verissimam affert rationem Baronius, quod scilicet insita antiquitus eorum in ea loca religio Hadriani Gentiliumque conatibus obstitit, atque in causa fuit, quin ipsorum aut devotio, aut peregrinationes cessarent, quæ post Constantini ætatem frequentiores etiam fuerunt, ut ex sequentium temporum historia constabit.

Euseb. lib. 3. vita Const. cap. 26.

Bar. an. 137. n. 7.

JESU CHRISTI AN. 131. TELESPHORI PA[P]. 4.
HADRIANI IMP. 15. COSS. SEV. OCTAVIO LENATE PONTIANO, ET M. ANTONIO RUFFINO.
OLYMP. 227. AN. 3. URBIS AN. 884.

Perpetuum edictum Hadrianus vulgat.

Euseb. in Chron. pag. 709.

1. Hoc anno teste Eusebio, Hadriani jussu, *Salvius Julianus perpetuum edictum composuit*. Principem hic inter ejus ætatis Jureconsultos locum obtinebat; cumque præcedentium Prætorum Edicta ob multitudinem & varietatem in magna essent confusione, neque in judiciis ullo possent esse usui, cum Salvio egit Hadrianus, ut ejusmodi edicta colligeret, conciliaret, disponeret, quibus Prætores in finiendis litibus in posterum uterentur: cui Operi Edicti perpetui nomen impositum.

De Aquila ejusque sacræ Scripturæ versione.

2. His temporibus floruit Aquila Judæus, Sinope in Ponto oriundus, qui post Christum natum vetus Testamentum primus

mus græce vertit; eum Hadriani familiarem tradit Epiphanius, Æliæque ædificandæ ab eodem fuisse præfectum; de cujus christianismo, & apostasia hæc habet: *Cum Hadrianus urbem, non vero templum extruere animo versaret, adeptus Aquilam, hunc prædictum interpretem, qui Græcus erat Sinopi Ponti oriundus, extruendæ urbis Præfectum constituit: Itaque cum Aquila degeret in Hierusalem, & videret discipulos discipulorum ipsorum Apostolorum florentes fide, & magna signa operantes, sanationum, & miraculorum mente compunctus Christianismo credidit*. Progressu vero temporis, cum pristinam vivendi consuetudinem post baptismum non immutasset, & vanæ astrologiæ vacaret, redargutus sæpe a doctoribus ac increpatus, contentiose tamen ageret, ab Ecclesia tandem expulsus est. Quare iræ, ignominiæque impatiens, Christianismo abnegato, Judæorum proselytus fit, & circumciditur, ac improbo labore suscepto, ad Hebræorum linguam discendam sese convertit. *Ubi vero hanc summe didicisset, interpretatus est non recta ratione usus, sed quo aliqua ex receptis libris perverteret, irruens in septuaginta duorum interpretationem, ut testimonia de Christo in Scripturis probata aliter ederet &c.* Hæc de Aquila Epiphanius, quæ apud recentiores Criticos non eandem fidem inveniunt, ut videri potest apud Montfauconium, Clericum, Dupinium, aliosque. Duas Aquilam dedisse Vet. Testamenti interpretationes certum est, licet ad nos usque non pervenerint.

JESU CHR. AN. 131.

Euseb. lib. 5. 8.

Epiph. de pond. & mensur. tom. 2. edit. Petav.

Aquila fidem amplectitur, quam postea deserit.

Montfauc. prælim. in Orig. Exapl. c. 5. Cler. Hist. Eccl. an. 139. Dupin. Dissertation. sur la Bible Tom. 2.

JESU CHRITSI AN. 132. TELESPHORI PAPÆ 5.
HADRIANI IMP. 16. COSS. SENTIO AUGURINO,
ET SEVERIANO, AUT SERGIANO
OLIMPIAD. 227. AN. 4. URBIS AN. 885.

1. Licet superiori anno Hebræi tumultuari cæpissent, atque ad belli curas animum transtulissent; nihil tamen, Hadriani præsentiam reveriti, eo tunc tentandum duxerunt. Clancularia interim arma pararunt, ac ea in usum Romanorum militum fabricare jussi, de industria minus apta fecerunt, ut si hæc Romani reprobassent, iis ipsi uterentur. Vix tandem Imperator hoc anno, Oriente relicto, in Italiam redierat, palam defecerunt, non aperte quidem Romanis vim inferentes, sed opportuna Judææ loca occupantes subterraneis eadem cryptis & muris munierunt, ut ad ea, quo-

Judæi in Romanos rebellant.

Dion. in Epitom. Xiphilini

 ties

JESU CHR. AN.132. ties vis foret illata, perfugium haberent, atque ad se invicem per occultas illas vias, desuper ad aerem lumenque recipiendum perforatas, insciis hostibus commearent. Cum ergo, inquit Eusebius *defectio Judaeorum magis ac magis cresceret, Rufus legatus Judaeae auxiliis sibi ab Imperatore submissis, amentiam ac desperationem hominum in occasionem saeviendi vertens, eos acerbissime ultus est, caesa innumerabili hominum multitudine cum conjugibus, & liberis, agroque illorum jure belli in Populi Romani ditionem redacto*. Dux belli ex parte Judaeorum impostor quidam erat, qui se Barcocab dicebat, hoc est *filium stellae*, ac de se ipso illud Numeror. XXIV. 17. interpretabatur: *Orietur Stella ex Jacob, & consurget virga de Israel &c.* Utque facilius incautos deciperet, arte quadam flammam inter verba fundebat, ut narrat Hieronymus; eique tantam Judaei adhibuerunt fidem, ut cum vidisset eum Rabbi Akiba, dixit: Ipse est rex Messias. *Vir tamen erat*, ut habet Eusebius, *cruentus, & latrocinandi avidus, sed qui nomine suo auditoribus utpote vilissimis mancipiis fucum faciebat, quasi sidus e Caelo delapsum esset, ut ipsis aerumnarum male oppressis lucem afferret*. S. Justinus, ejusdem temporis non solum Scriptor, sed & oculatus testis, prodit nefarium hunc hominem multum perniciei Christianis intulisse, eorumque plurimos exquisitis necasse suppliciis, quod abnegare Christum, aut adversus Romanos arma sumere recusassent. Ingravescente autem bello, Julium Severum e Britannia evocatum illuc Hadrianus misit, qui magnis cladibus Judaeos affecit, ut suo loco inferius dicemus ad annum illius decimum octavum.

Eusebh. lib. 4. 6.

De Barcocaba Judaeorum duce.

Apol. III. adverf. Rufinum n. 31.

Eufeb. lib. 4. 5.

De Justini martyris Patria & genere

Praef. Op. Just. p. 65. 66. &c. Epiph. haer. 46. n. 1.

2. Sub ejus Imperio Justinum philosophorum celeberrimum Christi fidem suscepisse, tradit Zonaras, idemque indicat Eusebius. Quo autem anno id contigerit, in obscuro est. De Justini patria, & origine haec habet Epiphanius: *Justinus e genere Samaritanus, cum in Christum credidisset, multa virtutum exercitatione perpolitus, vitaque ad omnem honestatem instituta, tandem pro Christo martyrio perfunctus, perfectissimam coronam adeptus est Romae sub Rustico Praefecto, Hadriano imperante, in ipso flore juventutis, anno videlicet aetatis trigesimo*. A vero tamen longe abiit Epiphanius, dum Justinum, Hadriano imperante, martyrio coronatum fuisse tradidit, quem Antonino illius successori apologias binas obtulisse sci-

ſcimus; turpius adhuc erravit addens, trigeſimo ætatis ſuæ anno eum obiiſſe, cum nonniſi triginta annos natus Chriſto nomen dederit, poſtquam in philoſophiæ ſtudium plurimum temporis inſumpſiſſet, ut ipſe teſtatur. Epiphanium quidem vindicare conati ſunt Papebrochius, & Petavius, atque ea verba *ſub Ruſtico Præfecto, Hadriano imperante*, ad ejus converſionem aptanda eſſe magis, quam ad martyrium cenſent; quo exitu alii viderint. Mirum tamen non eſt, inquit cum Tillemontio maurinus S. Juſtini editor, in his peccaſſe Epiphanium, quem ſæpe in Chronologicis lapſum aliunde conſtat. Quod autem addit Juſtinum *genere Samaritanum fuiſſe*, de patria accipiendum eſt, non autem de religione; ſiquidem Ethnicum ſe fuiſſe, *Priſci filium, profitetur, Bacchii nepotem, oriundum Flavia Neapoli urbe Syriæ Palæſtinæ*, olim Sichem dicta, ac totius Samariæ Metropoli, Joſepho teſte.

Boll. die 13. April. Petavius in Epiph. Præf. in Juſtin. p. 59. Tillem. in Juſtin. not. 1.

3. Adoleſcentiam ſuam litterarum ſtudiis tranſegerat Juſtinus; deinde, cum veritatis inquirendæ deſiderio flagraret, Philoſophiæ totus ſe dicaverat, ac primum Stoicorum uni ſe tradidit colendum: ſatis cum eo verſatus, cum nihilo plura de Deo intelligeret, quem neque Stoicus ſciebat, neque ea ſcire neceſſarium putabat, ab eodem diſceſſit, atque ad Peripateticum ſe contulit; hunc etiam indignatus Juſtinus, quod mercedem flagitaſſet, cito deſeruit, atque ad Pythagoricum magni nominis converſus, eum quoque cito reliquit, quod Muſicæ, Aſtronomiæ, ac Geometriæ ignarus eſſet. Viſum ergo Juſtino Platonicum quemdam petere; qui non ita pridem Neapolim Flaviam venerat. Hujus opera multum in Philoſophiæ Platonicæ cognitione profecit, qua ſummopere delectabatur, eumque adeo ſpiritualium rerum intelligentia, ac idearum contemplatio efferebant, ut ſe Deum quoque videre poſſe ſperaret. Cum vero ſic adfectus eſſet, ut intentius meditationi animum intenderet; *profectus ſum*, inquit, *in agrum quemdam non remotum a mari. Cumque propinquarem huic loco, ad quem cum veniſſem, mecum eram futurus; ſenior quidam, non ſane aſpectu contemnendus, gravitatem, & comitatem præſeferens, modico me intervallo aſſectabatur*. Cum hoc Juſtinus colloquutus, ab eo didicit Prophetas actos a Spiritu S. & futura ceciniſſe, atque miracula patraſſe, & ea ipſorum extare ſcripta, quibus vera ſapientia continetur. *Tu vero*, ita bonus ille ſenex Juſtinum hortatus eſt, *ante omnia precare lucis portas tibi aperiri; neque enim*

Juſtini ad fidem converſio. Joſeph. antiq. lib. 11. cap. 8.

Dial. cum Tryph. p. 107.

JESU CHR. AN. 132. *hæc quisquam perspicere, & intelligere possit, nisi cui Deus intelligere dederit, & Christus ejus.* His dictis, abiit, illumque ultra Justinus non vidit. Confestim vero vehemens ipsum amor incessit Scripturas legendi, ex quibus tandem veram hausit philosophiam, Christianæ videlicet Religionis cognitionem. Sed & magno sibi ad fidem amplectendam stimulo fuisse fatetur miram Christianorum in perferendis cruciatibus constantiam. *Nam & ipse ego*, inquit in secunda Apologia cap. 12., *cum Platonis doctrina delectarer, ac de criminibus in Christianos conjectis audirem, eos autem ad mortem, & ad ea omnia, quæ terribilia existimantur, impavidos viderem, fieri non posse intelligebam, ut in nequitia, & voluptatum amore viverent. Quis enim libidinosus, & intemperans, & humanæ carnis epulas in bonis numerans, mortem amplecti possit, ut bonis suis careat, ac non potius semper in hac vita versari, & magistratus latere conetur, nedum se ipse morte damnandum deferat.* Christiana fide suscepta, omnem adhibuit operam, ut sacrarum Scripturarum attenta meditatione veram addisceret religionem, in qua egregie admodum profecisse, aurea, quæ reliquit, scripta testantur. Quis autem fuerit ille Senex, a quo fidei lumen primum accepit, certo dici non potest; a vero tamen non abhorret, aut Angelum sub ea forma, aut Christianum aliquem virum, Deo inspirante, ad illius salutem illuc accurrisse, ut Haloixius, & Tillemontius suspicantur; nec mirum videri debet, eum miraculo ad fidem pertractum fuisse, cum his temporibus, & aliis plurimis id non raro contigerit. At de Justino nunc satis, cetera inferius.

Tillem. in Justin. tom. 2. pag. 351.

JESU CHRISTI AN. 133. TELESPHORI PAPÆ 6. HADRIANI IMP. 17. COSS. ANTONIO HIBERO, ET MUMMIO SISENATE. OLYMPIAD. 228. AN. 1. URBIS AN. 886.

Julius Severus Judæos debellit. Dio lib. 69.

1. Judæorum rebellionis initia non magni fecerant Romani. Sed postquam eos ubique tumultuari, atque ad arma concurrere intellexerunt, ac plures alias gentes cupiditate lucri sese iis adjungere, ita ut totum ferme Imperium commoveretur; tum demum Hadrianus selectissimos quosque duces adversus eos misit, quorum primus Julius Severus e Brittannia, cui præerat, accitus. *Hic* tamen, inquit Dio, *minime*

me ausus est prælium committere ; nam & multitudine longe impar erat ad decertandum , & hi de salute desperaverant . Igitur divisos adortus carptim , ut quosque poterat , comprehendens pro multitudine militum atque Tribunorum , tum ab alimentis , & commeatu interclusos , tardius quidem , sed minore cum periculo penitus oppressit ; quod anno sequenti , Hadriani 18. ut indicat Eusebius , factum est .

JESU CHR. AN. 133.

Euseb.lib.4.6.

2. Hoc etiam anno mortuo Justo Alexandrino Episcopo , Eumenes , seu Eumenius in ejus locum eligitur , qui eam Sedem per annos tresdecim tenuit .

Justus Alexandrinus Episcopus obiit , cui Eumenes succedit . *Eusеb. lib. 4. cap. 5. & 11.*

JESU CHRISTI AN. 134. TELESPHORI PAPÆ 7.
HADRIANI IMP. 18. COSS. JULIO SERVIANO III.
ET C. VIBIO VARO .
OLYMP. 228. AN. 2. URBIS AN. 887.

1. Finem hic annus Judaico bello attulit . Rebelles enim Julius Severus ita contudit , ut pauci admodum evaserint . Quinquaginta eorum Arces munitissimæ solo æquatæ sunt ; nongenti & octoginta quinque Vici celeberrimi ferro & igne vastati ; cæsa virorum quingenta & octoginta millia . Eorum vero , qui fame , morbo , & igne perierunt , numerus iniri non potuit , ac Judæa in solitudinem ferme redacta . *Non fuit* tamen , prosequitur Dio , *incruenta victoria Romanis , siquidem multi eorum occubuere . Quapropter Hadrianus ad Senatum scribens , eo minime usus est principio . Si vos , & filii vestri valent , bene est : Ego , & exercitus valemus* . Eadem fere tradit Eusebius , qui & addit : *ex eo tempore universa Judæorum gens in regionem circum Hierosolymam sitam pedem inferre prohibita est lege , & constitutione Hadriani , adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis liceret , ut scribit Aristo Pelleus* . Quin capitali pœna vetitum id Judæis fuisse scribit S. Justinus : *Cavere autem vos* , ait , *ne quis Judæus in ea sit , ac mortem ingredienti Judæo , si deprehendatur , constitutam esse , præclare nostis* . S. Hieronymus tamen emptam postea ab eis facultatem quotannis Jerosolimam ingrediendi tradit , ut una die excidium ejus lugerent . Sic igitur , ut cum Eusebio narrationem absolvamus , *Jerosolima veteribus suis incolis prorsus exausta , confluentibus eo alienigenis , urbs & Colonia Romanorum facta est , ac Ælia in honorem Imperatoris* nun-

Judæi a Romanis victi.

Lib. 69.

Judæi e Hierosolymorum finibus prohibiti . *Euseb. lib. 4. 6.*

Apologia prima num. 47.

Hieronym. in Sophoni c. 2. lib. IV. c. 6.

JESU CHR. AN. 134. *Euseb. loc. cit.* Marcus Æliæ seu Hierosolymæ Episcopus creatur.

nuncupata. Hactenus qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerant Episcopi, ex Judæis fuerant, sed *Cum*, inquit Eusebius, *Ecclesia ejus loci ex Gentibus coaluisset, primus post Episcopos ex circumcisione, ministerium illius civitatis suscepit Marcus*.

JESU CHRISTI AN. 135. TELESPHORI PAPÆ 8.
HADRIANI IMPERATORIS 19.
COSS. PONTIANO, ET ATILIANO.
OLYMPIAD. 228. AN. 3. URBIS AN. 888.

De Hadriani adventu Romam, & gestis. *Pag. not. 3. an. 136.* *Basnag. an. 135.* *Spartian. in Hadr. cap. 17.*

1. Confecto bello Judaico, & aliquot Imperii provinciis peragratis, Romam iterum hoc anno reversus est Hadrianus: Ac si vera narrat Pagius, quintus hic fuit illius Romam reditus; ubi certe labente Majo adfuit, ut inscriptiones duæ Farnesianæ indicant. Eodem tempore Pharasmanes Iberorum Rex cum uxore, & filiis Romam advenit, ut narrat Spartianus, quem muneribus, & honoribus cumulavit Hadrianus. Nam in Capitolio sacrificare eidem permisit, ejusque equestrem statuam in Templo Bellonæ collocari. Cumque inter spectacula populus a Cæsare magnis clamoribus petiisset, ut peritissimum Aurigam emanciparet, negavit se id facturum, inquiens, *non decere, Populum Romanum ab se petere, ut alienum servum libertate donaret, aut Dominum ad id faciendum compelleret*; multaque alia de ejusdem dictis aut gestis, non fine laude, a Dione & Spartiano commemorantur, ibidem videnda.

JESU CHRISTI AN. 136. TELESPHORI PAPÆ 9.
HADRIANI IMP. 20. COSS. L. CEJONIO COMMODO,
ET SEX. VETULENO POMPEJANO.
OLYMP. 228. AN. 4. URBIS AN. 889.

Hadrianus Lucium Commodum sibi adoptat, & Cæsarem, ac Successorem declarat. *Dio lib. 69.* *Spartian. in Ælio c. 3.*

1. Cum liberis careret Hadrianus, ejusque valetudo indies deperiret, atque etiam sanguinis profluvio periculose ægrotaret; de Imperii Successore eligendo cogitare cœpit, & Lucium Cejonum Commodum adoptavit, ac Ælii Veri nomine imposito, Cæsarem dixit, ac Imperii hæredem destinavit: *Adoptatus Ælius Verus ab Hadriano*, inquit Spartianus. *Statimque Prætor factus, & Panonius Dux, ac Rector impositus, mox Consul creatus* (hoc anno); *& quia erat deputatus Imperio*,

perio, *iterum Consul designatus est*: quem alterum Consulatum anno sequenti gessit. At si hoc anno Consulem Ordinarium egit Cejonus Commodus, atque adoptionem Consulatus excepit, superiore saltem anno eum adoptatum fuisse sequeretur; cum tamen ante hunc annum nec Cæsaris titulo exornatus, nec Æliæ Familiæ nomine insignitus fuerit, ut inscriptiones plurimæ testantur, hinc ante labentem annum hæc obtinuisse, non est credibile; nec desunt, qui hallucinatum Spartianum existiment, vel gestarum rerum ordinem nequaquam servasse. Minus adhuc assentiri Pagio possumus, ab anno usque Christi 130. Commodi adoptionem contigisse dicenti, quod ex eo tempore ad Servianum scribens Hadrianus Verum filium suum appellet: *denique ut primum inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt*, Alexandrini scilicet. At vox filii non semper adoptionis argumentum est, sed etiam tenerrimæ interdum dilectionis; ut ea Cæsaris ad Brutum: *Tune etiam fili?*

JESU CHR. AN. 136.

Pag. ad an. 136.

2. Cejoni Commodi adoptio nonnullam apud cordatos viros Hadriani æstimationi labem inussit, cum corporis magis venustate, & elegantia, quam animi dotibus præstaret. Quin turpem adeo illi fuisse vitam tradit Spartianus, ut conquerenti de extraneis voluptatibus uxori respondisse fertur: *Patere me per alias exercere cupiditates meas. Uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Cum autem & ipse infirmæ esset valetudinis, jocando sæpius replicabat Hadrianus: *in caducum parietem nos inclinavimus, & perdidimus quater millies sextertium, quos populo, & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Et iterum: *Ego mihi divum adoptavi, non filium*; quod & exitus confirmavit, nam ante Hadrianum diem suum obivit. Post adoptionem tamen *remissior rus proprium Tibur secessit* Hadrianus, ubi sumptuosissimam ædificaverat Villam, cujus vestigia & nunc extant, *permissa Urbe Lucio Ælio Cæsari.*

Cejoni Commodi mores.

Spart. in Ælium cap. 13. 4. 5.

Victor. de Cæs. in Hadrian.

JESU CHRISTI AN. 137. TELESPHORI PAPÆ 10.
HADRIANI IMP. 21. COSS. L. ÆLIO CÆSARE II.,
ET P. LELIO BALBINO VIBULIO.
OLYMPIAD. 229. AN. 1. URBIS AN. 890.

1. De Ecclesiasticis gestis, æque ac de sæcularibus nil memoriæ dignum hic annus suppeditat, quo Hadrianus valetudi-

Hadrianus Tiburi moratur.

Jesu Chr. an. 137. tudinis causa Tiburtinam villam incolens, novis eam ædificiis auxit, exornavitque; Romæ vero res publicas administrabat Ælius Cæsar, ut narrat Spartianus.

Spart. in Hadrian. cap. 16.

JESU CHRISTI AN. 138. TELESPHORI PAPÆ 8.
ANTONINI PII IMP. 1.
COSS. CAMERINO, ET MAGNO.
OLYMP. 229. AN. 2. URBIS AN. 891.

Ælii Veri obitus.

1. Kalendis Januarii hujus anni Ælius Verus ab Hadriano adoptatus, ac Imperii hæres dictus, mortem occubuit, qua die elaboratissima oratione gratias Hadriano agere designaverat: *Cum de Provincia*, ait Spartianus, *Ælius rediisset, atque orationem pulcherrimam, quæ hodie legitur, sive per se, sive per Scriniorum, aut dicendi magistros parasset, qua Kal. Januarii Hadriano Patri gratias ageret, Kalendis ipsis Januarii periit*. Nonnulli, quibus inverosimile visum est tandiu Ælium hoc officium distulisse, Kal. Januarii anni elapsi eum obiisse tradunt. Multæ tamen causæ intercedere poterant, cur hæc solemnis gratiarum actio usque adeo prorogaretur; inprimis infirma Hadriani, aut ipsius Ælii, vel utriusque valetudo, alterutrius etiam ab Urbe absentia; non enim nisi præsente Imperatore, ac frequentissimo Senatu id præstari decebat: cumque post Ælii adoptionem in Tiburtinum agrum transiisset Imperator; quo vero tempore in Urbem rediit, in Pannonia Ælius versabatur, cui Provinciæ Proconsul datus fuerat; quid mirum si ad Kalendas usque Januarias hujus anni solvere Patri suo grati animi debitum Verus expectaverit? Sed & anno superiore Ælius Consulatum gessit, cujus nomen fasti retinent; cui sane locus non fuisset si Kal. Jan. ejus anni jam Vita excessisset, ut interim missas Inscriptiones faciamus ab eruditissimis Chronologis editas, quæ labentem annum Ælii ultimum fuisse plane demonstrant.

Spart. in Ælium cap. 4.

Pag. an. 37. num. 1. 2. 3. Tillem. Murat. Bisag. an. 138.

Hadrianus Antoninum adoptat.

2. Mortuo Ælio Vero, *Hadrianus diu anceps*, ait Spartianus, *Antoninum adoptavit, Pium cognomine appellatum, cui conditionem addidit, ut ipse sibi Marcum, & Verum Antoninos adoptaret, filiamque suam Vero, non Marco daret*. Rei gestæ diem posteritati tradidit Capitolinus: *Adoptatus est quinto Kal. Martias die, factusque est Patri, & in Imperio Proconsulari, & in Tribunitia potestate collega*; ideoque non tan-

Spartian. in Hadrian. Capitol. in Anton. cap. 4.

tantum Cæsar, sed & Imperii collega renunciatus. JESU CHR. AN. 138.

3. Annum quinquagesimum secundum, cum adoptatus fuit, Antoninus expleverat. Unde in oratione, quam hac occasione in Senatu Hadrianus habuit, inter ceteras ejus dotes & ætatem commendavit. *Alterum*, inquit, *pro Vero vobis inveni, eumque vobis do, nobilem, mitem, mansuetum, prudentem, qui nihil temere propter juventutem, nil propter senectutem negligenter potest facere. Qui vixit ex præscripto legum; Magistratus ex instituto majorum gessit*. Ac sane de novo Principe hæc vere fuisse prædicata fatendum est; tot enim in eo egregiæ inerant dotes, tanta virtute, prudentia, ac bonitate gessit Imperium, ut cum Cyro, Numa, maximisque Regibus comparatus sit, ac omnium consensu *Pii* cognomen invenerit. Nec tacendum illud ejus effatum a Scipione desumptum, ac tantopere celebratum: *Malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere*. Coronarium vero aurum, quod adoptionis suæ causa oblatum fuerat, Italicis totum, provincialibus dimidium remisit; multaque alia præclare gessit, ab historicis memoriæ prodita, quæ brevitatis studio præterimus.

De Antonini ætate, & moribus. *Dio lib. 69.*

Capitol. in Anton. cap. 2. 3. 4. 6. Dio lib. 70. Vict. Epitom.

4. Interea Hadrianus hydropisi laborans ad exitum cum properaret: *Magicis artibus, & incantamentis quibusdam aquam omnem intercutem eduxit, qua tamen rursus, & celeriter repletus fuit*, ait Dio. Tum Servianum Sororis suæ virum nonagenarium, quasi affectatorem Imperii, unacum Fusco ejus nepote, mori coegit. Qui antequam jugularetur, incenso thure, *vos*, inquit, *Dii immortales, quos habeo innocentiæ meæ testes, hoc unum rogo, ut cum Hadrianus mortem obire cupierit, non possit*. Serviani imprecatio effectum sortita est; nam quod reliquum vixit tempus, nihil adeo lamentatus est Hadrianus, quam omnes mortis vias sibi esse præclusas.

Hadriani crudelitas in Servianum, aliosque. *Dio lib. 69. Spart. in Hadrian. cap. 25. 26.*

5. Ante Hadrianum Sabina ejus uxor non sine propinati veneni suspicione obiit. Rem sic narrat Victoris Epitome: *Sabina, dum prope servilibus injuriis accipitur, ad mortem voluntariam compulsa est. Quæ palam jactabat, quam immane ingenium pertulisset, & elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur*. Imperator interea desperata salute, ac vitæ tædio affectus, venenum frequenter, aut gladium postulabat; frustra tamen, nullus enim porrigebat. Qua de causa hominem quemdam barbarum accersivit Mastorem nomine, genere Jazygem, quo propter robur in venationi-

Sabinæ obitus.

Dio lib. 69.

Jesu Chr. an. 138.

bus usus quam sæpissime fuerat, ad se accersitum, partim minis, partim pollicitationibus, ad mortem sibi inferendam sollicitavit, ostenso ei sub mammilla loco, quo percusso, statim expiraret. Ut vero timore rei perterritus Mastor aufugit, tum flere cœpit, ac conqueri, non tam morbi causa, quam quod non posset mortem sibi consciscere, quam adhuc aliis afferre posset. Omni siquidem violento mortis genere illum nedum prohibebat Antoninus; quinimo, multis excogitatis, in spem recuperandæ salutis inducere satagebat. *Parricidam enim se futurum*, ajebat, *si Hadrianum adoptatus ipse pateretur occidi*. Mulier ergo quædam ad Hadrianum inmissa est, quæ diceret, somnio se monitam, ut ei insinuaret, ne se occideret, quod esset bene valiturus, eamque id minimum curantem cæcatam esse; jussam tamen iterum Imperatori eadem nuntiare, atque genua ejus osculari, ut visum recipere posset; quibus tandem peractis, ablutisque oculis aqua, quæ in fano erat, & ex quo venerat, se promissum obtinuisse. Eamdem fere lusit fabulam alter quidam de Pannonia veniens, qui se cœcum dicens, ut ad Hadrianum pervenit, visum quoque se recepisse simulavit. Et quidem hæc omnia per fraudem, ac fictionem peracta, ut Hadrianus bono foret animo, quasi brevi convaliturus, ipsi, qui narrant, ethnici sensere; quandoquidem, ut ait Spartianus, *Marius Maximus* celebris Historiæ Augustæ Scriptor, qui amplius non extat, *hæc per simulationem facta commemorat*.

Spart. Hadr. c. 25.

Hadrianus Bajas obiit.

6. Bajas tandem petiit Hadrianus, ubi contempta, quæ a Medicis præscripta fuerat, diæta obiit, postquam decantatum illud protulisset: *multi Medici Regem occiderunt*. Antoninum illuc advocasse, atque eo præsente decessisse sexto Idus Juliarum, a nonnullis traditur. Alii tamen, & verius fortasse, post Hadriani obitum illuc Antoninum properasse scribunt, ut inde Romam ejus ossa magnifico funere delata, in Hadrianea Mole collocarentur. De illius Sepulchro, cujus non solum vestigia supersunt, sed & ingens, tamquam corporis ossa, ædificium, hæc Procopius adnotat: *Pario ex lapide ædificatum est, saxa quadrata illi invicem nexa. Altitudo muros Urbis æquabat. Statuæ quoque ex eodem Pario marmore, virorum, equorumque miro artificio factæ, desuper insident*.

Procop. de bello Goth. lib. 1. cap. 18.

Antonini precibus Hadrianus Consecratur.

7. In Hadrianum mortuum a multis multa sunt dicta, teste Dione. *Acta ejus irrita fieri Senatus volebat*, ob Senatorum sanguinem injuria effusum; *nec appellatus esset Divus*, *nisi*

nisi Antoninus rogasset, qui flens lamentansque Patribus dixit: *Igitur nec ipse Princeps vester ero, si ille improbus, inimicusque vobis fuit, omniaque acta ejus, in quibus est adoptio mea, rescindetis*; quibus Senatus auditis Hadrianum Apotheosi donavit; eique Antoninus Templum apud Puteolos constituit, Flamines, Sodales, quinquennale certamen, aliaque ad honorem numinis pertinentia, præstitit.

JESU CHR. AN. 138. *Spart. in Hadrian. c. 27. Dio lib. 70.*

JESU CHRISTI AN. 139. HIGINI PAPÆ 1. ANTONINI PII IMP. 2. COSS. ANTONINO PIO AUG. II., ET BRUTTIO PRÆSENTE. OLYMP. 229. AN. 3. URBIS AN. 892.

1. Anno primo Imperii Antonini Pii, cum Telesphorus per annos undecim Romanam administrasset Ecclesiam, martyrio coronatus obiit, cui Higinus successit, ut habet Eusebius in Chronico, & in Historia: Martyrio eum vitam reliquisse jam ante testatus fuerat S. Irenæus, qui ait, *Post Sixtum Telesphorus, qui etiam gloriosissimum martyrium fecit*; ejusque ut Martyris meminit Auctor carminum contra Marcionem, qui Tertulliano quondam adscribebantur:

Telesphorus martyrio obiit, cui succedit Higinus. *Euseb. in Chron. p. 713. in hist. lib. 4. 10. Iren. lib. 3. cap. 3. Tertull. carm. lib. 3.*

Post expleta sui qui lustri tempora tradit
Telesphoro: excellens hic erat, martyrque fidelis.

Tempore tantum Clementis VIII. Telesphori nomen Martyrologio Romano insertum fuisse miratur Pearsonius: *Non immerito*, inquiens, *queri videor Telesphorum tam insignem martyrem nullum ab ea Ecclesia, cui præfuit, honorem obtinuisse ante Pontificatum Clementis VIII.*; ejus tamen memoria die quinta Januarii in antiquissimo martyrologio a Rosveido edito his verbis recolitur: *Romæ S. Telesphori Papæ & Martyris*. Bucherii Catalogus annos 11., menses 3., dies tres Telesphoro adtribuit *a Consulatu Titiani, & Gallicani usque, Cæsare, & Balbino*, hoc est ab anno 127. ad 137., quæ si vera essent, non Antonino imperante, sed Hadriano obiisset. Pearsonius vero, ab anno 111. ad annum 122. eum sedisse, tradit; ab ejusque Chronologia anno uno diffidet Dodwellus. At donec certiora proferantur monumenta, ab Eusebio nequaquam recedendum censemus.

Pearson. dissert. 2. de success. Rom. Pontif. cap. 8.

Bollan. die 5. Januarii.

Pearf. ibid. ut supra dissert. 1. Dodwell. inter Pearf. oper. dissert. de Rom. Pontif. success.

 2. Te-

Jesu Chr.
an. 139.
Epistola, & Decreta Telesphoro supposita.
Crutan. epist. Rom. Pontif. pag. 58.

2. Telesphori nomine una circumfertur Epistola, quæ ex Isidori officina prodiit. Quatuor constat capitibus; de abstinentia videlicet a carne per septem hebdomadas servanda a clericis ante Pascha; de tempore celebrandæ Missæ, & de hymno Angelico, seu *Gloria in excelsis Deo*, recitando; de honore Episcopis debito; ac tandem de accusationibus contra eos non recipiendis. Tota ex Leonis Magni, & Damasi Epistolis consarcinata est, ut apud Blondellum videri potest; sed & ea, quæ ibidem de institutione jejunii Quadragesimalis leguntur, quæque in quibusdam Eusebiani Chronici editionibus inserta sunt, uti apocrypha inde facile comprobantur; quod Quadragesimale jejunium, ut ad rem adnotat Baronius, ab Apostolica traditione magis, quam ex Telesphori præcepto manavit: neque septem illud constabat hebdomadibus, sed quatuor, aut quinque; vel etiam sex in Ecclesia Romana, usque ad tempora S. Gregorii Magni, ut ex ejusdem Sacramentorum libro docemur. In Galliis vero sexto ineunte sæculo quatuor tantum hebdomadibus includebatur, ut Aurelianensi Synodo prima anni 511., & quarta anni 541. declaratur, *ante Paschæ solemnitatem non quinquagesima, sed Quadragesima teneatur*. Synodum quoque a Telesphoro Romæ contra Theodotum Byzantinum habitam fuisse, in Synodico legitur, quam Victori Papæ adscribendam esse, recte censet Labbeus, confirmatque Eusebius, dum eumdem hæreticum a Victore excommunicatum fuisse tradit, de quo infra.

Bar. an. 136.

Thomass. de Jejun.
Bayler. hist. Quadrag.
Beverer. in Can. Apost. de Quadrag. jejunio.
Concil. Aurel. can. 24. & Concil. 4. can. 2.
Concil. tom. 1. pag. 602.
Euseb. lib. 5. 28.

De Antonini gestis initio Imperii.
Dio lib. 70.
Capitolin. in Antonin. vita.
Honores Marco collati.

3. Sub ipso statim Imperii sui initio magnam apud omnes iniit gratiam Antoninus; quos enim Hadrianus per malam valetudinem occidi jusserat, periculo liberavit, ac ceteros ab eodem dignitatibus insignitos in adeptis muneribus confirmavit. Impositæ tamen conditioni, nempe ut sibi Marcum, & Verum ipse adoptaret, filiamque suam Vero uxorem daret, ex parte tantum satisfecit; cum etenim Marcum Imperio digniorem haberet, eidem filiam suam collocavit, quam Vero destinaverat Hadrianus. Interea Marcum consulatus honore, ac Cæsarea dignitate exornavit, atque in Tiberianam domum transire jussit. Ipse vero Antoninus, postulante Senatu, Pater Patriæ hoc anno appellatus est, ut in Chronico Eusebii legitur, quod & Capitolinus confirmat, etsi annum non indicet: *Patris Patriæ nomen delatum a Senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit*.

JESU

JESU CHRISTI AN. 140. HIGINI PAPÆ 2.
ANTONINI PII IMP. 3. COSS. ANTONINO PIO AUG. III.
ET M. AURELIO CÆSARE.
OLYMP. 229. AN. 4. URBIS AN. 893.

1. Quamvis Antoninus pacis esset amantissimus, minus tamen vere de eo scripsit Victor in Epitome, quod *orbem terræ, nullo bello, per annos viginti tres auctoritate sola rexerit*, cum plurima per legatos prælia gesserit, atque hoc anno, si Capitolino fides, rebellantes Britannos *per Lollium Urbicum legatum vicit*, alio namque extructo muro cespititio barbaros submovit. Hujusce Victoriæ memoria superest in numismate Antonini, quo triumphales quadrigæ extant una cum ejusdem Imperatoris tertia tribunicia potestate, & consulatu tertio, quibus labentis anni characteres designantur.

Antoninus Pius Britannos vincit. *Victor in Epitom. Capitol. in Anton. cap. 2. Apud Mediob. pag. 194.*

2. Per hæc tempora Phlegon Hadriani Libertus, variis editis Opusculis, nomen suum posteritati commendavit. Horum Catalogum Suidas his verbis exhibet: *Scripsit Olympiades libris 16. Continent autem res ubique gestas usque ad Olympiadem 229. octo etiam libris exposuit descriptionem Siciliæ, de longævis, & admirabilibus; de Romanorum festis libros tres, de Romæ locis & nominibus &c.* Olympiadum vero libros cum ad hunc annum usque perduxisset, hoc, vel sequenti vulgavit; eosque Alcibiadi cuidam, qui unus ex custodibus corporis Hadriani fuerat, inscripsit. Christianis autem ex eo vel maxime Phlegon notus fuit, quod prodigiosæ Solis Eclipsis, quæ Christo e Cruce pendente contigit, meminerit his verbis: *dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, & Stellæ in Cælo visæ sunt*. Sed & Jesu Christi mentionem eum fecisse suis in libris, auctor est Origenes: *Phlegon in 13., aut 14., ni fallor, Chronicorum suorum volumine, de quibusdam futuris præcognitionem Christo concessit in iis, quæ de Petro dicit, quasi de Jesu, (idest Jesum Christum cum Petro confundens) & testatus est prout dixerat, dicta contigisse*. Utinam vel clarius loquutus fuisset Origenes, vel hic Phlegontis liber adhuc extaret. At ex omnibus, quos elaboravit, soli supersunt libri de Mirabilibus, de Longævis, fragmentaque nonnulla a Meursio illustrata. De Phlegontis operibus hoc Photius tulit judicium: *Auctoris stylus, neque omnino humi serpit, neque Atticum usquequaque*

Phlegon Olympiades hoc anno absolvit. *Luc. 23. Orig. in Cels. lib. 2. Phot. Cod. 97. pag. 99. edit. Schott.*

Cha-

JESU CHR. AN. 140. *Characterem servat &c.* alioquin nimia illa atque intempestiva importunaque diligentia in Olympiadibus recensendis, singulorumque certaminum nominibus & rebus gestis, atque in ipsis etiam oraculis referendis, non tædium modo lectori affert, dum per eam reliqua omnia in hoc libro obteguntur, neque apparere sinuntur; verum etiam injucundum propemodum reddit sermonem, *qui gratiæ nihil habere judicetur*. Nec deest, qui Phlegontis libros Hadriano Imperatori a plerisque tributos fuisse tradat.

Spartianus in Hadr. cap. 16.

JESU CHRISTI AN. 141. HIGINI PAPÆ 3.
ANTONINI PII IMPERATORIS 4.
COSS. M. PEDUCEO SYLOGA PRISCINO, ET HÆNIO SEVERO.
OLYMPIAD. 230. AN. 1. URBIS AN. 894.

Celsi conjuratio, & Faustinæ Imperatricis obitus. *Vulcat. Gallic. in Vita Cassii.*

1. Celsum quemdam adversus Antoninum conjurationem circa hoc tempus iniisse, eruitur ex epistola Faustinæ Imperatricis ad Marcum Aurelium, a Vulcatio Gallicano in vita Cassii relata, qua legitur: *Mater mea Faustina Patrem tuum Pium virum ejusdem in defectione Celsi sic hortata est, ut pietate primum circa suos servaret, sic circa alienos*; ideft hortata est, ne tam facile conjuratis ignoscens, intempestiva indulgentia improbis perditisque viris rebellandi occasionem daret. Labentem annum Celsi conjurationem præcessisse, ex eo patet, quod currenti Faustina obierit: *Tertio anno Imperii sui Faustinam perdidit*, ait Capitolinus, *quæ a Senatu consecrata est*, idest divinis honoribus donata; idque docet sequens inscriptio hoc anno posita.

Capitol. in Anton. cap. 6. Pag. an. 140. n. 2., & Murat. an. 141. Mabill. Analect. tom. 4. pag. 500.

DIVÆ FAUSTINÆ AUGUSTÆ IMP.
CÆSARIS T. ÆLII HADRIANI ANTONINI
AUG. PII PONTIF. MAX. TRIB.
POT. IIII. CONS. III. P.

JESU CHRISTI AN. 142. PII PAPÆ 1.
ANTONINI PII IMP. 5. COSS. CUSPIO RUFINO,
ET L. STATIO QUADRATO.
OLYMP. 230. AN. 2. URBIS AN. 895.

Higinus Papa obiit, cui Pius succedit.

1. Cum Higinus quartum Pontificatus annum ageret, hoc

hoc tempore obiit; unde Eusebius in Chronico: *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum octavus suscepit Higinus annis quatuor; sub quo Valentinus Hæresiarca, Cerdo Magister Marcionis Romam venerunt*; & iterum: *sed Higino post quartum Episcopatus annum mortuo, Romanæ Ecclesiæ Sacerdotium suscepit Pius*; incompleti vero ii anni fuerunt. Ejus memoria die Januarii decima celebratur. An equidem martyrio vitam finierit, ob Irenæi & Eusebii silentium, ignoramus; martyris tamen titulo in Martyrologiis aliquot exornatur. Duæ ipsi falso inscribuntur epistolæ, multaque alia ejus nomine vulgata apud Gratianum decreta leguntur, de quibus adeundus eruditiss. Coutantius. Higino mortuo successit, non Anicetus, ut perperam S. Augustino & Optato creditum, mendoso Catalogo deceptis, sed Pius, ut patet ex Irenæo, & Eusebio. Hic Pontificatum tenuit per annos quindecim, ut idem Eusebius narrat, a labenti scilicet ad annum 157., de cujus gestis inferius sermo erit. Hoc etiam tempore, mortuo Cornelio Antiocheno Episcopo, Heros successit, ut Eusebius in Chronico & in Historia testatur.

JESU CHR. AN. 142.
Eusеb. in Chron. pag. 713. in hist. lib. 4. 11.
Coutan. pag. 60. &c.
Tillem. pag. 253. 285.
Martyrol. Rom. 10. Januar.
Boll. ibid.
Coutan. ut supra.
Iren. lib. 3. 3.
Euseb. ut supra.
Aug. epist. 53.
Optat. contra Parm. lib. 2.
Euseb. Chron. & hist. lib. 4. 20.

JESU CHRISTI AN. 143. PII PAPÆ 2.
ANTONINI PII IMP. 6. COSS. BELLICIO TORQUATO,
ET T. CLAUDIO ATTICO HERODE.
OLYMPIAD. 230. AN. 3. URBIS AN. 896.

1. Herodes Atticus alter hujus anni Consul non solum dignitate, sed & eloquentia conspicuus fuit, de quo Auli Gellii hoc extat testimonium: *Herodem Atticum Consularem Athenis disserentem audivi, græca oratione, in qua fere omnes memoriæ nostræ viros, gravitate, atque copia, & elegantia vocum longe præstitit*. Atheniensem eum facit Philostratus, ac divitiis tam propriis, quam paternis affluentem; ejus quoque amœnissimæ villæ idem meminit Gellius. Marco Aurelio Antonino, & Lucio Vero Præceptor datus fuerat Atticus. Quare Capitolinus, *Marcus*, inquit, *oratoribus usus est Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico*. De eo qui plura cupit, adeat Philostratum de Vit. Sophistar. lib. secundo. Percelebris hac etiam ætate fuit Epictetus, *Stoicorum maximus*, ait Suidas, *ex Hierapoli urbe Phrygiæ Philosophus, servus autem Epaphroditi unius de Sattellitibus Neronis, ob de-*

De Attico Herode hujus anni Consule.
Aul. Gell. lib. 19. 12.
Philostr. in vitis Sophist. lib. 2.
Gell. lib. 1. cap. 2.
De Epicteto Philosopho.

JESU CHR. AN. 143. Orig. in Celsum lib. 7.

defluxionem autem, altero crure mutilatus, in novae Epiri Urbe Nicopoli habitavit, & vita producta usque ad M. Antoninum multa scripsit. Hunc Celsus ob animi constantiam Christo aequare, aut etiam praeferre, impie praesumpsit; illudque de eo narrat, quod cum *herus*, cui Epictetus famulabatur, *tibiam intorsisset, subridens ac plane interritus: perfringes, inquit; at illo frangente, nonne praedixeram, ait, te hanc perfracturum*. Inter Epicteti sententias ea prae ceteris laude digna est, quam Gellius refert: *Epicteti etiam duo rursus de se scripti leguntur, ex quibus latenter intelligas, non omnes modo Diis exosos esse, qui in hac vita cum aerumnarum varietate luctantur, sed esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit pervenire curiositas*. At haec, quae Gentilibus arcana erant, coruscante Evangelio notissima facta sunt; in eo enim aperte dicitur beatos esse pauperes, abjectos, humiles, quod Christo conformes, dum quae ipsis occurrunt mala, non humana Epicteti virtute, sed submisso Christianoque perferunt animo, viam sibi ad Caelestem Patriam sternunt tutissimam.

Gell. lib. 2. 18.

Eumenes Alexandr. Episcopus obiit, cui Marcianus succedit. *Renadot. pag. 17. Hist. Patriarch. Alexand.*

2. Labenti anno, ut auctor est Eusebius in Chronico, Eumenes Alexandrinus Episcopus obiit, Successoremque Marcianum, seu Marcum habuit, qui eam Sedem tenuit per annos novem, menses aliquot; ac licet gestorum ejus notitia careamus, sanctissimam tamen vitam instituisse, omniumque virtutum exemplar se praebuisse, idem testatur Eusebius.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

F

Hym-

L

Mil-

De

Pa-

ERRA-

Pag.	ERRATA.	CORRIGE.
36.	Contexum	Contextum
44.	Venerandas Cuces	Venerandas Cruces
63.	Hoc ego	Hoc ergo
65.	Pelsius	Persius
68.	Funalia pendulo	Funalia pendula
115.	Et Græcis sermonis	Et Græci sermonis
159.	Statuis Ecclesiæ	Status Ecclesiæ
179.	Ab incolis dissertam	Ab incolis desertam
205.	Scripis	scriptis
212.	Quem præter	Quem præterit
216.	Ejusque ærem	Ejusque aerem
247.	Sed affectu	Sed effectu
277.	Multiplici martyrii	Multiplicis martyrii
296.	Cui sex alia	Cui sex aliæ